FATHERS' LIBRARY,
ST. JOSEPH'S CHURCH,
SAN JOSE, CAL.

THEOLOGIA

UNIVERSA.



PARIS. — IMPRIMERIE PIERRE LAROUSSE
RUE NOTRE-DAME-DES-CHAMPS, 49.

THOMÆ EX CHARMES

ORD. CAPUCIN. SS. THEOL. PROFESS.

THEOLOGIA UNIVERSA

QUOAD PARTEM DOGMATICAM

ADAUCTA ANNOTATIONIBUS ET ADDITIONIBUS

NECNON TRACTATU DE DIVINA AC SUPERNATURALI REVELATIONE;

QUOAD PARTEM MORALEM

AD SENTENTIAS LIGORIANAS FUNDITUS REDUCTA

OPERA J.-A. ALBRAND

Superioris Seminarii Parisiensis Missionum ad Exteros

AD USUM SACRÆ THEOLOGIÆ CANDIDATORUM

SECUNDA EDITIO

A Romanis Censoribus approbata.

FATHERS' LIBRARY
ST. JOSEPH'S CHURCH
SAN JOSE, CAL.

TOMUS QUARTUS

ALMA COLLEGE
208.4
LIBRARY
C982
Alma, California

PARISIIS

APUD LUDOVICUM VIVÈS, BIBLIOPOLAM

VIA VULGO DICTA DELAMBRE, 13

1871

ST. JOSEPH'S CHURCH
SAN JOSE, CAL.

THEOLOGIA UNIVERSA.

TRACTATUS

DE ACTIBUS HUMANIS.

Nota. 1. Homo duplici elemento constat : est enim *animal rationale.* Unde in eo potest distingui pars duplex : *inferior* scilicet, quæ spectat ad rationem *animalis;* et *superior*, quæ ad rationem partis *rationalis.* Actus autem qui ab homine fiunt, vel a parte inferiori vel a superiori procedunt.

Actus qui in homine a parte inferiori procedunt, vocantur *actus animales*, et inter eos eminent præcipue passiones.

Actus qui in homine procedunt a parte superiori, vocantur in latissimo sensu *actus humani;* quia vero ens rationale, seu pars superior, duplici formaliter constituitur facultate, intellectu scilicet, et voluntate, cumque utraque facultas sit rationali enti propria, ideo homo dicitur agere *formaliter* et *modo rationali,* quando ea duplex facultas in illius actum concurrit, et *materialiter* et *rationaliter* tantum *in substantia*, quando una deficit.

Unde, vel illi actus qui parti hominis superiori, seu homini ut rationali competunt, illi conveniunt ut rationali *materialiter*, vel ut rationali *formaliter :* si *prius* vocantur *actus hominis*, v. gr. risus indeliberatus, qui procedit ex

potentia enti rationali propria, sed non modo rationali; si *posterius*, si nempe procedant ex facultate enti rationali propria et modo rationali, dicuntur *actus humani*, ut actus amoris Dei vel proximi, qui procedit ex potentia enti rationali propria, et modo rationali. Omnes itaque actus humani sunt actus hominis, sed non e contra.

Quia vero modus rationalis duplex est : necessarius scilicet, et liber, ideo theologi adhuc sic subdistinguunt.

Philosophice spectatus, abstrahendo nempe a *subjicibilitate* erga regulas morum, actus humanus definitur : *Actus qui procedit a voluntate hominis deliberata, seu judicio hominis directa.* Juxta igitur hanc definitionem, actus necessarius, quales sunt amor beatificus et appetitus boni in communi, sunt actus hominis.

Theologice spectatus, prout nempe regulis morum *subjicibilis*, actus humanus definitur : *Actus ab homine procedens, cum rationis advertentia et libertate.*

In hoc ultimo sensu evidenter nunc agimus de actibus humanis.

Nota 2. Quum autem passionum notitia non mediocris sit momenti ad cognitionem moralium, ideo, decurso præsenti tractatu *de Passionibus* sermonem instituemus.

Nota 3. Actus humani duplici modo spectari possunt, nempe : secundum *esse physicum*, seu naturale, id est pure in sua entitate physica, sine respectu conformitatis erga regulas morum; et secundum *esse morale*, id est prout regulis morum conformes vel difformes sunt. Unde duplex dissertatio : 1° de actibus humanis secundum *esse physicum* seu secundum *se;* 2° de actibus humanis secundum *esse morale*, vel de eorum *moralitate*.

DISSERTATIO I.

De actibus humanis secundum esse physicum.

Nota. Omnis actus, sicut omnis motus, duo implicat, nempe unum *ad quod* et unum *a quo* procedit, *finem* nempe, et *principium*. Cum igitur omnes nostræ actiones fiant propter finem, tria hic occurrerent disserenda. 1° De facultatibus humanis, quæ sunt principium actus humani. 2° De illius fine. 3° De illius natura. Sed primum ad philosophiam spectat; unde hic tantum duobus capitibus de duobus ultimis agemus.

CAPUT I.

DE FINE ACTUUM HUMANORUM.

Nota 1. Finis definitur : *Id cujus gratia aliquid fit.*

Dicitur 1° *id :* id est, bonum aliquod, sive verum, sive apparens, cum voluntas non possit amare malum qua malum, ut dicemus infra.

Dicitur 2° *cujus gratia :* id est, cujus et amore et fruendi desiderio agens operatur.

Dicitur 3° *aliquid fit :* id est, assumitur medium quod ad finis assecutionem inservire posse judicatur : ex quo patet finem esse primam omnium causarum.

1. Dividitur in finem *qui*, *cui*, et *quo*.

Finis *qui*, est objectum quod per media consequi intendimus; unde dicitur etiam finis *cujus* seu *objectivus*.

Finis *cui*, est suppositum cui appetitur finis *qui;* sic proximo appetitur sanitas, beatitudo.

Finis *quo*, est actio qua finis *qui* seu *objectivus* possidetur; sic Deus est finis objectivus hominis, visio beatifica est finis *quo* seu *formalis*.

2. Dividitur in finem *operis* et finem *operantis*.

Finis *operis* est res illa ad quam opus ex se ordinatur : sic sublevatio pauperis est finis eleemosynæ ; vocatur etiam finis *intrinsecus* seu *esssentialis*, quia est idem cum ipso objecto.

Finis *operantis* est ille quem sibi proponit operans : sic finis dantis eleemosynam est aliquando vanitas, aliquando aliquid aliud ; vocatur etiam finis *extrinsecus* seu *accidentalis*.

3. Dividitur in finem *ultimum* et *non ultimum*.

Finis *ultimus* est is qui ita intenditur, ut in eo sistatur.

Finis *non ultimus* est is qui ita intenditur, ut ad ulteriorem finem referatur : sic pharmacum intenditur propter sanitatem ; vocatur etiam *finis intermedius*.

4. Finis ultimus dividitur in *respective ultimum* et *absolute ultimum*, seu *ultimatum*.

Finis *respective ultimus* est is qui ita intenditur, ut in certo rerum ordine ulterius non referatur ; vocatur etiam finis *ultimus secundum quid*.

Finis *ultimatus* est is ad quem omnia referuntur, ipse vero ad aliud referri nequit ; vocatur etiam finis *simpliciter ultimus ;* talis est solus Deus.

Nota 2. Multa de fine in communi in Philosophia pertractari solent ; hic pauca de eo dicemus, ut ad ulteriora progrediamur, et paucas difficultates resolvamus. Dicemus 1° de fine hominis in communi ; 2° de fine ultimo in communi ; 3° de beatitudine quæ est verus et ultimus finis hominis ; ideo

QUÆSTIO I.

DE FINE HOMINIS IN COMMUNI.

Hic tria quæruntur tribus articulis. 1° An homo semper agat propter finem. 2° An omnia agant propter finem. 3° An malum possit habere rationem finis.

ARTICULUS I.

AN HOMO SEMPER AGAT PROPTER FINEM.

Nota. Hic non agitur de motibus tam intellectus quam voluntatis indeliberatis, ut sunt motus primo primi prævenientes rationem: isti enim, sicut omnes actus indeliberati, non sunt nisi propter finem, vel imaginatum, vel naturaliter desideratum, ut dum quis sine attentione fricat barbam ad sedandum pruritum; nec de actibus puerorum aut amentium, cum non sint ex perfecta deliberatione. Non enim preces aut suasiones, inquit Billuart, quibus interdum erga pueros et amentes utimur, eo tendunt ut unum præ alio eligant, sed ut quod eis propronimus appareat illis sine malo et incommodo, sicque necessario in illud ferantur. Hoc notato, sit

CONCLUSIO.

Homo in omnibus suis actionibus humanis agit propter finem.

Prob. 1. Ex S. Thoma [1]. Omnia quæ sunt in aliquo genere, derivantur a principio illius generis, id est, quod est primum in aliquo genere est causa cæterorum ejusdem generis, ita ut omnia dependeant ab illo ut a causa finali; atqui finis est principium seu primum in operabilibus, sicut principium in speculabilibus: ergo omnia operabilia ab homine, seu omnes actus humani pendent et derivantur a fine, consequenter fiunt propter finem.

Prob. 2. Omnes actiones quæ procedunt ab aliqua potentia, causantur ab ea secundum rationem sui objecti; atqui objectum voluntatis est finis et bonum.

Maj. patet. Nulla enim actio procedens ab aliqua potentia ferri potest extra objectum adæquatum hujus po-

[1] 1-2, quæst. 1, art. 1.

tentiæ ; sic nulla est cognitio nisi circa verum, quod est objectum adæquatum potentiæ cognoscitivæ ; sic nulla visio nisi circa corporea quæ sunt objectum adæquatum potentiæ videndi ; sic nulla volitio nisi circa bonum, quod est objectum adæquatum potentiæ volitivæ ; et sic de cæteris : ergo, etc.

Prob. min. Objectum finale voluntatis est fruitio boni sibi ut tale propositi ; atqui fruitio non sistit nisi in fine : ergo, etc.

Dices : Causa prior est suo effectu ; atqui finis habet rationem ultimi, ut ipsum nomen sonat : ergo finis non habet rationem causæ. *Subsumo*, atqui propter illud agit homo, quod est causa actionis : ergo homo non agit propter finem.

Resp. *Neg. min. et conseq.* Finis enim, etsi postremus sit in ordine executionis, adepto namque fine, cessat actio agentis, est tamen primus in ordine intentionis ; nam sicut finis obtentus terminat omnem actionem, ita finis intentus excitat ad actionem, et hoc modo habet rationem causæ.

ARTICULUS II.

UTRUM OMNIA AGANT PROPTER FINEM.

Nota. Unumquodque eo modo agit propter finem quo modo eum cognoscit, quia finis non causat nisi modo quo est apprehensus. Finis autem dupliciter apprehendi potest, *materialiter* et *formaliter*. Apprehendere finem materialiter tantum, est cognoscere bonitatem finis, ut quid conveniens et appetibile, et ibi sistendo ; apprehendere finem formaliter, est cognoscere non solum bonitatem finis ut convenientem, sed etiam cognoscere proportionem finis ad appetentem et ad media, et vice versa, cognoscere proportionem appetentis et mediorum ad finem, id est cognoscere quod talis finis dignus sit quod illum assequaris, et talia media ponantur, et vicissim quod talia media sint congrua et proportionata fini. Hoc notato, sit

CONCLUSIO.

Omnia agentia agunt aliquo sensu propter finem; sed proprium est naturæ rationali agere propter finem formaliter et movendo se; brutorum autem agere materialiter, et ut ab alio mota.

PROB. PRIMA PARS. Inter causas ad invicem ordinatas, si prima subtrahitur necesse est alias subtrahi; atqui prima inter omnes causas est finalis, quia agens non agit nisi ex intentione : ergo si subtrahatur finis, nullæ causæ causabunt. Ergo omnis causa agit aliquo sensu ex causalitate finis, seu propter finem ; hinc a S. Thoma tota irrationalis natura comparatur ad Deum sicut instrumentum ad agens principale.

PROB. SECUNDA PARS. Ille dicitur agere propter finem *formaliter et movendo se*, qui apprehendit finem formaliter, id est cum proportione illius ad media, et mediorum ad finem, ut dictum est in nota ; atqui illud est proprium naturæ rationali et non bruto, tum quia talis apprehensio et judicium est proprium intellectus, tum quia sola natura rationalis habet dominium actuum suorum per liberum arbitrium, quod est *facultas voluntatis et rationis*. Ergo, etc.

PROB. TERTIA PARS. Illa tendunt in finem solum *materialiter*, et propter solam naturalem inclinationem, quasi *ab alio mota*, non autem a seipsis, quæ nihil in finem ordinare possunt, sed solum in finem ab alio ordinantur ; atqui bruta nihil in finem ordinare possunt, sed solum in finem ab alio ordinantur. Ergo, etc.

Minor patet. Nam brutum carens ratione et judicio non potest apprehendere nec appetere finem et media formaliter, sed tantum materialiter sub ratione boni convenientis, quatenus ex fine et mediis integratur unum objectum totale sui appetitus, ut docent philosophi. Est igitur quidam instinctus naturalis, vehemens quædam motio a

natura a Deo brutis impressa ad prosequendum bonum sibi conveniens.

Quæres : *An actus humani specificentur a fine?*

Resp. *affirmat Prob.* Actus humanus est quidam motus: motus autem distinguitur per actionem et per passionem, prout homo movet seipsum vel movetur a seipso ; actiones autem sortiuntur speciem a principio, passiones autem a termino; atqui finis, ut est in intentione agentis, est principium actuum humanorum, ut dictum est supra, et prout est in executione est terminus illorum [1]. Hinc S. August.[2]: *Secundum quod finis est culpabilis, vel laudabilis, secundum hoc sunt opera nostra culpabilia vel laudabilia.* Ergo, etc.

ARTICULUS III.

UTRUM MALUM POSSIT FINALIZARE, ID EST HABERE RATIONEM FINIS.

Nota. Bonum est duplex, *verum* scilicet, et *apparens*. Bonum verum est quod de facto in re est tale; bonum apparens, quod cum in se malum sit, tamen apprehenditur ut bonum, quia quandoque voluntas corrupta judicat bona ea, quæ reipsa sunt mala, sicut gustus depravatus ægrotantium aliquando judicat sapida quæ gustui communi omnium reipsa sunt insipida. Hoc prænotato, sit

CONCLUSIO.

Sola bonitas vera, vel apparens, habet rationem finis; malum autem sub ratione mali non potest habere rationem finis.

Prob. 1. Ex S. Dionysio, qui dicit : *Nemo intendens in malum operatur ;* sed si malum apprehensum ut malum, haberet rationem finis, operando possemus intendere in illud.

2. Ex philosophis, qui cum Aristotele definiunt bonum :

[1] S. Thom., 1 2, quæst. 1, art. 3. — [2] Lib. *de Moribus Eccl. et Manichæor.*, cap. 13.

id quod omnia appetunt; malum vero : *id quod omnia fugiunt ;* sed quod voluntas refugit, non potest apprehendere ut finem : ergo, etc.

3. *Ex ratione.* Illud solum habet rationem finis,quod est appetibile; atqui solum bonum verum vel apparens est appetibile : ergo solum bonum potest habere rationem finis.

Major patet. Finis enim est quem agens appetit, et cujus gratia operatur.

Prob. min. Appetitus est inclinatio ad id, quod sibi conveniens est; sed solum bonum est conveniens appetitui, nam bonum definitur, id quod est conveniens appetitui : malum, e contra, id quod est disconveniens. Præterea, simile non est conveniens nisi simili, dicit Angelicus [1]. Sed omne ens quatenus tale, est bonum ; ergo nihil potest esse conveniens alicui enti nisi sub ratione boni. Ergo solum bonum verum vel apparens est appetibile : ergo, etc.

Dices : *Non esse* non potest habere aliquam rationem boni ; atqui voluntas,v. g. damnatorum, appetit *non esse :* ergo voluntas ferri potest ad id in quo nulla reperitur ratio boni.

Resp. *Dist. maj. Non esse* non potest habere aliquam rationem boni, prout est destructivum naturæ, *conc.;* quatenus est terminativum summæ miseriæ a qua non videtur alia via evadendi, *trans.* Nam inter duo mala mininum non eligitur sub ratione mali, sed sub ratione defectus majoris mali, quod est aliquod bonum.

Dixi transeat, quia non declaratur aperte in Scripturis damnatos propriam appetere destructionem ad terminandas pœnas æternas.

Inst. Diabolus appetit peccatum ut malum ; atqui peccatum nullam habet rationem boni : ergo, etc.

Resp. *Dist. min.* Peccatum nullam habet rationem boni,ut est injuria Dei præcise, *conc.;* ut est medium ad vindictam

[1] 2 2, quæst. 8, art. 1. Vid. etiam *contra Gentes,* lib. III, et 1 2, quæst. 8, art. 1.

sumendam, *neg.* Sic distincta minore, *nego maj.* Diabolus enim non appetit præcise peccatum ut est injuria Dei, sed ut ex illa injuria redundet vindicta Dei, cujus est inimicus ; inferre autem injuriam, et sumere vindictam de inimico, est aliquod bonum apparens.

Hinc patet quod qui peccat ex certa malitia, non vult peccatum ut malum morale præcise, sed eo quod in malo morali percipit aliquam delectationem et independentiam a lege Dei, quod sibi bonum et jucundum falso reputat.

QUÆSTIO II.

DE FINE ULTIMO HOMINIS IN COMMUNI.

Hic tria quæruntur tribus articulis. 1° An et quot sint effectus finis. 2° An quidquid deliberate vult homo, illud velit propter finem ultimum. 3° An homo possit agere propter plures fines ultimos.

ARTICULUS I.

DE EFFECTIBUS FINIS.

Nota. Effectus finis, dicuntur actus quibus voluntas tendit in finem; unde

QUÆRES 1. *Quot et quinam sint effectus finis?*

RESP. Sunt octo, quorum tres, nempe *volitio, intentio* et *fruitio* versantur circa finem; et quinque, nempe *consilium, consensus, electio, imperium* et *usus* versantur circa media conducentia ad finem.

DICES: Imperium non est actus voluntatis, sed intellectus: ergo non est actus finis.

RESP. *Nego ant.* Nam triplex est tantum actus intellectus, apprehensio scilicet, judicium et discursus; atqui imperium non est apprehensio, ut patet; nec est judicium aut discursus, nam judicium aut discursus sic exprimuntur :

hoc vel illud est faciendum; imperium autem sic: *fac hoc:* ergo non est actus intellectus. Restat ergo ut sit actus voluntatis præsupponens actum intellectus proponentis quid agendum vel omittendum sit; unde Div. Thom. ait [1]: *Voluntas movet alias potentias animæ ad suos actus, utimur autem aliis potentiis cum volumus.*

Inst. 1. Illius est imperare, cujus est leges condere, easque subditis intimare; sed leges condere easque subditis intimare pertinet ad intellectum: ergo, etc.

Resp. *Dist. maj.* Illius est imperare præsuppositive et secundum quid, cujus est leges condere, *conc. maj;* illius est imperare efficienter et absolute, *nego maj.* et similiter ad conseq.

Itaque recta ratio imperat *præsuppositive*, quatenus est lumen quod proponit voluntati quid agendum vel omittendum sit; et *secundum quid*, quatenus voluntatem movet eamque ordinat tanquam regula cui debet conformari sed voluntas efficienter movet intellectum, eique absolute imperat opus, v. gr. meditationem; hinc intellectus habet rationem suadentis, et voluntas habet rationem imperantis, ut agatur.

Inst. 2. Saltem consilium est actus intellectus; sed actus intellectus non est effectus finis: ergo consilium non est effectus finis. *Resp. nego min.*

Prob. min. Actus illius potentiæ quæ non movetur a fine, non est effectus finis; atqui intellectus non movetur a fine: ergo actus intellectus non est effectus finis. *Resp. nego min.*

Prob. min. Quod non habet pro objecto bonum, non movetur a fine, finis enim non movet nisi per bonitatem; atqui intellectus non habet pro objecto bonum: ergo, etc.

Resp. *Dist. maj.* Non movetur a fine immediate, *conc. maj.*; mediate, id est, mediante imperio voluntatis, *nego maj.*

[1] 1 2, quæst. 9, art. 1 *in Corp.*

Voluntas itaque bonitate finis delinita imperat intellectui, ut media, quibus finem assequi possit, inquirat, ipsumque applicat ad ponderanda quæ ex præcogitatis sint ad finem assequendum aptiora, ipsumque acuit ad confutanda quæ a proposito eam avocare possent.

Quæres 2. *Quem ordinem inter se servent hi omnes actus?*

Resp. Servant sequentem :

1° Objecti bonitate voluntati proposita, statim exurgit *volitio*, seu amor simplex et *complacentia*, quæ est *actus elicitus voluntatis respiciens bonum ut in se amabile*, abstrahendo ab ejus possibilitate vel impossibilitate; unde nullum dicit ordinem ad media. Hic actus se solo non sufficit ut agens sibi aliquod bonum actu propouat tamquam finem, quia bonum quod placet, potest considerari ut impossibile, v. gr. regia dignitas respectu plebeii; bonum autem apprehensum ut impossibile non habet rationem finis quantumcumque placeat, cum nihil illius obtinendi causa fiat; unde præter volitionem requiritur

2° *Intentio*, estque *actus elicitus voluntatis efficaciter et absolute tendentis in bonum per media consentanea*. Porro qui efficaciter finem intendit, is statim sollicite inquirit media quibus obtineri possit, quare

3° *Consilium*, seu *deliberatio* sequitur, estque *actus mentis inquirentis media et ponderantis eorum cum fine proportionem*. Hic actus est quidem elicitus ab intellectu, sed ab intentione efficaci voluntatis imperatus, ut supra dictum est, e ideo est effectus finis.

Porro monet Habert, consilium hoc non esse quærendum a peccatoribus, quia cum *unusquisque judicet prout affectus est*, juxta effatum, et peccatores circa finem ultimum pessime sint affecti, non aliter quam secundum perversum suum sensum possunt consulere, hinc *Eccle.* VIII dicitur : *Cum fatuis consilium non habeas, non enim potuerunt diligere nisi quæ eis placent.*

4° *Consensus* subsequitur, qui est *actus elicitus voluntatis*

efficaciter approbantis et acceptantis media ab intellectu ad finem consequendum proposita.

5° *Electio* succedit, estque *actus elicitus voluntatis, quo ex pluribus mediis per consensum approbatis unum præ alio libere ad finis consecutionem amplectitur.*

6° *Imperium* advenit, estque *actus elicitus voluntatis imperantis usum mediorum, quæ post debitam deliberationem electa sunt*, tanquam ad finem magis idonea.

7° *Usus* procedit, qui active sumptus definitur: *Actus elicitus voluntatis applicantis seipsam vel alias potentias ad medii electi executionem;* sumptus vero passive, est ipsa medii electi executio, estque actus imperans.

8° Demum exurgit *fruitio*, quæ est *actus elicitus voluntatis suaviter quiescentis in boni amati possessione.*

Dixi *actus voluntatis :* quia illa quies, licet sit cessatio motus quo tenditur in finem, non est tamen cessatio ab omni operatione : est enim vitalis actus voluntatis in possessione boni amati et obtenti suaviter conquiescentis

De his sat conveniunt theologi, sed aliquæ disputationes de electione et fruitione moventur, quæ, ut solvantur, sit

§ I.

De Electione.

Quæres 1. *An possit voluntas e duobus mediis eligere minus idoneum, relicto magis idoneo?*

Resp. *affirm.* Quia in tali casu neutrum medium proponitur ut necessarium, cum utrumque ad finem deducere possit : ergo voluntas quæ est de se libera, potest, relicto magis idoneo, minus idoneum eligere ; patet experientia, qua videmus infirmos quibus ad sanitatem recuperandam proponuntur duo pharmaca, unum præ alio salubrius, sed acerbius, quotidie eligere minus acerbum, salubriori relicto.

Objicies 1. Voluntas non agit libere nisi ut est rationalis;

sed si eligeret medium minus idoneum, relicto magis idoneo, non ageret ut est rationalis : ergo voluntas non potest e duobus mediis eligere minus idoneum.

Resp. *Dist. maj.* Voluntas non agit libere nisi ut est rationalis, id est, nisi præeunte rationis advertentia et motivo, *conc. maj.;* id est, nisi secundum rectam rationem operando, *nego maj.;* et sic distincta minore, *nego conseq.*

Inst. Atqui medium minus bonum in concursu medii melioris, non potest movere voluntatem : ergo voluntas eligens medium minus bonum agit absque motivo.

Prob. ant. Malum qua malum non potest movere voluntatem ad assecutionem; atqui medium minus bonum meliori collatum est malum : ergo, etc.

Resp. *Nego min.* Bonitas enim non consistit in indivisibili; unde major bonitas alicujus medii non tollit bonitatem alterius minorem.

Objicies 2. Voluntas non potest eligere medium minus bonum, nisi repudiet medium melius cognitum ut tale ; atqui voluntas non potest repudiare medium melius cognitum ut tale, nam voluntas non repudiat nisi malum; atqui medium melius cognitum ut tale, nec est, nec judicatur malum : ergo, etc.

Resp. *Dist. min.* Voluntas medium melius cognitum ut tale non potest repudiare, positive per odium nempe et detestationem, *conc. min.;* negative, id est, non amplecti *nego min.* Voluntas enim, quibuslibet positis mediis, remanet libera et indifferens; ergo potest omittere id omne quod sibi proponitur ut bonum privatum, quia nullum bonum privatum ex se voluntatem necessario determinare potest, quod solius boni increati est proprium.

Quæres 2. *Quid requiritur ut electio sit recta et honesta?*

Resp. Requiritur ut medium quod eligitur, sit efficacius et magis idoneum ad finis consecutionem ; nam ut electio sit honesta, debet prudenter fieri, cum prudentia sit recta ratio agibilium; atqui ut electio prudenter fiat, debet

eligi medium magis idoneum : ergo ut sit honesta, debet eligi medium magis idoneum ; quod est verum præsertim in moralibus.

Dices : Consilia Evangelica sunt media magis idonea ad salutem ; atqui non peccat contra prudentiam qui ea non eligit : ergo prudentia non præcipit ut medium magis idoneum eligatur.

Resp. *Dist. maj.* Sunt media magis idonea in se et absolute, *conc. maj.;* relative ad singulos homines, *nego maj.;* ait enim Apostolus[1] : *Melius est nubere quam uri. Dist.* etiam *minorem.* Non peccat contra prudentiam qui consilia Evangelica non eligit, cum ad eorum observantiam non est a Deo vocatus, *conc. min.;* cum est vocatus, *nego min.*

Itaque quisque attendere debet id ad quod vocatur a Deo, illudque eligere ; alias peccat contra prudentiam, si vocationi suæ non respondeat.

Quæres 3. *Utrum, posita efficaci et absoluta finis intentione, electio sit libera, cum unicum occurrit medium ad finem obtinendum ?*

Resp. Non est libera in se, sed tantum in causa ; ratio est quia homo non potest voluntate efficaci velle impossibilia ; atqui si, posita intentione finis efficaci, nollet eligere medium quod est unicum, et sine quo finis obtineri non potest, vellet voluntate efficaci aliquid impossibile : ergo non potest homo, supposita intentione efficaci finis, rejicere medium unicum, sed ad illud necessitatur.

Dices : Voluntas ad exercitium necessitari non potest nisi a bono increato ; ergo est libera in electione unici medii ad finem.

Resp. *Dist. ant.* Voluntas ad exercitium non potest necessitari, in sensu diviso intentionis efficacis, *conc. ant.;* in sensu composito ejusdem, *nego ant.*

Inst. 1. Talis necessitas non potest peti nec a fine, nec a medio, cum utrumque sit finitum : ergo est fictitia.

[1] II Cor. 7.

Resp. *Nego conseq.* Equidem talis necessitas non petitur a fine vel medio solitarie spectatis, sed petitur ex necessaria connexione medii illius cum fine efficaciter intento, quia ita non potest intendi absque efficaci volitione medii absolute necessarii.

Inst. 2. Ergo reus non peccat qui, vitæ conservationem efficaciter intendens, nec valens illam aliter conservare quam perjurio, pejerat : falsum consequens.

Resp. *Nego sequelam maj.* Quia perjurium est liberum in causa, nempe in intentione conservationis vitæ, quam potuit omittere ; libertas autem in causa sufficit ad meritum vel demeritum.

§ II.

De Fruitione.

Quæres 1. *In quo actu consistat fruitio proprie dicta?*

Nota. Ad fruendum aliqua re hæc tria esse necessaria: amare, possidere, et gaudere seu delectari; nam si quis amat et nullo modo possidet, desiderat, sed non fruitur re quam diligit ; similiter qui amat et possidet aliquid, et de ejus possessione non delectatur, illo non fruitur ; quæritur ergo in quonam ex his tribus formaliter et essentialiter consistat fruitio, pro cujus solutione

Resp. Fruitio proprie nec est amor, nec possessio, sed est delectatio ex amore et præsentia rei amatæ causata. Ratio est, quia, ut ait Div. Thom.[1]: *Fruitio et fructus ad idem pertinere videntur, et unum ex altero derivari ;* ergo, sicut fructus est id quod ab arbore ultimo expectatur et cum quadam dulcedine percipitur; ita fruitio est quid ultimum quod in re expectamus, et quod cum quadam suavitate percipimus; atqui delectatio est ultimum quod in re expectamus ; prius siquidem est quod rem amemus, postea quod illam consequamur, et tandem in ejus pos-

[1] 1 2, quæst. 11, art. 1 *in Corp.*

sessione quiescamus et delectemur : ergo fruitio consistit essentialiter in delectatione.

Dices 1. Div. August.[1] ait : *Frui est amore inhærere alicui rei propter se ipsam.* Ergo fruitio consistit in amore.

Resp. *Dist. conseq.* Consistit in amore causaliter, *conc.;* formaliter, *nego conseq.* S. August. enim loquitur in sensu causali, non formali ; amor autem est causa delectationis in qua fruitio consistit ; unde idem S. August.[2] ait : *Frui est cum gaudio uti.*

Quæres 2. *An fruitio sit semper circa finem?*

Resp. *affirmat.* Nam fruitio est semper circa illud quod per se est appetibile ; atqui solus finis est per se appetibilis : ergo, etc.

Dices : Fruitio est æque circa media ac circa finem, quod sic probo : actus virtutum sunt media ad ultimum finem ; atqui justus prudenter fruitur et conquiescit in actibus virtutum : ergo fruitio est æque circa media ac circa finem.

Resp. *Nego ant. Ad prob. dist. maj.* Actus virtutum sunt media non pura, *conc. maj. ;* sunt media pura, *nego maj.;* sunt enim media simul et fines, quibus licitum est frui.

Itaque duplex est medium, *purum* scilicet, et *non purum.*

Medium *purum* est res quæ per se nullatenus appetibilis est : talia sunt omnia quæ naturam rationalem nec perficere, nec meliorem reddere possunt, ut sunt omnia temporalia, nempe fama, honor, divitiæ, quibus duntaxat uti licet, nullatenus frui.

Medium *non purum* est res quæ licet, ad finem ulteriorem conducat (sub quo respectu habet rationem medii), per se tamen appetibilis est ; et sub hoc respectu habet rationem finis intermedii.

Porro, actus virtutum sunt media non pura, quibus uti

[1] Lib. I *de Doctrina Christiana.* — [2] Lib. X *de Trin.*, cap. 11.

licet tanquam mediis, juxta illud [1] : *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Et frui seu delectari tanquam fine, ut docet Regius Psaltes [2], his verbis : *Judicia Domini vera... desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum, et dulciora super mel et favum.*

ARTICULUS II.

AN QUIDQUID DELIBERATE VULT HOMO, ILLUD VELIT PROPTER FINEM ULTIMUM.

Nota 1. Quadrupliciter homo suas actiones referre potest in finem, seu agere propter finem. 1° Actualiter formaliter. 2° Virtualiter. 3° Interpretative. 4° Habitualiter.

Intentio *actualis formalis* est, quando quis actuali et expressa volitione finem cognitum intendit, ut patet ex terminis.

Intentio *virtualis* est duplex : 1° intentio *directa virtualis;* 2° *indirecta virtualis,* seu *virtualis implicita.* Intentio *directa virtualis* est ipsa intentio actualis formalis quæ præcessit moraliter perseverans, seu quæ vi intentionis præteritæ, non retractatæ, operatur et media eligit, licet hic et nunc de fine non cogitet; talis est intentio in sacerdote, qui ex intentione actuali consecrandi Missam inchoat, sed paulo post ita distrahitur, ut amplius non cogitet ad id quod facit; nihilominus consecrat virtute intentionis, quam habuit, et quæ moraliter perseverat. Talis est etiam virtualis intentio directa in medico, qui colligit herbas ex priori intentione medicinæ aut sanitatis, de qua nunc non cogitat.

Hæc autem intentio directa virtualis, per se videtur durare donec per contrariam intentionem amoveatur, quia nihil aliud assignari potest illius destructibile ; non quidem cessatio primæ intentionis, quia non pendet ab illa, alioquin ipsa cessante cessaret statim virtualis illa inten-

[1] Matth. 19. — [2] Psal. xviii.

tio, quod nemo dicit; neque solus non usus longi temporis decursus: cum enim sit quid spirituale, non pendet a tempore; attamen, cum ea sit mentis nostræ instabilitas, ut in tam varias intentiones præceps ruat, ex ipso longo non usu, sicut experientia constat, per accidens hæc intentio destruitur, ut docet Angelicus [1]. Quidquid sit, tandiu durat illa virtualis intentio, quandiu exercitantur media præordinata ad intentum finem assequendum, licet agantur interdum plura opera deliberata, quæ vel non sunt in suum finem referribilia, ut patet in justo peccante venialiter, vel fiunt ex motivo non contradictorio, sed contrario huic intentioni, qualis esset in eo qui Romam petendo diverteret a via, non ex influxu hujus intentionis perseverantis, sed præter illum, v. g. curiositatis gratia.

Intentio *indirecta virtualis* seu *virtualis implicita* finis est illa quæ, non quidem sistit in actione quæ nunc fit; sed intendit ad alium finem ad quem opus quod facit ex natura sua ordinatur, ut minus perfectum ad suam perfectionem, vel ut participationem et inchoationem boni ad suum complementum. Sic natura formans embryonem virtualiter intendit hominem, sic inferior artifex conficiens, ex mandato superioris artificis, aliquid juxta regulas artis suæ inferioris intendit superioris artificis finem, quem forte non cognoscit, sed sua intentio virtualiter et implicite in superioris artificis intentione continetur. Quidam vocant hanc secundam intentionem *interpretativam*, sed improprie; nam

Intentio *interpretativa* dicitur illa non quæ sit vel extiterit, sed quæ attenta dispositione subjecti probabiliter esset, si de fine cogitaretur; est igitur mera potentia physica intendendi, non vera intentio.

Habitualis intentio seu *relatio*, est pura concomitanta

[1] 1 2, quæst. 53, art. 3.

habitus alicujus cum actu absque ullo influxu sive actuali, sive virtuali in actum. Differt tamen ab intentione interpretativa, quia habitus, ut informans potentiam, est tantum inclinatio in actu primo, neque præcise ut talis inducit præsumptionem quod agens ageret, etiamsi cogitaret.

Nota 2. Ultimum finem dupliciter considerari posse :

1° *Confuse* et sub ratione communi beatitudinis, quomodo spectatur ab iis qui hoc unum sciunt, quod felices esse velint, nec satis sciunt, an in divitiis, honoribus, etc., felicitatem reperturi sint.

2° *Distincte* et *determinate*, ut si quis rem determinatam, v. g. Deum, vel divitias, sibi proponat tanquam summum bonum, et ad illud assequendum tendat.

Nota 3. Humanam voluntatem dupliciter ferri in finem ultimum :

1° *Explicite*, dum quis, v. g. eleemosynam dat expresso retributionis æternæ intuitu.

2° *Implicite* et *virtualiter*, dum quis operatur, nihil de beatitudine, sed de sola appetitus sui expletione cogitans. His præmissis, sit

CONCLUSIO.

Quidquid homo deliberate vult, illud vult implicite saltem et virtualiter propter ultimum finem confuse et in communi spectatum, non autem spectatum in particulari et determinate.

Prob. prima pars. Ille in omnibus actibus deliberatis agit propter finem ultimum, seu beatitudinem, qui semper operatur ut bene sibi sit; atqui homo semper operatur ut bene sibi sit : ergo, etc.

Prob. min. Ille semper operatur ut bene sibi sit, qui nihil vult nisi quatenus bonum sibi; atqui homo nihil vult nisi quatenus bonum sibi : alioquin posset velle malum qua malum sibi, quod est impossibile, cum malum qua malum nihil habeat quod voluntatem illicere possit, ut supra diximus : ergo homo semper operatur ut bene sibi sit.

Prob. 2. Div. August. [1] ait : *Verum est quod omnes homines esse beati velint, idque unum ardentissimo amore appetant, et propter hoc cætera quæcumque appetant.*

PROB. SECUNDA PARS. Finis ultimus determinate sumptus est ipse Deus, in quo solo sita est beatitudo nostra ; atqui quidquid deliberate vult homo, illud non vult propter Deum, quia plura vult quibus se avertit a Deo, et convertit ad creaturam : ergo quidquid deliberate vult homo, illud non semper vult propter finem ultimum in particulari et determinate spectatum.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

OBJICIES 1. Nihil volitum quin præcognitum; atqui homo inter agendum plerumque de fine ultimo non cogitat: ergo plerumque ipsum non appetit.

RESP. *Dist. maj.* Nihil volitum expresse quin præcognitum, *conc. maj.;* nihil volitum confuse et sub ratione communi, quin præcognitum, *nego maj.* et, concessa minore, *dist. conseq.* Ergo homo plerumque non appetit finem ultimum, expresse et in particulari, *conc.;* confuse et sub ratione communi, *nego conseq.;* ad hoc autem sufficit, quod homo in omnibus actibus suis deliberatis quodammodo sibi satisfacere quærat, quod est quidpiam ad beatitudinem spectans, et quasi ejus effluvium.

INST Si omnis actio humana tendat in beatitudinem in communi, nulla dabitur actio humana otiosa, falsum consequ. *Resp. nego sequel. major.*

PROB. *sequel. maj.* Actio otiosa illa dicitur, quæ ad nullum finem ordinatur : at si omnis actio humana respiciat beatitudinem in communi, nulla erit quæ ad aliquem finem non ordinetur; ergo nulla erit otiosa.

RESP. *Dist. maj.* Actio otiosa illa dicitur, quæ ad nullum finem in particulari ordinatur, *conc. maj.;* quæ ad nullum

[1] Lib. XIII *de Trin.*, cap. 5.

finem spectatum in communi, *nego maj.*; et, sic distincta minore, *nego conseq.* Itaque ideo actio dicitur otiosa, quod careat fine aliquo particulari et intermedio ab operante intento.

Objicies 2. Justus vult aliquando peccatum veniale; atqui non vult illud propter ultimum finem; non enim illud vult propter Deum ad quem ordinari non potest, nec propter creaturam, alias peccaret mortaliter ponendo finem ultimum in creatura : ergo id omne quod vult homo, non illud vult propter finem ultimum.

Resp. *Dist. min.* Non illud vult propter finem ultimum determinate et in particulari sumptum, *conc. min.*; confuse et in communi sumptum, *nego min.* Itaque appetere finem ultimum in communi, nihil aliud est quam velle esse beatum : porro ex Div. August.[1]: *Beatum esse, tam magnum est bonum, ut hoc et boni velint et mali.* Dum enim peccant, id unum quærunt, ut fiant beati; ergo quilibet homo hoc sensu appetit finem ultimum confuse et indistincte.

Urgebis. Ergo justus peccando venialiter peccat simul mortaliter et fit injustus, quod repugnat.

Non inferas tamen exinde : 1° peccatum veniale justi evadere mortale, eo quod habeat pro fine proximo creaturam, seu voluptatem aliquam particularem, seu beatitudinem ut sic satiativam. Nam respondetur quod iste communissimus finis beatitudinis ut sic, utpote a bonis et a malis necessario amatus, et ita de se indifferens ut applicetur objecto honesto vel turpi, nullam tribuit honestatem vel malitiam actibus humanis.

Neque dicas 2° peccantem venialiter, aut peccatorem vel infidelem facientem aliquod bonum opus morale honestatis gratia, habere duos fines totales; nam finis ille communissimus non ponit in numero cum particulari, scilicet Deo aut creatura, ut patet.

[1] In Psal. cxviii.

Neque dicas 3° infidelem aut peccatorem peccare etiam in suis operibus moraliter bonis, cum reponant extra Deum beatitudinem suam; respondetur enim quod, cum iste finis communis nihil tribuat ad malitiam aut bonitatem actui, sed sit indifferens, potest applicari objecto particulari honesto, et tunc est referribile ad Deum ut totius ordinis et honestatis auctorem, ideoque actus erit moraliter bonus, et sic Deus est finis ultimus hujus operis secundum quid. Et in ea serie tantum; finis autem simpliciter et absolute ultimus est beatitudo, ut sic.

Objcies 3. Voluntas hominis est libera; ergo potest quædam velle, et eadem nolle propter finem ultimum.

Resp. *Dist. ant.* Voluntas est libera quoad exercitium, *conc. ant.;* quoad specificationem, *subdist.* Respectu finium particularium, verbi gratia, Dei vel creaturæ, in quibus ultimum finem constituere potest, *conc.;* respectu finis ultimi generaliter apprehensi, *nego ant.* Unde nihil potest velle, nisi referatur saltem implicite ad beatitudinem in communi.

ARTICULUS III.

UTRUM HOMO POSSIT SIMUL INTENDERE PLURES FINES ULTIMOS.

Nota. Finis ultimus alius est *adæquatus*, alius *inadæquatus.*

Finis adæquatus est is, qui totus et seorsim ab alio, sufficienter movet ad agendum, ut divitiæ respectu avari tantum.

Finis inadæquatus est ille, qui simul cum alio fine voluntatem movet ad agendum: sic respectu avari simul et ambitiosi, divitiæ et honores sunt duo fines ultimi inadæquati. His notatis, sit

CONCLUSIO.

Homo non potest agere simul et semel propter plures fines ultimos adæquatos et totales.

Prob. 1° Ratione Div. Thom.[1]: Ultimus finis adæquatus et totalis debet totaliter dominari voluntati: sed implicat duos esse fines qui totaliter voluntati dominentur, juxta illud Christi [2]: *Nemo potest duobus dominis servire;* ergo repugnat dari plures ultimos fines totales et adæquatos.

Prob. 2. De ratione finis simpliciter ultimi totalis et adæquati est, quod omnia ad ipsum, ipse vero ad aliud non referatur; atqui repugnat simul dari duo ultima hujusmodi: nam vel unum ordinaretur ad aliud, vel non: si ordinaretur, jam esset bonum subordinatum, non ultimus finis; si non ordinaretur ad aliud, istud jam non esset finis ultimus, utpote non subjiciens omnia suæ ordinationi: ergo repugnat duplex ultimus finis simpliciter et adæquatus.

Dices 1. Gentiles sibi proponebant plures deos: ergo et plures fines ultimos.

Resp. *Dist. conseq.* Ergo sibi proponebant plures fines ultimos partiales et inadæquatos, *conc.;* totales et adæquatos, *nego conseq*

Itaque Gentiles rationem ultimi finis inter suos deos conflictos dividebant, et unum pro uno bono largiendo, alium pro alio colebant, v. g. Martem pro re militari, Apollinem pro scientia, Venerem pro fœcunditate, etc., et ideo omnes dii distributive sumpti, erant eorum finis inadæquatus, et collectio deorum erat finis adæquatus et totalis.

Dices 2 Idem homo potest intendere simul diversa peccata mortalia inter se disparata, v. g. furtum, fornicationem, superbiam, etc., in quibus finem suum ultimum,

[1] 1 2, quæst. 1, art. 5, in arg. *sed contra est.* — [2] Matth. 7.

saltem interpretative, constituat: ergo plures fines simpliciter ultimos, saltem interpretative, potest habere.

Resp. *Nego conseq.* Finis enim ultimus peccantis mortaliter est propria sua delectatio, quæ in omnibus peccatis etiam disparatis una semper et eadem est; ergo semper unum et eumdem finem ultimum intendit. Illa vero creatura, propter quam peccat mortaliter, est duntaxat finis proximus ad quem tendit, et a quo ejus actus specificatur, unde licet illa possit esse multiplex, non tamen propterea potest habere plures fines ultimos simpliciter adæquatos. Solutio est Div. Thom.[1].

Inst. Voluntas, ex hoc quod constituit suum ultimum finem in aliquo, non amittit suam libertatem: ergo postquam constituit aliquis suum finem in aliquo, puta voluptate, potest simul constituere suum finem in alio, puta divitiis.

Resp. *Neg. conseq.* Cum Div. Thom.[2] dicente: *Quod potestas voluntatis non habet ut faciat opposita esse simul, quod contingeret, si intenderet in plura disparata velut in ultimos fines.*

QUÆSTIO III.

DE VERA HOMINIS BEATITUDINE.

Nota. Hactenus diximus de ultimo fine generatim. Nunc dicendum est de speciali ultimo fine, qui est Vera Beatitudo.

Sed quia de Beatitudine sufficienter pertractavimus in *Theologia dogmatica*, tract. *de Deo creatore*, ubi *de futura hominis vita*[3], hic de illa pauca dicemus. Satius est enim moralistis veram artem certasque regulas præbere christicolis ad bene operandum, quam de fructibus operis in

[1] In 4. dist. 42, quæst. 2, art. 2.—[2] 1 2. quæst. 1, art. 5.—[3] Diss. 3, cap. 4, art. 5.

æterna requie fruendis disserere; vel arma Christi militibus præbere ad marte præliandum, quam de corona per victorias percepta discurrere, ideo breviter

Quæres 1. *Quid et quotuplex est Beatitudo?*

Resp. Beatitudo duplex est, alia *viæ*, alia *patriæ*

Beatitudo *viæ* definitur : *Status bonorum aggregatione dotatus, sed non plene perfectus*. Dicitur *non plene perfectus*, quia inquietum est cor nostrum, donec plene requiescat in Deo, qui est omne bonum; sed cor non plene requiescit in Deo nisi in patria : ergo, etc.

Beatitudo *patriæ* definitur a Boetio [1] : *Status omnium bonorum aggregatione perfectus*. Vel cum Div. Thom. [2] : *Bonum perfectum totaliter quietans et satians appetitum.*

Beatitudo alia est *objectiva*, alia *formalis*.

Beatitudo *objectiva*, est ipsum objectum satians appetitum.

Beatitudo *formalis* est actio, quacum summæ voluptatis sensu possidetur objectum beatitudinis.

Quæres 2. *Quodnam est* objectum *Beatitudinis seu Beatitudo* objectiva *hominis?*

Resp. Beatitudo *objectiva* hominis sive in via, sive in patria est solus Deus; ille enim solus est beatitudo objectiva hominis, qui potest omnes hominis facultates plene satiare; atqui Deus solus potest omnes hominis facultates plene satiare : ergo, etc. *Minor probatur* discurrendo per singula omnia bona creata [3]. Ast in hac vita beatitudo non potest esse perfecta, quia *homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis*. In quo autem sistit beatitudo *formalis* in patria, vide *Dogmaticam* loc. cit.

[1] Lib. III *de Consolat.*—[2] 1 2, quæst. 2, art. 8.— [3] Vid. S. Thom., 1 2, quæst. 2, art. 1, 2, 3, 4, 5, 6 et 7.

CAPUT II.

DE NATURA ACTUUM HUMANORUM.

Nota 1. Actus qui ab homine procedunt, sunt *actus hominis* et *actus humanus*.

Actus hominis est ille qui naturaliter procedit ab homine, absque rationis advertentia et libertate, ut dictum fuit in prænotamine *Tractatus;* tales sunt motus *primo primi*. Unde spectatur secundum suum *esse naturale*.

Actus humanus est ille qui procedit ab homine cum rationis advertentia et libertate; unde spectatur secundum suum *esse morale*, porro,

Actus humanus duplex est, *elicitus* nimirum, et *imperatus*.

Actus voluntatis *elicitus* est is qui immediate a voluntate procedit, absque imperio voluntatis; talis est amor, odium, etc.

Actus voluntatis *imperatus* est is qui immediate producitur a potentia ad agendum, mota ex imperio voluntatis.

Dicitur *a potentia*, nempe vel ipsa voluntate sibi imperante, et tunc est actus imperatus et elicitus, ut actus contritionis; vel alia potentia, et tunc est actus voluntatis imperatus tantum, elicitus autem ab alia potentia, ut meditatio, deambulatio, etc.

Nota 2. Quamvis de horum compluribus tractaverimus in *Dogmactica*[1]; nihilominus illa refricare nos non piget, quia moralistis ita sunt necessaria, ut nunquam satis disci possint.

Itaque dicemus : 1° de his quæ constituunt actum humanum; 2° de his quæ minuunt vel destruunt actum humanum, duplici quæstione.

Nota. Cum actus voluntarius in ordine morali de quo hic agitur, sit ille qui producitur a voluntate cum cogni-

[1] Tract. *de Deo creatore*, diss. 3, cap. 3, quæst. 3, art. 1.

tione eorum in quibus est actio, id est circumstantiarum quæ ad actionem pertinent, juxta axioma : *Nihil volitum quod non præcognitum ; Ignoti nulla cupido ;* et cum rationis advertentia et libertate, dicemus 1° de cognitione et potentiis cognoscitivis ; 2° de voluntario; 3° de libero seu de libertate.

ARTICULUS I.

DE COGNITIONE ET POTENTIIS COGNOSCITIVIS.

QUÆRES 1. *Quid est cognitio?*

RESP. Cognitio, prout hic accipitur, *est scientia seu notitia certa, vel intelligentia eorum in quibus sistit moralitas actionis nostræ.*

Differt ab *advertentia,* quæ mentis est reflexio vel introspectus ad ea quæ agimus. Unde cognitio potest esse sine advertentia, sicut pariter advertentia potest esse sine cognitione. Id patet in eo qui plene distrahitur, dum aliquid agit quod bene cognoscit esse licitum, vel mente advertit operando, sed cum ignorantia malitiæ suæ actionis.

QUÆRES 2. *An dubium sit cognitio?*

RESP. *negative.* Nam dubium sive negativum, sive positivum, nescientia potius dicendum est, quam scientia seu cognitio. Nam in utroque casu mens remanet suspensa, defectu motivi quo feratur in alterutram partem, et consequenter ad agnitionem veritatis,permanente dubio, pervenire nequit.

QUÆRES 3. *Quid sit intellectus ?*

RESP. Intellectus, juxta philosophos, *est potentia perceptiva veritatis,*seu *entis sub ratione veri, supra se reflexiva.*

Dicitur *potentia perceptiva,* in quo convenit cum aliis potentiis cognoscitivis, tum spiritualibus, tum corporeis.

Dicitur *veritatis,* seu *entis sub ratione veri,* in quo differt ab aliis potentiis. Nam 1° cæteræ potentiæ cognoscunt objecta particularia, et in illis solum qualitates exteriores

attingunt; cognitio autem intellectus penetrat usque ad essentiam rei. Objectum enim intellectus est *quod quid est;* unde dictus est *intellectus* quasi *intus legens,* quod interius penetret usque ad veritatem, quæ est intima proprietas omnis entis [1].

Dicitur *supra se reflexiva,* quod ipsi soli convenit. Nam, licet aliæ potentiæ cognoscitivæ alia in se cognoscant, seipsas tamen proprie non cognoscunt, v. gr. oculus non videt seipsum nec actum suum dum videt alia; et imaginatio non imaginatur seipsam; intellectus autem seipsum et actus suos percipit, unde vocatur *potentia reflexiva.*

QUÆRES 4. *Quid est voluntas?*

RESP Cum D. v. Thoma, voluntas *est appetitus quidam rationalis, vel inclinatio in bonum, consequens intellectum, id est, in bonum per rationem apprehensum.* Unde ubi est intellectus, ibi et voluntas: porro, quia omne quod est, potest apprehendi ut bonum, ideo quidquid in natura est, potest cadere sub objectum voluntatis; sed quia nullum est objectum ita perfectum, quod in aliquod non deficiat et non possit aliquomodo apprehendi ut malum, ideo voluntas ad nullum particulare necessitatur, sed solum ad bonum in communi. Unde circa talia bona particularia voluntas dicitur *libera,* eo quod possit de actu suo circa illa disponere. Liber enim est, qui de seipso disponit; hinc libertas dicitur proprietas voluntatis. Sed de his in articulo sequenti.

ARTICULUS II.

DE VOLUNTARIO.

QUÆRES 1. *Quid sit voluntarium?*

RESP. Voluntarium *est id quod est a principio intrinseco cum cognitione singulorum in quibus est actio.*

[1] S. Thom., 2 2, quæst. 8, art. 1.

Dicitur 1° *id*, hoc est actio, vel passio, vel omissio; nam omne voluntarium est actus et motus a propria inclinatione et appetitu illius qui movetur et agit.

Dicitur 2° *quod est a principio intrinseco*, nempe a voluntate, ut distinguatur 1° a violento, quod a principio extrinseco procedit; nam quod est a principio extrinseco non procedit ab inclinatione. Ut distinguatur 2° a volito simpliciter, quod non procedit ab aliquo inflexu voluntatis, sed est ejus objectum et terminus extrinsece denominatus a volitione. Sic pluvia est volita ab agricola, non ipsi voluntaria.

Dicitur 3° *singulorum in quibus est actio*, id est, finis et circumstantiarum quæ ad actionem pertinent, quia quidquid est vere voluntarium, debet, qua tale, esse præcognitum. 1° Dixi *finis* : omne enim agens agit et movetur propter finem, ut dictum est supra ; sed entia irrationalia moventur ab alio cognoscente, a quo imprimitur principium seræ motionis in finem; moventur a principio intrinseco quod non movet nisi cum aliqua cognitione finis. 2° Quoad *circumstantias*, quia talis cognitio debet esse practica. Hinc si una circumstantia agentem lateat, actio quoad illam non erit voluntaria ; unde qui percutit Clericum, *injustitiæ, non autem sacrilegii, peccatum committit.*

Quæres 2 *Quotuplex sit voluntarium?*

Resp. Voluntarium dividitur multipliciter.

1° Dividitur in *voluntarium necessarium* et *liberum*.

Voluntarium necessarium est illud quod ita procedit a voluntate ut, positis omnibus ad procedendum prærequisitis, non possit non procedere : talis est amor beatificus ad quem voluntas est determinata ; talis est etiam actus qui procedit ab appetitu cum judicio determinato ad unum, sine potentia ad oppositum, ut in motibus humanis prævenientibus deliberationem rationis.

Voluntarium liberum, quod ita procedit a voluntate ut, positis omnibus prærequisitis, adhuc possit non proce-

dere, quia est indifferentia ad opposita ; tales sunt omnes actiones nostræ deliberatæ, id est, quæ cum cognitione singulorum et plena advertentia aguntur, circa bona creata, seu particularia.

2° Dividitur in *voluntarium perfectum* et *imperfectum*.

Voluntarium perfectum est quod procedit a voluntate cum cognitione singulorum in quibus est actio, sed maxime cum cognitione finis per quam voluntarium perfectum distinguitur a naturali voluntario, ut dictum est supra ; quia voluntarium perfectum convenit soli naturæ rationali.

Voluntarium imperfectum est quod procedit a voluntate ex imperfecta cognitione finis et mediorum ad finem, vel absque cognitione rationis et dignitatis finis et proportionis mediorum ad finem, sed cum sola apprehensione rei quæ finis est, et tunc convenit etiam brutis.

3° Dividitur in *positivum* et *negativum*.

Voluntarium positivum, quod S. Thomas vocat *directum*, est illud quod procedit a voluntate per actum ejus positivum.

Voluntarium negativum quod idem S. Thomas vocat *indirectum*, est illud quod procedit per meram voluntatis omissionem, absque actu positivo, ut omissio Missæ in eo qui advertens ad obligationem illam audiendi, studio se donat absque eo quod dicat positive : *Nolo audire Missam*.

Dixi absque *actu positivo* voluntatis, qui sit de essentiali ejus ratione, non vero sine actu qui sit causa vel occasione ejus. Quod sic explicat S. Thomas [1] : Si in peccato omissionis consideretur id quod per se pertinet ad rationem peccati, sic... aliquando est omissio absque actu tam exteriori quam interiori..; si vero in peccato omissionis intelligantur etiam causæ vel occasiones omittendi, sic necesse est in peccato omissionis esse aliquem actum.

4° Dividitur in *expressum* et *tacitum*.

[1] 1 2, quæst. 71, art. 5.

Voluntarium expressum est illud quod distincte verbo aut alio signo declaratur.

Voluntarium tacitum est illud quod distincte non declaratur, sed ex quoddam facto vel omissione colligitur, juxta hanc regulam 43 Juris: *Qui tacet consentire videtur.* Verum ad illud voluntarium interpretandum discrete procedendum est, propter hanc aliam Juris regulam, quæ est 44: *Is qui tacet, non fatetur, sed neque utique negare videtur.* Addendum est igitur, ut primæ harum regulæ sensus sit genuinus: *quando tenetur et potest loqui.* Hinc

Quæres: *Quandonam taciturnitas consensui æquivalere censeatur?*

Resp. Id dignosci ex duplici tantum capite.

1° Dum aliquid favorabile proponitur, non vero dum quod proponitur est odiosum. Ratio est, quia nemo censendus est recusare quod commodum est, bene autem quod onerosum.

Hinc, si quis pro te præsente nec contradicente, fide jubeat, censeris ratum habere, quia beneficium tibi contulit. E contra, si quis dicat puellæ: Promittisne mihi matrimonium? Quamvis ipsa taceat, non ideo consentire videtur, quia matrimonium est onerosum.

2 Dum qui tacet loqui tenetur, non vero cum loqui non tenetur.

Hinc 1° pater, dominus, superior, qui subditos quos vident delinquere, non corripiunt cum facile possunt, eorum vitia approbare censentur; non autem si taceant, quia prudenter timent, ne ex sua correptione graviora exurgant mala, aut scandala, quia in primo casu loqui tenentur, non in secundo. Hinc illud tritum: *Multa suffert Mater Ecclesia, quæ non approbat.*

Hinc 2° reus qui, a legitimo judice interrogatus, tacet, fateri censetur, quia legitime interrogatus, respondere tenetur [1].

[1] Cap. *Si post de Confessione*, in 6.

5° Dividitur in *directum* seu *in se*, et *indirectum* seu *in alio*.

Voluntarium directum seu *in se*, est illud quod est in seipso volitum, ut si quis inimicum suum pugione mactet.

Voluntarium indirectum seu *in alio*, est illud quod non quidem in se ipso, sed tantum in sua causa est volitum, id est in aliquo actu, vel actus omissione, ex quibus sequitur aliud; eo sensu volita est occisio illius qui libere se inebriat, prævidens se, cum ebrius erit, homicidii capacem fore.

Ad hoc voluntarium indirectum Theologi requirunt tres conditiones. 1° Quod effectus fuerit prævisus, aut debuerit ac potuerit humano modo prævideri secuturus ex tali causa. Porro, ut quis censeatur prævidere potuisse, non sufficit ut media prævidendi fuerint in promptu, sed requiritur etiam ut animadverterit, saltem in confuso, ad obligationem prævidendi, et mediis præstitis utendi. 2° Quod posset. 3° Quod debeat auferre causam et hunc effectum impedire : nam tibi non imputatur effectus præter intentionem tuam secutus, si non teneris auferre causam. Sed e contra, justam habes rationem illam ponendi, ut patebit ex dicendis ubi de cooperatione, tract. *de Virtut...* et tract. *de Justitia*.

Circa voluntarium directum et indirectum

Quæres 1. *Quotuplex est voluntarium directum?*

Resp. Triplex, nempe *actuale, virtuale* et *habituale*.

Voluntarium directum actuale est ipsumet actuale exercitium voluntatis, quod fieri potest dupliciter : 1° *per actum signatum*, dum quis per reflexionem signat actum quem exerciturus est, dicens : *Volo hoc facere*, v. gr. consecrare; 2° *per actum exercitum*, cum quis sine tali reflexione super suum actum, attente agit. Sic sacerdos consecraturus, qui sine reflexione super suum actum, attente et cum plena sui cognitione, profert verba consecrationis, vult consecrare *in actu exercito*.

Voluntarium directum virtuale est voluntarium actuale

quod præcessit ac moraliter perseverat in agente, quandiu non fuit revocatum per contrariam volitionem ; talis est intentio in sacerdote qui, ex voluntate actuali consecrandi, Missam inchoat, sed paulo post ita distrahitur, ut amplius non advertat ad id quod facit ; nihilominus consecrat virtute intentionis quam habuit et quæ moraliter perseverat.

Voluntarium directum habituale est illud quod fuit actu elicitum, nec fuit revocatum, sed est vel somno, vel vino, vel notabili temporis mora interruptum, ita ut non influat in actum humanum, nec per se nec per virtutem relictam ; unde dicit puram concomitantiam habitus alicujus cum actu absque ullo inflexu in actum, et ideo non est proprie aliquod voluntarium.

QUÆRES 2. *Circa voluntarium indirectum, quot requirantur, ut effectus qui ex aliqua causa sequitur sit voluntarius et moralis, id est, ut ad demeritum imputetur?*

RESP. Tria requiruntur, quorum

1° Ut operans prævideat, aut prævidere possit et debeat effectum hunc ex hac causa secuturum esse, vel sequi notum ; quia quod nullatenus potest esse cognitum, nullatenus potest esse voluntarium ; contra quod potuit esse cognitum, est penitus voluntarium, juxta commune effatum : *Scire et debere scire sunt paria.*

Sed *nota* quod nemo debeat scire nisi id ei sit possibile ; ut autem possit scire, debet advertere, saltem in confuso, ad obligationem prævidendi.

Hinc qui sæpius expertus est rixas, blasphemias, pollutiones ex ebrietate sua ortas fuisse, licet de iis, dum vino indulgebat, non expresse cogitaverit, ipsi censentur voluntariæ quia facile potuit et debuit advertere, et est impossibile, si sui fuerit compos, quod non adverterit, saltem in confuso.

2° Ut operans effectum hunc impedire possit ejus causam auferendo ; quia, ut docet Div. Augustinus, nemo

peccat in eo quod vitare non potest; peccatur autem, vitari igitur potest[1].

Hinc graviter peccat mulier, quæ etiam sine prava intentione, et ut morem sequatur, aperto sinu incedens, aliis est occasio ruinæ spiritualis, quia hanc peccati occasionem auferre potest.

3° Ut operans hanc causam auferre teneatur, aut saltem nullum jus habeat eam ponendi, quia nempe nulla subest eam ponendi necessitas, aut utilitas.

Hinc 1° mulier elegantis formæ, sed modestæ, quæ incedens aliis est occasio ruinæ spiritualis, non peccat, quia non tenetur auferre hanc causam domi manendo; nam incedendo, utitur jure suo circa rem de se licitam et honestam.

2° Chirurgus licite mulierem in necessitate curat in secretioribus, licet ex eorum necessario aspectu et tactu prævideat se turpes carnis motus passurum, modo absit periculum consensus. Ratio est, quia non tenetur actionem illam non ponere, aut positam omittere, cum eam ponendi justam habeat causam.

Quæres 3. *Utrum voluntarium perfectum sit idem quod liberum?*

Resp. *negative.* Cum S. Thoma, qui dicit[2]: *Non pertinet ad impotentiam voluntatis, si naturali inclinatione de necessitate in aliquid feratur, sed ad ejus virtutem, sicut grave tanto est virtuosius quanto majori necessitate deorsum fertur. Pertineret autem ad ejus infirmitatem, si ab alio cogeretur.* Ergo ex S. Thoma, voluntarium est perfectum licet necessarium, imo eo perfectius est, quo magis necessarium; ergo voluntarium perfectum non est idem quod liberum.

Confirmatur. Amor est essentialiter voluntarius, cum nihil aliud sit quam inclinatio elicita in objectum amatum, non cæco impetu, sed cum cognitione influente;

[1] Lib. III *de Libero arbitr.*, cap. 18.—[2] Quæst. 22 *de Verit.*, art. 5, ad 2.

atqui amor potest esse perfectissimus, voluntarius simul et necessarius, et cum perfectissima cognitione influente, ut revera est amor beatificus. Ergo voluntarium perfectum non est idem quod liberum.

ARTICULUS III.

DE VOLUNTARIO LIBERO, SEU DE LIBERTATE.

Nota 1. Cum in *Dogmatica* strenue contra hæreticos propugnaverimus ea quæ de fide sunt circa libertatem hominis, hic tantum seligimus ea quæ in hac materia magis utilia, quæque scitu necessaria ad praxim existimantur. Unde

Nota 2. Duplex est radix libertatis, alia *extrinseca*, alia *intrinseca*.

Radix *extrinseca* libertatis est summa efficacia divinæ voluntatis ex S. Thoma, quia Deus est causa universalissima omnis entis ejusque modorum omnium perfectio.

Radix libertatis *intrinseca* est triplex. *Prima* et *remota* est ipsa immaterialitas naturæ intellectualis propter quam intellectus potest omnia cognoscere, de iis quæ fugienda et prosequenda judicare, atque supra seipsum judicium reflectere.

Secunda et *propinquior* est ipsa universalitas intellectus, in cognoscendo et judicando de omnibus.

Tertia et *proxima* est capacitas voluntatis ad omne et universale bonum in communi et in particulari, propter quam voluntas habet dominium super suos actus, ac jus ponendi de illis ad nutum, in quo formaliter consistit libertas arbitrii.

Nota 3. Liberum arbitrium definitur ex S. Thoma[1]; *quod est causa sui*, quia libertas opponitur servituti et subjectioni, ut mox notabimus.

[1] Quæst. 24 *de Veritate*, art. 1.

Libertas autem arbitrii definitur ex eodem S. Doctore: *Vis electiva mediorum, servato ordine finis.*

Dicitur *vis*, id est facultas, seu potentia.

Dicitur *electiva*, quia liberum arbitrium consistit in uno accipiendo, altero recusato.

Dicitur *mediorum*, quia proprie loquendo finis ut finis est, non eligitur, sed media tantum ad illum. Nam finis se habet in operabilibus, sicut principium in speculabilibus; unde sicut non est conclusio de principiis sed de consequentibus ad illa, ita electio non est de fine, qua tali, sed de mediis ad illum [1].

Dicitur *servato ordine finis*, quia liberum arbitrium se habet ad eligendum ea quæ sunt ad finem, sicut intellectus ad conclusionem; atqui pertinet ad intellectum ut in diversas conclusiones procedere possit secundum principia data, et cum ab iis deflectit hoc est ex defectu ipsius; ergo similiter pertinet ad liberum arbitrium ut diversa eligere possit, servato ordine finis, et cum ab illo deflectit divertendo ab ordine finis, hoc est ex defectu ipsius; unde patet potentiam peccandi non esse de essentia libertatis, sed esse ejus nœvum.

Sequens tamen circumfertur libertatis definitio, nempe: *Facultas quæ, positis omnibus ad agendum prærequisitis, potest agere vel non agere.*

Nota 4. Libertas, secundum vim nominis, idem est ac immunitas a servitute, et ideo totuplex est libertas, quotuplex est servitus; atqui quadruplex est servitus, peccati scilicet, miseriæ, coactionis et necessitatis simplicis: ergo, etc.

Libertas a peccato habetur per gratiam, redditque hominem sanctum. *Libertas a miseria* habetur per gloriam, redditque hominem beatum. *Libertas a coactione* habetur per spontaneitatem, redditque hominem sponte volentem.

[1] Billuart, *de Act. hum.*, diss. 2, art. 1.

Libertas a necessitate simplici habetur per indifferentiam voluntatis, redditque hominem perfecte liberum; de duobus ultimis hic agimus.

Libertas a coactione, seu *spontaneitatis*, est *immunitas ab omni violentia contra voluntatis propensionem ab extrinseco illata*. Hæc dicitur *essentialis*, quia est inseparabilis ab homine, cujus voluntas non potest cogi quoad actus suos internos, et convenit omni qui non coacte, sed sponte agit, etiamsi necessario agat; hoc sensu Pater in divinis libere generat Filium.

Libertas a necessitate simplici, quæ etiam *electionis, indifferentiæ* et *arbitrii* dicitur, eo quod per illam unum præ alio eligi possit, et *accidentalis*, eo quod in homine esse et abesse possit, vulgo definitur: *potentia activa quæ, positis omnibus ad agendum prærequisitis, potest ex se agere, vel non agere, aut hoc agere vel ejus contrarium*. Explico:

Dicitur 1° *Potentia activa:* voluntas nempe, quæ *a Deo mota et excitata cooperatur assentiendo Deo vocanti et excitanti*[1], ut definivit Concilium Tridentinum.

Dicitur 2° *Quæ positis omnibus, etc.* Si enim unum ex prærequisitis ad agendum desit, profecto in actum potentia prorumpere nequit.

Dicitur 3° *Potest ex se*, id est non ab alio determinante, sed ex sua propria determinatione, cum voluntas sit potentia suorum actuum domina et arbitra.

Dicitur 4° *Potest agere vel non agere*, v. g. amare vel non amare, et est libertas *contradictionis* et *exercitii*.

Dicitur 5° *Aut hoc agere vel ejus contrarium*, v. g. eligere bonum vel malum, virtutem vel vitium, et est libertas *contrarietatis* seu *specificationis*.

Nota 5. Libertati opponitur *necessitas*, quæ est determinatio ad unum, et multipliciter dividitur:

1. In necessitatem *antecedentem* seu *absolutam*, quæ

[1] Sess. 6, can. 6.

etiam *consequentis* dicitur ; et in necessitatem *consequentem* seu *conditionatam*, quæ etiam *consequentiæ* dicitur.

Necessitas antecedens est ea quæ, vel rationis et voluntatis usum antecedit, ut fit in motibus primo primis, et dicitur involuntaria seu indeliberata ; vel quæ, licet fiat ex plena rationis advertentia, sic tamen voluntatis consensum indeclinabiliter antecedit, ut eum invincibiliter et insuperabiliter exprimat, sive *immutabiliter*, qualis est necessitas amandi Deum intuitive visum ; sive *mutabiliter et transitorie*, qualis in sententia Jansenii inducitur ex delectatione relative superiori; sive ad malum, cui voluntas nec unquam vult, vel velle potest resistere relative, id est in his quibus versatur circumstantiis.

Necessitas consequens est ea, quæ liberam voluntatis determinationem sequitur; tali necessitate necesse est me loqui, si ad loquendum me determinaverim.

2. Dividitur in necessitatem *specificationis*, et *exercitii*.

Necessitas specificationis, est determinatio facultatis ad objectum, ita ut in oppositum ferri non possit, sic Christus ita ad bonum erat determinatus ut non potuerit peccare.

Hæc necessitas *specificationis* ad unum non impedit libertatem *exercitii*, circa idem ; sic Christus qui ratione suæ impeccabilitatis determinatus erat ad bonum, liber tamen fuit quoad exercitium in hoc vel illo bono prosequendo.

Necessitas exercitii, est determinatio facultatis ad actum, ita ut ab isto actu non possit abstinere : sic Deus ab amore sui non potest abstinere.

Hæc necessitas *exercitii* circa unum, non impedit libertatem circa aliud : sic Deus libere amat creaturas.

3. Dividitur in necessitatem *physicam* et *moralem*.

Necessitas physica, est antecedens et naturalis ad unum determinatio, qua voluntas ita vult unum, ut aliud hic et nunc velle non possit.

Necessitas moralis, est summa difficultas vel operandi bonum, vel abstinendi a malo, quæ tamen actu et de facto vinci potest, qualis ex inveteratis habitibus contrahitur.

Nota 6. Totam et integram servari libertatem arbitrii cum sola indifferentia contradictionis, dempta indifferentia contrarietatis ad malum, quæ ad naturam et perfectionem libertatis non pertinet, imo potius ad ejus defectum et imperfectionem, juxta illud Div. Thom.[1] *quod liberum arbitrium eligat, divertendo ab ordine finis, hoc pertinet ad defectum libertatis.* Nam Deus est liber erga creaturas, quamquam malum agere non possit. Unde cum apud Scripturam et Patres liberum arbitrium describitur per indifferentiam ad bonum et malum, tunc non describitur per id quod est essentiale illi generatim sumptæ, prout Deo, Angelis, et hominibus convenit; sed per merum statum illi accidentalem, quem scilicet habet in hominibus viatoribus; quorum voluntas ad bonum et malum est flexibilis.

Nota 7. Subjectum libertatis aliud esse *mediatum*, seu denominationis, et est omnis et sola natura intellectualis, cum liberum arbitrium supponat eminentem quemdam cognoscendi modum, qui non reperitur nisi in naturis intellectualibus. Aliud *immediatum*, et est sola voluntas; nam liberum arbitrium ad illam solam facultatem pertinet cujus est eligere, cum actus proprius liberi arbitrii sit electio; atqui solius voluntatis est eligere, cum eligere nihil aliud sit quam unum velle præ alio, vel unum velle potius quam nolle: ergo, etc.

Potest tamen dici quod libertas arbitrii sit in intellectu, non quidem *formaliter*, cum intellectus non sit facultas electiva et actuum suorum domina, sed *radicaliter*, quatenus ad actum liberum requiritur indifferentia judicii, hoc est tale rationis judicium, quo voluntati objectum pro-

[1] P. 1, quæst 62, art. 8 ad 3.

ponitur ut non necessario, sed libere et indifferenter amandum, nempe propter varias boni et mali species, quæ nobis in propositis objectis permixtæ in hac vita repræsentantur, juxta Div. Thom.[1] dicentem : *Ex hoc enim voluntas libere potest ad diversa ferri, quia ratio potest habere diversas conceptiones boni*. Sed

Quærunt hic Theologi : *Utrum voluntas a judicio intellectus practico determinetur?* Ad quod

Resp. *Negat.* Nam ideo voluntas est libera, quia, positis omnibus ad agendum prærequisitis, potest agere vel non agere : sed unum ex prærequisitis ad agendum, ipsum est judicium practice practicum ; nam absque prævia objecti cognitione non solum voluntas non operatur, sed nec operari potest : ergo vel voluntas non est libera, vel, posito judicio practice practico dictante conveniens esse hic et nunc objectum amare, vel suspendere actum amoris, potest amare vel non amare.

Nec dicas : Voluntas nunquam agit contra judicium intellectus practice practicum : ergo ab illo determinatur.

Resp. *Nego ant.* Posito enim quocumque antecedente judicio, voluntas semper manet libera in eligendo.

Inst. Si voluntas posset quidquam eligere contra judicium intellectus practice practicum, peccatum esset in voluntate sine errore in intellectu ; atqui falsum consequens ex isto Prov. : *Errant qui operantur malum* ; et ex isto effato : *Omnis peccans est ignorans :* ergo, etc.

Resp. *Nego min.* Ad textus *dist.* : qui operantur malum, errant male judicando, *nego ;* male eligendo, *conc.* textum, qui aperte loquitur de errore *malæ electionis*, ut ait Div. Thom. [2].

Nota 8. Multi circa humanam libertatem erraverunt, nam,

[1] Lib. IV *de Statu nat. lapsæ*, cap. 24. — [2] 1 2, quæst. 6, art. 8 *in corp.*

1. Ex Veteribus, Stoici qui ex fato, Astrologi qui ex siderum influxu, Manichæi qui ex concreata animæ duplici bonitate vel malitia, omnia fieri docuerunt, hominibus liberum arbitrium ademerunt.

2. Ex Novatoribus, humanæ libertati bellum præcipue indixerunt Lutherus, Calvinus, Baius et Jansenius, qui omnes in eo consentiunt, quod rejiciant libertatem indifferentiæ, et solam agnoscant libertatem a coactione, quam libertatem sufficere ad liberum arbitrium contendit Jansenius dicens [1]: *Satis est quod plena voluntate feratur in malum, sive ab ista diligendi mali necessitate se expedire possit, sive non possit;* et sic liberum arbitrium voce tenus retinet, rem vero ipsam et dogma catholicum rejicit; qui errores ut statim configantur, quærendum nobis est

1° Utrum ad liberum arbitrium sufficiat libertas a coactione.

2° Utrum ad merendum vel demerendum in statu naturæ lapsæ, requiratur libertas a necessitate etiam simplici, seu invincibili ad unum determinante.

3° Utrum homo lapsus habeat libertatem a necessitate, et indifferentiam ad utrumlibet. His positis,

CONCLUSIO I.

Ad liberum arbitrium non sufficit libertas a coactione, sed requiritur libertas a simplici necessitate. Est contra Jansenium.

Prob. 1. Auctoritate summorum Pontificum Pii V, Gregorii XIII et Urbani VIII, a quibus damnatæ sunt hæ propositiones Baii : *Quod voluntarie fit, etiamsi necessario fiat, libere tamen fit. Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.* Ergo liberum arbitrium non consistit in solo voluntario, seu quod idem est, ad libertatem arbitrii ad meren-

[1] Lib. IV *de Statu nat. lapsæ*, cap. 24. — [2] Lib. VI *de Grat. Christi per totum.*

dum vel demerendum necessariam, non sufficit sola libertas a coactione.

PROB. 2. Quia ea sola potentia est libera libertate arbitrii, quæ, positis omnibus ad agendum prærequisitis, potest agere et non agere : ergo ea potentia libera non est libertate arbitrii, quæ positis omnibus ad agendum prærequisitis, non potest actum suum suspendere, sed invincibili necessitate ad unum determinatur ; nec refert quod illa necessitas sit fluxa et transiens, quia perinde reddit suspensionem actus impossibilem, ac si esset perpetua et immutabilis.

PROB. 3. Liberum arbitrium ex Div. Thom.[1] est *vis electiva mediorum* ; sed vis electiva non potest subsistere cum antecedenti necessitate, et intrinseca ad unum determinatione, ex eodem Div. Thom. dicente[2] : *Cum electio sit præacceptio unius respectu plurium quæ eligi possunt; et ideo in his quæ sunt determinata ad unum, electio locum non habet* : ergo liberum arbitrium non potest subsistere cum necessitate antecedente, etiam simplici et voluntaria.

PROB. 4. Ad libertatem arbitrii essentialiter requiritur ut agens sit dominus suorum actuum, juxta illud Apostoli[3] : *Non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis* ; atqui per solam libertatem a coactione voluntas non est domina suorum actuum, cum sit ad unum determinata : nam ex Div. Thom.[4] : *Dominium quod habet voluntas supra suos actus, per quod in ejus potestate est velle vel non velle, excludit determinationem voluntatis ad unum, et violentiam causæ exterius agentis*. Et ex Div. August.[5] *Hoc quisque habere in potestate dicitur, quod si vult facit, si non vult non facit.*

[1] 1 p , quæst. 61, art. 8.— [2] 1 2, quæst. 13, art. 2.— [3] I Cor. 7.— [4] Lib. 1 *contra Gentes*, cap. 68. — [5] *De Spiritu et Littera*, cap. 31.

CONCLUSIO II.

Ad merendum vel demerendum in præsenti statu naturæ lapsæ, requiritur libertas indifferentiæ, seu a simplici necessitate, nec sufficit libertas a coactione.

Est de fide contra Jansenium ; cujus hæc propositio : *Ad merendum et demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione,* damnata est ab Innocentio X ut hæretica : ergo nostra propositio huic contradictoria est de fide. Præiverant Summi Pontifices Pius V, Gregorius XIII et Urbanus VIII, qui damnarunt hanc Baii prop. : *Homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod necessario facit.*

Prob. 1. *Ex Script.* [1]. *Beatus... qui potuit transgredi et non est transgressus, facere mala et non fecit, ideo stabilita sunt bona illius in Domino.*

Hæc exprimit Scriptura libertatem requisitam ad laudabilitatem et rationem meriti, et illam constituit in eo quod quis non transgrediatur mandata, cum posset transgredi, nec mala faciat, cum posset facere : hoc est in eo quod sine antecedenti necessitate mandata servandi et mala vitandi, mandata servet et mala vitet : ergo ad merendum requiritur libertas indifferentiæ.

Prob. 2. *Ex Patribus,* maxime ex Div. August. quem unum pro cæteris omnibus habent Jansenius et Discipuli. *Prob.* inquam, sic :

Div. August. excludit ab homine lapso omnem necessitatem ad bonum vel ad malum determinantem : ergo, etc.

Prob. ant. 1. Div. August.[2] hæc verba Div. Hieron.[3] referens : *Liberi arbitrii nos condidit Deus, nec ad virtutem, nec ad vitia necessitate trahimur ; alioquin ubi necessitas est, nec damnatio, nec corona est,* illa approbat dicens: *Quis non agnos-*

[1] Eccl. 31. — [2] Lib. *de Nat. et Grat.*, cap. 65. — [3] Lib. II *contra Jovin.*

cat ? quis non toto corde suscipiat ? quis aliter conditam humanam negat esse naturam ? sed in recte faciendo ideo nullum est vinculum necessitatis.

2. Div. August. contra Faustum [1] ait : *Liberum arbitrium quo vel bene, vel male vivitur, propter justum judicium Dei, ab omni necessitatis vinculo vindicamus.*

3. Lib. *de gratia et lib. arbitr.*, cap. 4 ait : *Si dixerit homo) volo servare præcepta, sed vincor a concupiscentia mea : respondet Scriptura libero ejus arbitrio : Noli vinci a malo, sed vince in bono malum.*

4. Lib. 3 *de lib. arbitr.* cap. 18, *Quæcumque*, inquit, *ista causa est voluntatis, si non ei potest resisti, sine peccato ei* (causæ) *cedit ur : si autem potest* (resisti), *non ei cedatur et non peccabitur : quis enim peccat in eo quod nullo modo caveri potest ? peccatur autem ; caveri igitur potest.*

Porro, in citatis testimoniis Div. August. a libertate arbitrii exclud t omnem prorsus necessitatem, ac proinde illam simplicem quam Jansenius ex motione indeliberata vel dominantis gratiæ, vel dominantis cupiditatis oriri arbitratur.

PROB. 3. *Ex Div. Thom.*, quem ideo addo Augustino, quia Jansenianicum perpetuo adjungunt ipsi Augustino. Itaque,

Quæst. 6 *De malo, articulo unico* ait : *Quidam posuerunt quod voluntas hominis ex necessitate movetur ad aliquid eligendum, nec tamen ponebant quod voluntas cogeretur ; non enim omne necessarium est violentum, sed solum id cujus principium est extra. Hæc autem opinio est hæretica, tollit enim rationem meriti et demeriti in humanis actibus ; non enim videtur esse meritorium vel demeritorium quod aliquis sic ex necessitate agit, quod vitare non possit ; est etiam annumeranda inter extraneas philosophiæ opiniones ; quia non solum contrariatur fidei, sed subvertit omnia principia philosophiæ moralis. Si enim non sit liberum aliquid in nobis, sed ex necessitate movemur ad volen-*

[1] Lib. II, cap. 5.

dum, tollitur deliberatio, exhortatio, præceptum et punitio, et laus et vituperium.

Integrum hunc textum ideo retuli, quia decretorium prorsus est adversus errorem Jansenii ; manifeste enim distinguit sanctus Doctor simplicem necessitatem a coactione, contenditque esse hæresim admittere in voluntate talem necessitatem, qua fiat ut homo vitare aliquid non possit : sic enim omnis meriti vel demeriti ratio tollitur.

Prob. *4 ratione.* Quia ut quis mereatur vel demereatur, debet habere dominium suæ actionis, et de ea disponere prout vult ; atqui agens ex necessitate etiam simplici, non habet dominium suæ actionis, nec de ea potest disponere prout vult tanquam dominus : ergo agens ex necessitate etiam simplici non potest mereri nec demereri.

CONCLUSIO III.

Homo lapsus est liber ad bonum et malum, non solum libertate a coactione, sed etiam necessitate simplici antecedente.

Est contra Jansenium, qui docet in præsenti statu naturæ lapsæ hominem nunquam bonum aut malum operari ex propria determinatione, sed solum sponte et non coacte prout a delectatione cœlesti ad bene, vel a delectatione terrena ad male agendum prædeterminatur. Idem prius docuerant Lutherus et Calvinus ; itaque

Prob. 1. *Ex Script.* [1] ubi Deus sic Cain alloquitur : *Quare iratus es ? et cur concidit facies tua ? nonne si bene egeris recipies* (mercedem boni operis) *? sin autem male, statim in foribus peccatum aderit ? sed sub te erit appetitus ejus,* scilicet peccati, *et tu dominaberis illius,* certe appetitus. Quid clarius pro arbitrii libertate dici potuit ? unde textum Jerosolymitanum ita vertit : *In manum tuam tradidi potestatem concupiscentiæ tuæ, et tu dominaberis ei, sive ad bonum, sive ad malum.*

[1] Gen. 4.

Eccl. 15. *Deus ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui. Adjecit mandata et præcepta sua ; si volueris mandata servare, conservabunt te.. apposuit tibi aquam et ignem ; ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita et mors, bonum et malum ; quod placuerit ei, dabitur illi.* Eo loci vera exprimitur libertas a necessitate, etiam simplici et voluntaria ; atqui hic locus non debet restringi ad Adam ante lapsum, ut restringitur a Calvino ; nam Ecclesiasticus Judæos tunc viventes increpat quod dicerent per Deum stare quominus ipsi bene ac sapienter vitam instituerent ; *non dixeris,* inquit, *per Deum abest : quæ enim odit, ne feceris.* Unde S. August.[1], post relata Ecclesiastici verba, statim addit : *Ecce apertissime videmus expressum liberum humanæ voluntatis arbitrium.*

Deuter. 30. Moyses Israelitas sic alloquitur: *Testes invoco hodie cœlum et terram, quod proposuerim vobis vitam et mortem, benedictionem et maledictionem ; elige ergo vitam, ut et tu vivas et semen tuum.*

Ex quo sic argumentor : homo lapsus potest eligere vitam vel mortem : ergo est liber ab omni necessitate antecedente, etiam simplici et voluntaria. Dicat enim Jansenius, quomodo potest vitam vel mortem eligere qui alterutrum necessitate ex delectatione superiori, eaque indeliberata profluente, determinatur ?

Prob. 2. *Ex August.*[2] dicente : *Esse liberum arbitrium, atque inde peccare quemque si velit, non peccare si nolit... audi Dominum dicentem* : Aut facite arborem bonam et fructum ejus bonum : aut facite arborem malam et fructum ejus malum ; *cum ergo dicit, aut hoc facite, aut illud facite, potestatem* (id est libertatem) *indicat, non naturam... habet unusquisque in voluntate aut eligere quæ bona sunt et esse arbor bona, aut eligere quæ mala sunt et esse arbor mala.*

[1] Lib. *de Grat. et lib. arbitr.*, cap. 2. — [2] Lib. II *de Actis cum Felice Manich.*, cap. 3.

Quid clarius?

PROB. 3. *Ex Conc. Trid.*, sess. 6, can. 5. definiente : *Si quis liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum et extinctum esse dixerit .., anathema sit* ; quo canone percellitur sententia Lutheri et Calvini ; atqui Lutherus et Calvinus asserebant amissam esse libertatem a necessitate simplici, nec unquam negarunt inesse homini lapso libertatem a coactione, ut constat ex Luthero [1] dicente : *Mera lubentia, pronitate, ac sponte sua vult et facit* voluntas nostra ; et Calvino [2]: *Si coactioni apponitur libertas, liberum esse arbitrium et fateor, et constanter assevero : si hoc, inquam, sensu liberum vocetur, quia non cogatur, et violenter trahatur externo motu, sed sponte agatur sua, nihil moror.* Ergo liberum arbitrium quod Concilium definit non esse amissum, est libertas ab omni necessitate simplici antecedente intrinseca, etiam voluntaria, non autem libertas a coactione.

Confirmatur ex præcedenti conclusione ; si enim ad merendum vel demerendum in statu naturæ lapsæ necessaria est libertas indifferentiæ, cum aliunde certum sit fide divina quod homo in statu præsenti possit mereri et demereri, et reipsa mereatur et demereatur, ut fatentur adversarii, sequitur quoque esse certum fide divina quod homo in præsenti statu habeat libertatem indifferentiæ.

QUÆSTIO II.

DE IIIS QUÆ DESTRUUNT ACTUM HUMANUM, SEU DE INVOLUNTARIO, ET EJUS CAUSIS.

Nota. Cum ex dictis ad voluntarium duo requirantur, scilicet principium intrinsecum, nempe voluntas ex inclinatione operans, et cognitio dirigens operationem, oportet quod oppositum ejus, nempe involuntarium, proveniat, vel a principio extrinseco, ut contingit in his, quæ ex

[1] Lib *de Servo arbitr.*, fol. 434. — [2] Lib. II *contra Pighium.*

violentia, vel metu fiunt; vel ab extrinseco quidem, sed sine cognitione; cum nempe tollitur, aut turbatur cognitio, prout contingit in his quæ fiunt per passionem aut ignorantiam.

Involuntarium duplex est, scilicet *involuntarium simpliciter*, et *involuntarium secundum quid*.

Involuntarium simpliciter, est id quod fit totum a principio extrinseco, vel sine cognitione, et cui voluntas nullatenus consentit Talis est motus concupiscentiæ, qui voluntate toto affectu renitente, insurgit.

Involuntarium secundum quid, est illud quod voluntas repudiat in se consideratum, acceptat vero circumstantiis vestitum. Ejusmodi est projectio mercium facta à mercatore metu naufragii, quæ est secundum quid involuntaria; nam secundum se displicet: sed spectata ut necessaria ad vitam conservandam, magis et efficaciter placet; unde *involuntarium secundum quid* vocatur proprie voluntarium mixtum involuntario, quia voluntas illud efficaciter vult, sed cum displicentia.

Nunc sigillatim prosequendæ sunt involuntarii causæ quæ quatuor recensentur, nimirum *violentia, metus, passio*, seu *concupiscentia*, et *ignorantia*.

ARTICULUS I.

AN ET QUANDO VIOLENTIA CAUSET INVOLONTARIUM.

Nota. Violentum, ut sumitur indiscriminatim pro coacto definitur: *Id quod est a principio extrinseco, in contrarium resistente passo.* Quod si passum extrinseco agenti totis viribus resistat, prout hic et nunc potest et debet, dicitur *pati violentiam absolutam*: si vero resistat aliquo modo, sed non omnino quantum potest et debet, dicitur *pati violentiam secundum quid*.

Dixi *ut sumitur indiscriminatim pro coacto*: quia, licet violentum et coactum confundi soleant, tamen in hoc di-

stinguuntur, quod coactum dicatur de solis agentibus animatis cognitione præditis, et opponatur spontaneo ; violentum vero dicatur etiam de inanimatis : sic motus lapidis sursum projecti dicitur violentus, non vero coactus.

Dicitur 1° *Id quod est a principio extrinseco* : nemo enim sibimetipsi vim infert proprie dictam, alioquin simul vellet et nollet, quod est impossibile.

Dicitur 2° *In contrarium resistente passo* : quia non sufficit ad violentum, ut quis se mere negative habeat, alioquin justificatio parvulorum foret violenta, sed requiritur ut actualiter aut virtualiter reluctetur. Hinc, si mulier oppressa mere passive se gerat, nec probando, nec reprobando stuprum illatum, non dicitur vim pati, et peccati rea tenebitur. Itaque sit

CONCLUSIO I.

Violentia absoluta voluntarium omnino tollit : violentia vero secundum quid minuit dumtaxat.

Prob. prima pars. Quia actio quæ fit a principio extrinseco contra omnem voluntatis resistentiam, est penitus involuntaria ; atqui actio quæ fit per violentiam absolutam, fit a principio extrinseco contra omnem voluntatis resistantiam : ergo est penitus involuntaria.

Prob. secunda pars. Quia, cum voluntas non omnimodo resistit, remanet in ea aliqua ratio voluntarii ; atqui cum violentia non nisi secundum quid infertur, voluntas non resistit omnimodo : ergo, etc.

Hinc, si mulier interius exteriusque pro viribus resistens, stupretur, non peccat ; si vero interius resistat actum nempe reprobando, sed non resistit exterius, quantum potest et debet, nempe fugiendo, repugnando, clamando, peccati rea efficitur.

CONCLUSIO II.

Voluntas cogi non potest quoad actus elicitos, bene vero quoad actus imperatos [1].

PROB. PRIMA PARS. Actus elicitus voluntatis est essentialiter voluntarius: ergo non potest esse coactus. *Prob. conseq.* Voluntarium et coactum ex natura rei opponuntur: ergo actus voluntarius non potest esse coactus. *Prob. ant.* Id quod est a principio intrinseco, juxta inclinationem patientis, ex natura rei opponitur ei quod est a principio extrinseco contra inclinationem patientis; atqui voluntarium est a principio intrinseco, juxta inclinationem voluntatis, coactum vero est a principio extrinseco, contra inclinationem voluntatis: ergo voluntarium, et coactum ex natura rei opponuntur: ergo actus essentialiter voluntarius non potest esse coactus.

PROB. SECUNDA PARS. Experientia, qua constat aliarum potentiarum actus posse et exerceri, vel impediri contra inclinationem voluntatis, v. g. homini nolenti videre, possunt oculi per vim aperiri, in quo casu visio illa violenta respectu voluntatis, quæ illi reniteretur, et quæ talem actum non imperaret, licet alias solet illum imperare.

DICES 1. Deus in voluntate Petri, omnino inclinata in odium inimici, potest producere ejusdem inimici amorem; atqui in hac hypothesi voluntas Petri cogitur ad amorem inimici: ergo, etc.

Prob. min. Ille cogitur ad amorem inimici, qui amat inimicum contra inclinationem suam præsentem; atqui Petrus amat inimicum contra inclinationem suam: ergo, etc.

RESP. *Dist. maj.* Ille cogitur ad amorem, qui amat inimicum contra inclinationem suam præsentem, *conc.;* præteritam, *nego maj.* et sic distincta min. *nego conseq.*

Cum igitur Deus voluntatem immutet, ait Div. Thomas[2], *facit*

[1] Div. Thom., 1 2, quæst. 6, art. 3.—[2] Quæst. 22 *de Veritate*, cap. 8.

ut præcedenti inclinationi succedat alia inclinatio, ita ut prima inferatur, et secunda maneat ; unde illud, ad quod inducit voluntatem, non est contrarium inclinationi jam existenti, sed inclinationi quæ prius inerat ; unde non est violentia, nec coactio.

DICES 2. Actus peccati est violentus homini: ergo homo patitur violentiam in aliquo actu elicito.

Prob. ant. Quod est contra naturalem hominis inclinationem, est violentum homini ; atqui actus peccati est contra naturalem hominis inclinationem : ergo, etc.

RESP. *Dist. maj.* Quod est contra naturalem hominis inclinationem adæquatam, est violentum homini, *conc.;* inadæquatam et partialem, *nego maj.;* atqui actus peccati est contra hominis inclinationem partialem, *conc.;* adæquatam, *nego min.*

Itaque voluntatis inclinatio *partialis* est ea quam, ut rationalis est, habet ad bonum honestum et rationi consonum ; inclinatio vero *adæquata* est ea, quam habet voluntas ad bonum in communi, prout abstrahit a bono vero vel apparenti. Equidem voluntas potest aliquid velle contra inclinationem suam partialem, et sic vult peccatum ; sed non ideo vim patitur, quia tunc vult peccatum sub ratione boni apparentis, quod est intra suum objectum totale est adæquatum, et ideo non repugnat suæ inclinationi.

ARTICULUS II.

AN ET QUOMODO METUS CAUSET INVOLUNTARIUM.

Nota 1. Metus ab Ulpiano Leg. 5. ff. *Quod metus causa,* sic definitur : *Trepidatio mentis, causa imminentis vel futuri periculi.* Ejus autem divisio utilius tradetur, tomo sequenti in tractatu *de Contractibus.*

Nota 2. Hæc duo distingui : *fieri ex metu, et fieri cum metu.* Fieri *ex metu,* est metum causam esse aliquid fa-

ciendi; talis est metus mortis, ad quam vitandam viator dat latroni pecuniam suam. Fieri *cum metu*, est metum non causare, sed tantum comitari actionem; talis est metus suspendii in latrone, quo non obstante furatur.

Nota 3. Nulli dubium est, quin ea quæ fiunt cum metu vel ex metu, tam absolute quam relative levi, sint plene voluntaria; et ideo quæstio debet intelligi de iis quæ fiunt ex metu gravi, saltem relative. Hinc sit

CONCLUSIO.

Quæ fiunt ex metu, sunt, per se loquendo, simpliciter et absolute voluntaria, et involuntaria secundum quid, si fiant ex metu naturali.

PROB. 1. Quod est volitum efficaciter et absolute, nolitum vero inefficaciter et conditionate solum, est voluntarium simpliciter, et involuntarium secundum quid; atqui opus factum ex metu est volitum efficaciter et absolute, et nolitum inefficaciter et conditionate solum, ut patet in prædicto exemplo projectionis mercium : ergo est voluntarium simpliciter et involuntarium secundum quid.

Dixi 1° *Per se loquendo*; quia aliquando, raro tamen, evenit ut actio ex metu facta, sit penitus voluntaria, cum nempe malum imminens ita hominem perturbat, ut tollat cognitionem ex parte mentis, et electionem ex parte voluntatis, quod ex circumstantiis dijudicandum est.

Dixi 2° Quæ fiunt ex metu esse involuntaria secundum quid, *si fiant ex metu naturali*; quia, qui ex metu supernaturali gehennæ vult abstinere ab omni peccato, vult etiamsi metus sit efficax, abstinere ab omni affectu ad peccatum, et sic vitatio peccati ex metu supernaturali gehennæ est ita voluntaria, ut nullo modo sit involuntaria propter affectum inefficacem non abstinendi a peccatis, quamvis efficaciter determinet ad oppositum.

Nec dicas : Metus naufragii, quamvis efficax, non excludit affectum inefficacem retinendi merces, ad qua-

rum projectionem determinat : ergo similiter metus gehennæ non excludit affectum inefficacem non abstinendi a peccatis, quamvis efficaciter determinet ad illorum detestationem.

Resp. *Nego conseq.* Disparitas est quod naufragium vitari possit, retento affectu inefficaci non projiciendi merces, cum depositio talis affectus non sit medium necessarium ad obtinendum finem. E contra malum gehennæ vitari non potest, retento affectu ad peccatum, quia ejusmodi affectus est peccatum ; et ideo metus gehennæ non potest efficaciter determinare ad vitandam gehennam, quin determinet etiam efficaciter ad deponendum omnem affectum ad peccatum ; non enim potest esse voluntas efficax circa finem, nisi sit etiam efficax circa media ad finem obtinendum necessaria.

Objicies 1. Matrimonium et votum solemne, ex metu gravi celebrata sunt invalida : ergo, quæ fiunt ex metu, non sunt voluntaria simpliciter.

Resp. *Dist. ant.* Sunt invalida jure ecclesiastico, *conc.*; jure naturali, *trans. ant. et nego conseq.* Nam non ideo sunt invalida, quod sint involuntaria, sed quod lex ecclesiastica ea irritet, vel ex alio capite.

Objicies 2. Quod excusat a culpa, tollit voluntarium ; atqui metus gravis excusat a culpa eum qui legem Dei, vel Ecclesiæ transgreditur : ergo, etc.

Resp. *Dist. min.* Metus gravis excusat a tanta culpa, *conc.*; a tota culpa, *nego min. et conseq.* Itaque metus gravis non excusat a tota culpa, cum id quod ex eo fit, sit voluntarium simpliciter, sed excusat a tanta culpa, quia quod fit ex metu, fit cum minori voluntatis propensione ; gravitas autem, aut levitas peccati a majori vel minori voluntatis propensione ortum habet.

Inst. Qui metu præsentis mortis sabbati legem non observat, immunis est a peccato : ergo metus gravis excusat a toto peccato.

Resp. 1° *Retorq.* Qui metu præsentis mortis mentitur, fornicatur, etc., non est immunis a peccato: ergo metus gravis non excusat a toto peccato; ideo,

Resp. 2° *Dist. ant.* Qui metu præsentis mortis sabbati legem non observat, immunis est a peccato ex eo quod metus tollet voluntarium et sufficientem consensum, *nego;* ex eo quod præcepta affirmativa non obligent, cum adest metus gravis, *conc. ant. et nego conseq* Neque enim fuit mens Dei et hominum, cum tanto incommodo obligare ad observationem præceptorum affirmativorum.

Prob. 2. Illud quod est voluntarium hic et nunc in se et præcisis circumstantiis concurrentibus, est voluntarium simpliciter et involuntarium secundum quid; atqui quod fit ex metu est voluntarium hic et nunc attentis omnibus circumstantiis, et involuntarium tantum secundum se consideratum, et præcisum a circumstantiis: ergo, etc. *Minor patet,* in projectione mercium in mare metu naufragii. *Major etiam est certa*: nam illud dicitur simpliciter voluntarium, quod hic et nunc volumus cum suis circumstantiis individuantibus; voluntas enim fertur in res existentes et suis circumstantiis vestitas, dum intellectus illas intelligit tantum in se et præcisas ab existentia: ergo quod est voluntarium hic et nunc cum suis circumstantiis, et involuntarium tantum secundum se, et præcisis circumstantiis, est voluntarium simpliciter, et involuntarium secundum quid.

ARTICULUS III.

AN ET QUOMODO CONCUPISCENTIA CAUSET INVOLUNTARIUM.

Nota. Concupiscentia hic non sumitur pro peccati fomite, qui demeritorie ortus est ex peccato originali, sed sumitur pro qualibet passione, quales sunt desiderium, spes, dolor, amor, et definitur: *Motus appetitus sensitivi*

bonum sensibile prosequens, vel malum sensibile fugiens. Concupiscentia sic desumpta est vel *antecedens*, vel *consequens*.

Concupiscentia *antecedens*, est ea quæ præcedit voluntatis consensum quem allicit

Concupiscentia *consequens*, est ea quæ excitatur seu imperatur a voluntate.

CONCLUSIO I.

Concupiscentia antecedens ex una parte auget, et ex altera minuit voluntarium.

Prob. Ad voluntarium perfectum duo requiruntur, nimirum propensio voluntatis in objectum, et cognitio singulorum in quibus est actio, id est cognitio finis ad quem actus tendit, et circumstantiarum quæ illum comitantur. Atqui, concupiscentia antecedens auget propensionem voluntatis in objectum, ut videre est in homine qui mulierem insequitur; minuit vero cognitionem eorum in quibus est actio: impedit enim ne mens, ab objecto in quod tendit rapta et illecta, consideret turpitudinem et injustitiam actus, etc. Ergo concupiscentia antecedens ex una parte auget, et ex altera minuit voluntarium.

Dices 1. Quod ex omni parte et simpliciter minuit liberum, ex omni parte et simpliciter minuit voluntarium; atqui concupiscentia antecedens ex omni parte et simpliciter minuit liberum, ut dicetur infra: ergo, etc.

Resp. *Nego maj.* Nam ratio voluntarii sita est in propensione voluntatis; ratio vero liberi sita est in indifferentia voluntatis, etsi non minuatur ejusdem propensio in objectum: ergo, etc.

Prob. maj Quod minuit speciem, minuit et genus; atqui concupiscentia minuit simpliciter liberum, quod est species voluntarii: ergo minuit simpliciter voluntarium.

Resp. *Nego maj.* Nam cum species constet genere et differentia, potest minui secundum rationem differentialem,

absque eo quod minuatur secundum rationem genericam; sicut igitur paries albus, qui est species colorati, potest minui secundum rationem colorati; ita etiam liberum, quod est species voluntarii contracti per indifferentiam, potest minui ex parte indifferentiæ, nec tamen minui ex parte voluntarii.

Objicies 2. Communis est sententia Theologorum, concupiscentiam antecedentem simpliciter et absolute augere voluntarium : ergo ex nulla parte illud minuit.

Resp. *Nego conseq.* Theologi enim illi considerant voluntarium tantum secundum propensionem voluntatis in objectum delectabile cognitum ut tale, quæ propensio augetur per concupiscentiam; non vero illud considerant secundum cognitionem eorum in quibus est actio, quæ cognitio, cum minuatur per concupiscentiam,ita et voluntarium. Porro, cum propensio voluntatis in objectum sensibile sit id quod principem locum tenet in voluntate, ideo recte asserunt concupiscentiam ex hac parte simpliciter et absolute augere voluntarium.

CONCLUSIO II.

Concupiscentia antecedens semper minuit et aliquando tollit liberum et peccatum.

Prob.prima pars.Quod minuit indifferentiam fortiusque determinat ad unam partem contradictionis, minuit liberum ; atqui passio antecedens semper minuit indifferentiam, fortiusque determinat ad unam partem contradictionis : ergo, etc. *Prob min.* Quod minuit cognitionem requisitam ad libertatem, minuit indifferentiam, fortiusque determinat ad unam partem contradictionis; atqui concupiscentia antecedens minuit cognitionem requisitam ad libertatem, nempe considerationem finis et circumstantiarum : ergo, etc. Hinc

Resolves. Peccata quæ fiunt ex iis motibus qui *secundo*

primi dicuntur, quia ad eos advertit ratio, et iis consentit voluntas, leviora esse iis quæ fiunt ex malitia, cum minus habeant liberi : *Peccatum* enim, ait Div. Thom. [1] *essentialiter consistit in actu liberi arbitrii :* ordinarie tamen adhuc superest ad peccatum mortale sufficiens libertas, juxta illud Apostoli [2] : *Cum essemus in carne, passiones peccatorum*, id est incitantes ad peccata, *operabantur in membris nostris ut fructificarent morti*, id est fructus peccatorum parerent qui nos ducerent ad mortem æternam; atqui solum peccatum mortale fructificat morti æternæ : ergo, etc.

Dixi *ordinarie :* quandoque enim contingere potest ut erga concitatos concupiscentiæ motus *secundo primos*, perfecta non subsit advertentia, plenusque consensus, quo casu peccatum erit tantum veniale, vel minus grave in genere peccati mortalis.

Prob. secunda pars. Quod totaliter aufert usum rationis, totaliter tollit liberum et peccatum ; atqui concupiscentia antecedens quandoque ita est vehemens, ut totaliter auferat usum rationis, *ut patet in his qui propter amorem, vel iram insaniunt*, ut ait Div. Thom. [3] : ergo concupiscentia antecedens quandoque totaliter tollit liberum, *et per consequens totaliter a peccato excusat*, addit Div. Thom. cit. Hinc

Resolves. Motus eos qui *primo primi* dicuntur, quia sine rationis advertentia et voluntatis consensu exurgunt, non esse peccata : unde merito damnata est propos. 75. *Baii damnata a Pio V, Gregorio XIII et Urbano VIII : Motus pravi concupiscentiæ sunt pro statu hominis vitiati, prohibiti præcepto :* Non concupisces : *unde homo eos sentiens et non consentiens, transgreditur præceptum :* Non concupisces, *quamvis transgressio in peccatum non imputetur.*

[1] 1 2, quæst. 71, art. 7 *in corp.* — [2] Ad Rom. 7. — [3] 1 2, quæst. 77, art. 7 *in corp.*

CONCLUSIO III.

Concupiscentia consequens auget voluntarium et liberum, saltem moraliter, et consequenter aggravat peccatum.

PROB. Concupiscentia quam voluntas de industria et ex electione vult et imperat, ut, majori nisu, pravo quod sibi proponit objecto fruatur, auget voluntarium et liberum; atqui concupiscentia consequens est ea quam voluntas vult et imperat, ut, majori nisu, pravo quod sibi proponit objecto fruatur; sive velit concupiscentiam in se, eam nimirum impellendo in pravum objectum, sive eam velit in causa, fovendo eos pravos habitus quibus impellatur in pravum objectum: ergo concupiscentia consequens auget voluntarium et liberum. Unde Div. Thomas [1] ait: *Passio autem consequens non diminuit peccatum, sed magis auget, vel potius est signum magnitudinis ejus, in quantum scilicet demonstrat intensionem voluntatis ad actum peccati; et sic verum est quod quanto aliquis majori libidine vel concupiscentia peccat, tanto magis peccat*

DICES: Passio etiam quæ a voluntate imperatur, actus indifferentiam aliqualiter minuit: ergo minuit liberum et peccatum.

RESP. *Dist. ant.* Indifferentiam actus minuit physice, *conc. ant.;* nam fortius determinat ad unam partem; moraliter, seu secundum morale judicium, *nego ant.;* quia effectus voluntatis quæ in semetipsa sponte, libere, ac prævidens aut prævidere debens, ardorem mali inflammavit.

RESOLVES. Peccatum ex pravo habitu perpetratum, esse gravius eo quod semel tantum perpetratum fuit; ex quo sequitur peccatorem teneri pravum habitum confiteri: unde proscripta est a clero Gallicano (anno 1700) hæc propos : *non tenemur confessario interroganti fateri alicujus peccati consuetudinem.*

[1] 1 2, quæst. 77, art. 6 *in corp.*

ARTICULUS IV.

DE IGNORANTIA.

Nota 1. *Ignorantia* stricte est *carentia cognitionis debitæ.*

Dixi *debitæ :* quia carentia cognitionis eorum, quæ quis non tenetur scire, non est ignorantia stricte, sed late, et dicitur *nescientia* seu *ignorantia negativa :* talis est ignorantia Theologiæ in rustico. Ignorantia multipliciter dividitur :

1. *Ratione rei quæ ignoratur*, dividitur in *ignorantiam juris* et *facti.*

Ignorantia juris, est ea qua lex seu præceptum ignoratur : v. gr si quis nesciat affinitatem dirimere matrimonium. Hæc pro legum diversitate, diversa est ; unde alia est juris naturalis, alia juris positivi, tum divini, tum humani.

Ignorantia facti, est ea qua ignoratur aliquod factum particulare esse legi contrarium ; v. gr si quis sciens affinitatem matrimonium dirimere, ignoret eam cui nubit, sibi esse affinem.

2. *Ratione subjecti in quo est*, dividitur in *vincibilem* et *invincibilem.*

Ignorantia vincibilis, est ea quæ potuit ac debuit vinci.

Ignorantia invincibilis, est ea quæ, adhibita sufficienti diligentia, non potuit vinci.

3. *Ratione actionis quæ fit ex ignorantia*, dividitur in *antecedentem, concomitantem* et *consequentem.*

Ignorantia antecedens, quæ eadem est cum invincibili, est ea quæ omnino antecedit consensum voluntatis, ita ut nullo modo sit volita, et tamen sit causa volendi id quod alioquin ignorans non vellet ; talis fuit ignorantia Jacob, cum accessit ad Liam sibi obtrusam, quam putabat Rachelem, non facturus si scivisset esse Liam.

Ignorantia concomitans, est ea quæ, licet comitetur actionem, non est tamen causa illius, quia adhuc fieret, si abesset ignorantia ; talis est ignorantia illius qui hostem

occidit putans esse feram, ita dispositus, ut, quamvis scivisset esse hostem, nihilominus occidisset.

Ignorantia consequens, quæ eadem est cum vincibili, est ea quæ voluntate *directe vel indirecte* est volita.

Dixi 1° *Directe est volita :* quando scilicet voluntas expresse vult aliquid ignorare ut liberius peccet, juxta illud [1]: *Noluit intelligere ut bene ageret.* Et hæc ignorantia dicitur *affectata.*

Dixi 2° *Indirecte volita :* quando nimirum voluntas expresse quidem non vult ignorare, non tamen curat ea addiscere quæ potest et tenetur scire; et hæc ignorantia vocatur *crassa* seu *supina.*

Nota 2. Antequam exponamus utrum ignorantia causet involuntarium, exponendum est circa quæ detur ignorantia invincibilis; duplici paragrapho.

§ I.

Circa quæ detur ignorantia invincibilis.

Certum est 1° dari posse ignorantiam facti invincibilem et inculpabilem : siquidem nec Scriptura, nec Patres damnant Jacob qui ad Liam, loco Rachelis obtrusam, accessit.

Certum est 2° dari ignorantiam invincibilem et inculpabilem juris positivi etiam divini; id patet ex Joann. 15, ubi Christus ait : *Si non venissem et locutus fuissem eis, peccatum non haberent;* quem locum exponens Div. August. [2] ait : *Illos ad quos Christus non venit, et quibus non est locutus, excusationem habere, non de omni peccato suo, sed de illo quo in Christum non crediderunt.* Unde Pius V hanc propos. damnavit : *Infidelitas pure negativa in iis quibus Christus non est prædicatus, peccatum est.*

Itaque de sola ignorantia legis naturalis potest esse difficultas, quæ ut solvatur

[1] Psalm. 35. — [2] Tract. 89 *in Joan*

Nota præcepta legis naturalis ad tria genera posse revocari.

1. Est eorum quæ sunt legis naturalis prima et universalissima principia, cujusmodi sunt ista : *Bonum est amandum, malum est fugiendum. Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris. Deus est colendus, etc.*

2. Est eorum quæ ex primis principiis per facilem discursum deducuntur, cujusmodi sunt ista : *Non furaberis, non occides,* et alia Decalogi præcepta.

3. Est eorum quæ ex primis principiis, nonnisi longo et difficili discursu deducuntur, qualia sunt præcepta quæ prohibent aliquos contractus qui revera usurarii sunt, at tales evidenter non apparent, sed de iis controversia est inter Doctores. His positis sit

CONCLUSIO I.

Non datur ignorantia invincibilis juris naturalis circa prima principia, nec circa proximas eorum conclusiones.

Prob. tota proposit. Illud invincibiliter non ignoratur, cujus cognitio tam evidens est, ut sine difficultate haberi possit; atqui talis est cognitio primorum juris naturalis principiorum, et proximarum eorum conclusionum : ergo, etc. Nullus enim est qui non videat veritatem hujus principii : *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris,* ex quo facili negotio concludit, *ergo non est furandum, occidendum, etc.* Unde Apostolus [1] dicit Gentiles, qui contra ista peccant, esse *dignos morte ;* cujus rationem reddens [2], ait : *Cum enim gentes quæ legem non habent naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex.*

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objicies 1. Potest dari ignorantia invincibilis juris positivi excusans a peccato : ergo et juris naturalis quoad conclusiones proxime ex principiis deductas.

[1] Rom. 1. — [2] Rom. 2.

Resp. *Nego conseq.* Disparitas est quod illæ conclusiones continentur in principiis primariis, in cordibus nostris a natura inscriptis, a quibus facili negotio deducuntur : at vero præcepta juris positivi cum pendeant a sola voluntate legislatoris humani vel divini, nullam habent cum principiis lumine naturali notis connexionem, et ideo de illis possumus habere ignorantiam invincibilem et inculpabilem.

Prob. conseq. Ex Apost. [1] dicente : *Peccatum non cognovi nisi per legem,* nempe scriptam, continentem præcepta Decalogi; atqui lex scripta potest ignorari : ergo et lex naturalis quoad proximas conclusiones.

Resp. *Dist. min.* Lex scripta continens præcepta Decalogi potest ignorari quoad peccata interna, *conc. min.;* quoad peccata externa, *nego min. et conseq.* Itaque homines ante legem scriptam ex hoc legis naturæ principio : *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris* , concludebant actus externos, quibus solis alteri nocetur, esse peccata, sed non concludebant actus internos voluntatis et desiderii quibus non infertur nocumentum proximo, et qui consequenter remote tantum deducuntur ex primis naturalis legis principiis, esse peccata, quos ut corrigat Deus, præceptis: *Non mœchaberis, non furtum facies,* addit præceptum : *Non concupisces.* Hanc esse mentem Apostoli patet ex contextu, ait enim : *Peccatum non cognovi nisi per legem : nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret : Non concupisces.*

Objicies. 2. Licet non possit dari ignorantia invincibilis circa præcepta naturalia secundi generis, secundum se absolute spectata ; saltem potest dari, si considerentur ut vestita finis apparenter boni circumstantia, v. gr. *mentiri ad vitam conservandam, se ipsum occidere ad tuendam castitatem :* ergo saltem in aliquo casu potest dari, etc.

Resp. *Nego. ant.* Ignorantia enim in prædictis etiam ca-

[1] Rom. 7, 7.

sibus potest facile expelli per istud principium lumine naturali notum : *Non sunt facienda mala ut eveniant bona.*

Inst. Plures mulieres ad tuendam castitatem innoxiæ in flammas se præcipites dederunt, ut legitur de sancta Apollonia ; atqui in hoc non fuerunt innoxiæ nisi quia invincibiliter ignorabant suicidium in hoc casu esse prohibitum : ergo, etc.

Resp. *Nego min.* Sed ideo innoxiæ fuerunt, quia non sibi intulerunt mortem nisi ex speciali instinctu Spiritus sancti. *Hoc fecerunt*, ait Div. August.[1] *non humanitus deceptæ, sed divinitus jussæ, nec errantes, sed obedientes ; sicut de Samsone nobis fas non est aliud credere*, cum eum Apostolus [2] Sanctis annumeret.

Resolves. A mortali non excusandos parvulos qui in seipsos, vel socios, turpitudines exercent, nec conjugatos qui jure matrimonii turpiter abutuntur ; multo minus eos qui pollutionem sibi promovent, quantumvis protestentur se penitus ignorasse hæc et similia esse illicita ; nam ad peccatum mortale non requiritur explicita mali cognitio, ut definivit clerus Gallicanus anno 1700 in damnatione propos. contrariæ ; sed sufficit ut gravis quædam turpitudo in tali actione confuse apprehendatur, quam adolescentulos apprehendere constat, ex eo quod in actionibus inhonestis exercendis, studiosissime sese occultent.

CONCLUSIO II.

Datur ignorantia invincibilis juris naturalis quoad conclusiones a principiis magis remotas.

Prob. *Experientia*, qua constat Theologos etiam doctissimos ac sanctissimos, veritati ac orationi addictissimos inter se circa res ad jus naturale pertinentes, dissidere. Sic Div. Thomas docet judicem posse ad mortem damnare cum quem innocentem novit, quod S. Bonaventura negat :

[1] Lib. I *de Civit. Dei*, cap. 26. — [2] Hebr. 11.

ergo alteruter cum ordinariis naturæ et gratiæ auxiliis erravit in materia legis naturalis: ergo datur ignorantia, etc.

Confirmat hanc propositionem S. Antoninus [1] dicens *quod sint contrariæ opiniones inter Doctores sanctitate et scientia maximos, in materia morali aliquando etiam ad salutem necessaria patet per exempla. Nam Div. Thomas in quartum tenet, quod post lapsum in mortale non oportet aliquem statim confiteri sub præcepto, habita copia confessoris, nisi in paucissimis casibus, qui ibi ponuntur dist. 17. et cum eo tenet Richardus. Sed Hugo de S. Victore et B. Bonaventura sunt in hoc contrariæ opinionis, etc. Neutra opinio illorum reprobatur, etsi Div. Thomæ opinio communius teneatur, quæ tamen minus tuta videtur... Raymundus decretista et Sanctus in Summa tenet, quod participare cum excommunicatis excommunicatione majori in loquela, in cibo et hujusmodi, in casu non concesso, sit mortale universaliter, sed Div. Thomas in quartum, et Joan. Andreas Archidiaconus tenent contrarium; et sic exempla innumera possunt poni.* Quis porro asseruerit Doctores ita præstantes et sanctos, post adhibitam sedulam industriam, postque oblatas Deo preces pro assequenda veritate, culpam perpetrasse, quod eam non invenerint? aut quis negaverit, licitum esse sequi sententiam, quam Doctores summa in Ecclesia auctoritate præditi, docent?

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objicies. 1. Scriptura sacra perspicue docet nullam omnino dari ignorantiam invincibilem in his quæ sunt de jure naturali: ergo, etc.

Prob. ant. Sapient. 6, vers. 13 dicitur: *Clara est, et quæ numquam marcessit sapientia, et facile videtur ab his qui diligunt eam, et invenitur ab his qui quærunt illam. Qui de luce vigilaverit ad illam, non laborabit; assidentem enim illam foribus suis inveniet.* Et Jacobi 1, vers. 5: *Si quis autem vestrum indi-*

[1] 1 part., tit. 3, cap. 10, § 10.

get sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, et non improperat, et dabitur ei : postulet autem in fide, nihil hæsitans, etc. Ergo nulla omnino datur ignorantia invincibilis in his, quæ sunt de jure naturali.

Resp. *Nego conseq.* Nulla datur ignorantia invincibilis circa prima legis principia, nec circa proximas eorum conclusiones, *conc.;* circa conclusiones a principio magis remotas, *nego conseq.* Porro auctoritates S. Scripturæ intelligendæ sunt de primis legis naturæ præceptis, deque illis quæ facili ratiocinio ex iisdem deducuntur, non vero de conclusionibus remotis, abstrusis, cognituque difficilimis etiam ab ipsis doctis.

Inst. Div. Aug. lib. *de Quantitate animæ*, cap. 14, ait : *Magna, crede mihi, magna, sed sine ulla mole de animo cogitanda sunt.. peri autem non potest quadam divina Providentia, ut religiosis animis, se ipsos, et Deum, suam,* id est, *veritatem pie, juste et diligenter quærentibus inveniendi facultates desint :* ergo nulli pie ac diligenter quærenti facultates desunt, quamcumque juris naturalis, etiam remotioris a primis principiis, veritatem inveniendi.

Resp. *Nego conseq.* Tum quia Div. August. ibi loquitur *de Cognitione existentiæ Dei,* quæ est summa Veritas in omnium hominum cordibus inscripta, et est primarium legis naturalis principium ; tum quia si quid argumentum evinceret, æque concluderet vincibilem esse omnem juris positivi, et facti ignorantiam, ac iliam quæ est juris naturæ, quod nullus unquam asserere ausus est.

Objicies 2. Homo omnem ignorantiam cujuscumque juris naturalis vinceret, si vellet : ergo nulla est invincibilis. *Resp. nego ant.*

Prob. ant. Ex isto theologico effato : *Facienti quod est in se, Deus non denegat gratiam :* ergo si homo ista gratia uti vellet, orando, psallendo, etc. quamcumque ignorantiam juris naturalis vinceret.

Resp. *Dist. axioma* : Facienti quod est in se, Deus non

denegat gratiam ordinariam, *conc.*; extraordinariam, *nego axioma.* Itaque in hac tenebrarum valle gratia ordinaria facienti quod est in se ex viribus gratiæ, non denegatur et sufficit ad cognoscenda præcepta legis naturæ intimata et promulgata : sed non sufficit ad omnes difficultates, quæ oriri possunt ex legibus et præceptis naturalibus cognoscendas ; ad harum difficultatum notitiam comparandam necessaria sæpe foret gratia extraordinaria et miraculosa, quam Deus juxta ordinem providentiæ suæ conferre non decrevit etiam justis in oratione perseveranti bus, ut patet de SS. Thoma et Bonaventura, quorum, alter aliquid ad jus naturæ spectans ignoravit, licet orationem assiduam non prætermiserit.

INST. 1. Ignorantia invincibilis aliquarum difficultatum legis naturæ abstrusarum consequitur ignorantiam invincibilem ipsarum legum et præceptorum naturalium; atqui absurdum est dicere aliqua præcepta legis naturæ intimata et promulgata posse invincibiliter ignorari : ergo, etc.

RESP. *Nego. maj.* cujus falsitas manibus contrectatur in legibus humanis, quæ, quando sufficienter promulgatæ sunt, omnibus innotescunt aut innotescere debent, licet difficultates, quæ super iisdem a peritioribus moventur, plures lateant ; similiter Deus leges et præcepta omnibus intimavit; verum difficultates et conclusiones eorum abstrusas, et remotiores non omnibus denuntiavit ob fines sibi notos; quod sic explicat Div. Thom.[1] dicens: *Quædam sunt in humanis actibus adeo explicita, quod statim cum modica consideratione possunt approbari, vel reprobari per illa communia et prima principia. Quædam vero sunt, ad quorum judicium requiritur multa consideratio diversarum circumstantiarum, quas considerare diligenter, non est cujuslibet, sed sapientum : sicut considerare particulares conclusiones scientiarum non pertinet ad omnes, sed ad solos philosophos.* Et paulo infra subdit : *Quæ*

[1] 1 2, quæst. 100, art. 1.

dam enim sunt, quæ statim per se ratio naturalis cujuslibet hominis dijudicat esse facienda vel non facienda, sicut : honora patrem tuum et matrem ; et, non occides, non furtum facies : et hujusmodi sunt absolute de jure naturæ Quædam vero sunt, quæ subtiliori consideratione rationis a sapientibus judicantur esse observanda : et ista sic sunt de lege naturæ, ut tamen indigeant disciplina, qua minores sapientibus instruantur.

Inst. 2. Deus facienti quod est in se ex viribus gratiæ, non denegat gratiam ad vitandum peccatum ; atqui quælibet actio contra difficultates legis naturæ magis abstrusas, et conclusiones a principiis magis remotas, peccatum est : ergo, etc.

Resp. *Dist. maj.* Non denegat gratiam ad vitandum peccatum formaliter sumptum, *conc.*; ad vitandum peccatum materialiter sumptum, *nego. maj.*; et sic *distincta minore, nego consequens*. Itaque ad illius effati Theologici verificationem, solum est necesse ut Deus det gratiam ad removendos salutis obices ; peccatum autem materiale, quod ex ignorantia prorsus invincibili committitur, non est obex salutis.

Inst. 3. Ergo mandata Dei plerumque sunt impossibilia ; adimplere quippe non possumus, quod invincibiliter ignoramus ; falsum consequens : ergo, etc.

Resp. *Nego illatum.* Debet enim distingui præceptum a consectariis, quæ ad hoc præceptum revocari possunt. Deus quidem legem suam et omnia præcepta clare et sigillatim promulgavit, explicuit, lumen quo illa dignoscantur infundit, et principia incidit, quibus facile ea cognosci valeant. Verum hinc non sequitur Deum debere communicare notitiam omnium conclusionum et difficultatum, quæ ex tali lege et præcepto oriri possunt ; alias ordinem providentiæ ordinariæ transilire deberet, et non raro miracula patrare. Quando autem dicitur, Deum impossibilia non jubere, intelligitur respectu illorum præceptorum, quæ secundum legem ordinariam, et citra miraculum cognosci possunt.

§ II.

An et quomodo ignorantia causet involuntarium

Nota. Lutherus [1] negavit ignorantiam etiam invincibilem juris naturalis excusare a peccato : *Scholastici dicunt,* inquit, *ignorantiam invincibilem reddere excusabiles, tanta est cæcitas in Papæ scholis et Ecclesiis.*

Jansenius [2] docet ignorantiam invincibilem juris positivi, non vero ignorantiam juris naturalis invincibilem excusare a peccato. Ratio discriminis juxta eum hæc est, quod ignorantia juris naturalis, non vero ignorantia juris positivi, a peccato originali fluxerit, et in Adamo nobis voluntaria fuerit, quod ad peccatum actuale sufficere existimat. Idem docet Nicolius (*sub ementito nomine Wendrochi Salisburgensis in dissert. de probabil. quam ad finem 5. Montaltii Epist.* adjecit). His positis, sit

CONCLUSIO I.

Ignorantia antecedens et invincibilis etiam juris naturalis, causat involuntarium simpliciter, et ab omni culpa eximit.

PROB. PRIMA PARS. Quod fit absque cognitione singulorum quibus est actio, et contra voluntatis propensionem, est involuntarium simpliciter : sed quod fit ex ignorantia antecedente, fit absque cognitione singulorum, etc., alias non esset invincibilis ; fit etiam contra voluntatis propensionem, cum operans censeatur ita dispositus, saltem habitualiter, ut si ignorantia abesset, opus non præstaret, ut patet exemplo Jacob supra adducto dicentis Laban [3] : *Quid est quod facere voluisti ? quare imposuisti mihi ?* Ergo, etc.

PROB. SECUNDA PARS. Nullum est peccatum nisi sit volun-

[1] In cap. 12 *Genes.*—[2] Lib. II *de Statu naturæ lapsæ*, cap. 2 et seq. [3] *Genes.* 29, 25.

tarium, juxta illud Div. August. [2]: *Usque adeo peccatum voluntarium est, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium, et hoc ita manifestum est, ut nulla doctorum paucitas, nulla indoctorum turba dissentiat;* et illud Div. Thom.[3]: *Nulla ignorantia invincibilis est peccatum.* Quæ particula, *nulla*, omnem prorsus cujuscumque juris ignorantiam invincibilem, a ratione peccati excludit. Atqui quod fit ex ignorantia invincibili, est prorsus involuntarium : ergo non est peccatum.

Unde Alexander VIII damnavit hanc propos : *Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa, non excusat a peccato formali.*

Confirmatur. Erroneum est, et a Concil. Trident. damnatum, quod Deus hominibus impossibilia præcipiat; atqui si ignorantia invincibilis non excusaret a peccato, Deus hominibus impossibilia præciperet; nam cum voluntas nostra sit potentia cæca, non potest in objectum ferri nisi illud ipsi ab intellectu exhibeatur : ergo ignorantia invincibilis excusat a peccato.

Objicies [1] cum Jansenio : ignorantia invincibilis juris naturæ est voluntaria in sua causa, nempe in peccato originali et voluntate Adami totius naturæ humanæ capitis; at hoc sufficit ut illa sit mala et culpabilis : ergo, etc. *Resp. nego. min.*

Prob. Ad peccatum originale sufficit quod sit voluntarium in capite, scilicet in Adamo : ergo et ad peccatum actuale, seu personale.

Resp. *Nego conseq.* cum Div. Thom. dicente [3]: *Ad culpam personæ requiritur voluntas personæ, sicut patet in culpa actuali; ad culpam vero naturæ* (id est ad originale peccatum), *non requiritur nisi voluntas in illa natura,* hoc est in capite illius naturæ. Ergo ad rationem peccati personæ requiritur actus a propria voluntate peccanti elicitus; alias motus in-

[1] Lib. *de vera Religione*, cap. 4. — [2] 1 2, quæst. 79, art. 2 *in fine corp.* — [3] In 2, dist. 30, quæst. 1, art. 2.

deliberati concuspiscentiæ et quod fit in phrenesi et amentia, essent peccata, cum illa omnia ex peccato originali proveniant.

Hinc Alexander VIII hanc propos. damnavit: *In statu naturæ lapsæ ad peccatum mortale et demeritum, sufficit illa libertas qua voluntarium ac liberum fuit in causa sua, peccato originali, et voluntate Adami peccantis.*

OBJICIES 2. cum Jansenio: nonnulla facta ex ignorantia invincibili, in Scriptura appellantur peccata: ergo ignorantia invincibilis non excusat. *Resp. nego ant.*

Prob. Nam Genes. 20. actio Regis Abimelech accipientis in uxorem Saram, quam invincibiliter ignorabat esse conjugem Abrahæ, dicitur *grande peccatum*. Item Lucæ 12, dicitur quod *servus qui non cognovit* voluntatem Domini sui, *et fecit digna plagis, vapulabit paucis, etc.* Ergo, etc.

RESP. *Dist. ant.* Quoad primum, actio Abimelech vocatur grande peccatum materialiter, quia erat illicita ex natura rei, *conc.*; formaliter, *nego ant.*; nam ob defectum cognitionis et scientiæ, non erat culpabilis; præterea ignorantia Abimelech erat facti.

Quoad secundum, servus qui non cognovit voluntatem Domini vincibiliter, vapulabit paucis, *conc. ant.*; invincibiliter, *nego ant.*; cum Div. Thom. [1], qui hæc verba Theophilacti refert: *Cur punitur ignorans voluntatem Domini? quia cum ipse scire potuisset, noluit. Sed pigritans ipse fuit ignorantiæ suæ causa.*

INST. 1. Concil. Diospolitanum, teste August. [2] damnavit hanc Pelagii sententiam: *Oblivio et ignorantia non subjacent peccato, quoniam non secundum voluntatem eveniunt, sed secundum necessitatem.* Ergo ignorantia est peccatum etiam quando evenit secundum necessitatem, et est invincibilis.

RESP. 1. Sic concludendum: ergo ignorantia juris posi-

[1] *In Catena in Luc.*, cap. 12. — [2] Lib. *de Gestis Pelag.*, cap. 36

tivi, etiam quando evenit secundum necessitatem et est invincibilis, est peccatum, quod tamen negant Jansenius et Nicolius.

Resp. 2. *Nego conseq.* Patres enim illius Concilii loquuntur de ignorantia vincibili, si non viribus naturæ, saltem viribus gratiæ, contra Pelagium, qui contendebat eam solam ignorantiam culpæ imputari, quæ solis naturæ viribus expelli potest; aliam vero quæ nonnisi beneficio gratiæ (cujus necessitatem rejiciebat), depelli potest, contendebat esse invincibilem.

Resp. 3. *Dist. conseq.* Ignorantia invincibilis est peccatum sumptum pro pœna et effectu peccati, *conc.*; sumptum pro offensa Dei, *nego conseq.* Quæ responsio ut clare constet, notandum est, errorem capitalem Pelagianorum fuisse negare peccatum originale, quem errorem necessario consequebatur alter, nullam scilicet ignorantiam subjacere peccato, id est, esse fœtum originalis peccati. Contendebant ergo, ita necessario ignorantiam consequi conditionem naturæ humanæ, ut, etiam Adamo non peccante, homines ignorantiæ tenebris obvoluti forent. Patres autem Diospolitani, ut ab imis radicibus hunc Pelagianorum evellerent errorem, docuere ignorantiam quamque, etiam invincibilem subjacere peccato, id est, esse pœnam et effectum peccati originalis. Et ne gratis hanc responsionem dare videar, affero textum Div. August. [1] qui hæc scribit: *Nam illud, quod ignorans quisque non recte facit, et quod recte volens facere non potest, ideo dicuntur peccata, quia de peccato illo liberæ voluntatis ducunt originem, illud enim præcedens meruit ista sequentia.* Et infra: *Non solum peccatur, libera enim voluntate, et a sciente committitur,* sed etiam illud, quod jam de illius supplicio consequatur, necesse est. Sed etiam ipsam naturam aliter dicimus (cum proprie loquimur) naturam hominis, in qua primus in suo genere inculpa-

[1] Lib. III *de Libero arbitr.*, cap. 19.

bilis factus est; aliter istam, in qua ex illius damnati pœna et mortales et ignari et carni subditi nascimur.

Inst. 2. Ex reg. Juris : *Ignorantia facti, non juris, excusat.* Ergo non omnis ignorantia excusat a peccato.

Resp. 1. Retorqueri posse argumentum de juris positivi ignorantia.

Resp. 2. *Dist. reg.* Ignorantia facti, non juris, excusat, in foro externo, *conc.;* sic enim excusatur qui hominem occidit, putans esse feram; in foro interno, *nego.* Ratio est, quod in foro externo quis non præsumitur ignorasse inculpabiliter quod debuit scire.

Inst. 3 Div. Augus[1]. *Illa ignorantia quæ non est eorum qui scire nolunt, sed eorum qui tamquam simpliciter nesciunt, neminem sic excusat ut sempiterno igne non ardeat, si propterea non credidit, quia non audivit omnino quod crederet, sed fortassis ut minus ardeat ; non enim sine causa dictum est : Effunde iram tuam in gentes, quæ te non noverunt.* Atqui ignorantia eorum qui simpliciter nesciunt, est ignorantia omnis juris invincibilis : ergo ignorantia invincibilis juris naturalis non excusat a peccato : ergo, etc.

Resp. *Nego. min.* Div. enim August. eo loco adversus Pelagianos loquitur de ignorantia vincibili legis Evangelicæ, quam docet non excusare a toto peccato infidelitatis. Immediate enim ante laudatum a Jansenio textum, ait: *Aliud est enim nescivisse, aliud scire noluisse. Voluntas quippe in eo arguitur de quo dicitur : Noluit intelligere, ut bene ageret, sed et illa ignorantia, quæ non est eorum, qui scire nolunt, etc.*, ut supra. Distinguit ergo duplicem ignorantiam vincibilem : aliam *affectatam,* et hæc illorum est, qui lumen positive respuunt, de quibus dicitur: *Noluit intelligere, ut bene ageret;* alteram *simplicem,* eorumque est, qui desidia omittunt addiscere præcepta alioquin sibi obvia; et propter hanc

[1] Lib. *de Gratia et lib. arbitr.*, cap. 3.

asserit Div. August. damnandos esse, qui legem Evangelicam ignorant : quia id nesciunt negligentia, quod adhibita diligentia scire potuissent. Ita hunc locum interpretatur Magister sententiarum in 2, dist 22, quam interpretationem confirmant tum exemplum servi nescientis voluntatem domini, quod Div. August. ante verba relata adducit; tum particula *tamquam simpliciter*, quæ satis indicat sermonem non esse de ignorantia prorsus invincibili; tum quod cap. II *ejusdem libri* dicit : *Ipsa divina præcepta homini non prodessent, nisi haberet liberum voluntatis arbitrium, quo ea faciens, ad promissa præmia perveniret ; sicut Dominus dicit de Judæis : Si non venissem, etc.;* ergo excusationem habuissent, si propromulgata non fuissent præcepta. Quapropter *inexcusabilis* asseritur eorum ignorantia, quod promulgatam legem addiscere per superbiam neglexerint, ut immediate *ibidem* addit : *Quomodo dicit* (Apostolus) *inexcusabilis, nisi de illa excusatione qua solet dicere humana superbia : si scivissem, fecissem, ideo non facio quia nescivi, aut si scirem, facerem ; ideo non facio, quia nescio. Hæc eis excusatio tollitur quando præceptum datur, vel scientia non peccandi manifestatur. Sed sunt homines, qui etiam de ipso Deo se excusare conantur.*

Inst. 4. Div. August. ibi loquitur de ignorantia in genere : ergo tam comprehendit ignorantiam invincibilem, quam vincibilem.

Resp. *Nego ant.* Div. enim Augustinus agit de sola ignorantia vincibili; nam disputat contra Pelagianos, qui contendebant nulla esse ignorantiæ peccata ob defectum libertatis; *quæ enim ignorantur,* inquiebant, *libere non eliguntur.* Quos arguit Div. August. docens ignorantias esse peccata, eo quod voluntarie et libere scientia legis respuitur; ait enim cap. II *ibidem : Si volueris, conservabis mandata .. apposuit tibi ignem et aquam; ad quod volueris, porrige manum tuam... ecce apertissime videtur expressum liberum humanæ libertatis arbitrium.* Si disputatio cum Pelagianis de invincibili et antecedenti ignorantia fuisset, vana ac fu-

tilis esset argumentatio Div. August.; nam planum est, ipso fatente Jansenio, ignorantiam invincibilem non esse peccatum. Perspicue ergo Div. August. in hoc libro evincit nullum esse peccatum actuale absque libertate propria personæ peccantis, quæ libertas non reperitur in eo qui agit ex ignorantia invincibili.

INST. 3. Atqui Div. August. pluribus locis ignorantiam etiam invincibilem vocat peccatum : ergo, etc.

RESP. 1. *Dist. ant.* Vocat peccatum improprie, quatenus est pœna et effectus peccati originalis, *conc.*; proprie, quatenus est culpa imputabilis, *nego ant. et conseq.* Sese explicat Div. August.; [1] hæc enim scribit : *Nam illud quod ignorans quisque non recte facit, et quod recte volens facere non potest, ideo dicuntur peccata, quia de peccato illo liberæ voluntatis ducunt originem : illud enim præcedens meruit ista sequentia .. non solum peccatum illud dicimus, quod proprie vocatur peccatum : libera enim voluntate, et a sciente committitur; sed etiam illud quod jam de hujus supplicio consequatur necesse est.* Docebat ergo Div. Augustinus cum aliis Patribus, ignorantiam quamcumque, etiam invincibilem, esse peccatum, id est, pœnam et effectum peccati, ut inde funditus evelleret errorem Pelagianorum, qui, ut facilius negarent peccatum originale, contendebant ignorantiam ita necessario consequi ipsius naturæ conditionem, ut, etiam Adamo non peccante, homines ignorantiæ tenebris circumfusi forent.

RESP. 2 *Nego conseq.* Ibi enim loquitur Div. Doctor de ignorantia vincibili legis Evangelicæ, quam docet non excusare a toto peccato infidelitatis : ita hunc locum interpretatur Magister sentent. [2], quam interpretationem confirmat tum exempli servi nescientis voluntatem domini, quod Augustinus ante verba relata adducit; tum particula *tamquam simpliciter*, quæ satis indicat sermonem non esse de ignorantia prorsus invincibili.

[1] Lib. III *de Libero arbitr.*, cap. 19. — [2] In 2, dist. 22

Inst. 6. Div. Thom. [1] ait: *In iis quæ pertinent ad fidem et bonos mores, nullus excusatur, si sequatur erroneam opinionem alicujus magistri :* ergo ignorantia invincibilis non excusat.

Resp. *Nego conseq.* Loquitur enim Div. Thomas de eo qui sequitur opiniones manifeste repugnantes Scripturæ, aut Ecclesiæ auctoritati; addit enim : *Qui assentit opinioni alicujus magistri contra id quod publice tenetur secundum Ecclesiæ auctoritatem, non potest ab erroris vitio excusari.* Talis autem erronea opinio est evidenter vincibilis et culpabilis.

CONCLUSIO II.

Ignorantia consequens affectata voluntarium et peccatum auget; ignorantia vero non affectata facit opus simpliciter voluntarium, et involuntarium secundum quid; unde minuit peccatum.

Prob. prima pars. Illud auget voluntarium et peccatum, quod procedit ex majori quadam deliberatione et affectu liberius peccandi; atqui ignorantia consequens procedit ex majori deliberatione et affectu liberius peccandi, cum sit illorum peccatorum cum contemptu formali Deo dicentium : *Recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus.* [2]... Ergo auget voluntarium et peccatum, quod ideo est peccatum ex malitia.

Prob. secunda pars. Qui vult causam alicujus effectus, vult in illa causa eumdem effectum; sed qui agit ex ignorantia consequente non affectata, vult ipsam ignorantiam quæ est causa peccati : ergo vult peccatum.

Prob. tertia pars. Quod fit contra aliquam voluntatis inclinationem, est involuntarium secundum quid; sed effectus proveniens ex ignorantia pure consequente, fit contra aliquam voluntatis inclinationem : ergo est involuntarius secundum quid.

[1] Quodl. 3, quæst. 4, art. 2. — [2] Job. xxi.

Prob. min. Qui operatur ex ignorantia pure consequente, ita affectus esse censetur, ut si adesset scientia, non poneret effectum : unde, adveniente scientia, post illum effectum positum tristatur, ut patet in eo qui non facta sufficienti diligentia, putans occidere feram, occidit amicum : ergo effectus proveniens ex ignorantia pure consequente, fit contra aliquam voluntatis inclinationem.

DICES *contra secundam partem :* Malitia effectus ex ignorantia pure consequente positi, non fuit cognita : ergo non fuit volita.

RESP. *Dist. conseq.* Non fuit volita directe et in se, *conc.;* non fuit volita indirecte in negligentia addiscendi, *nego conseq.* Talis enim negligentia potuit ac debuit vitari; unde merito imputatur voluntati quod illam non vitaverit adhibendo diligentiam debitam et possibilem ad discendum ea quæ homo scire tenetur: hinc

RESOLVES : Ignorantem quæ ad judicis munus recte obeundum necessaria sunt, peccare graviter non solum cum suscipit munus judicis, sed toties quoties propter ignorantiam legum particularium sui officii, fert sententiam injustam, quamvis putet esse justam; nam suæ sententiæ injustitiam potuit et debuit cognoscere, et sic ea ipsi merito imputatur; idem dicendum de advocato, medico, confessario, opifice, etc.

CONCLUSIO III.

Ignorantia concomitans nec voluntarium nec involuntarium facit, ideoque nec accusat nec excusat.

PROB. Quia nihil potest dici voluntarium, quod non est cognitum, nec involuntarium, quod non fit contra voluntatis inclinationem ; atqui quod fit cum ignorantia concomitante non est cognitum, alias esset ignorantia consequens ; nec fit contra voluntatis inclinationem ; imo

potius fit cum magna saltem habituali voluntatis propensione, ut patet in eo qui, credens se feram occidere, hostem suum occidit, quemque occidisse gaudet, ut rescivit. ergo, etc.

Hinc, qui cum ignorantia concomitante occidit inimicum, non est reus homicidii, nec subjacet pœnis contra homicidas latis, licet propter affectum inordinatum reus existat.

Dices : Ignorantia concomitans non causat voluntarium. ergo causat involuntarium ; nam inter duo contradictoria non datur medium; atqui voluntarium et involuntarium sunt duo contradictoria : ergo, etc.

Resp. *Nego conseq. et min.* probationis ; nam inter voluntarium et involuntarium positive, datur involuntarium negative, seu, ut ait Div. Thom., *non voluntarium.*

Cæterum, quod de ignorantia dictum est, idem dicendum 1° de *inadvertentia,* quæ est privatio attentionis actualis ; 2° de *inconsideratione,* quæ est privatio debitæ inspectionis ; 3° de *oblivione,* quæ est privatio recordationis rei alias notæ. Quare inadvertentia (idem dic de aliis) excusat a toto peccato, si sit invincibilis; excusat vero a tanto, sed non a toto, si sit vincibilis.

Porro, inadvertentia est *invincibilis,* quando non potuit nec debuit vitari : talis est inadvertentia illius qui habens cognitionem habitualem est distractus, nec ullam suæ distractioni dedit causam.

Est *vincibilis* 1° *in seipsa,* cum agens advertit opus quod aggreditur plus mereri considerationis, nec tamen vult majorem adhibere ; 2° *in alio,* cum agens vult aliud quod cum seria rei faciendæ consideratione cohærere non potest, v. gr. sequi passionem; vel cum non exuit se defectu quodam qui advertentiam tollit, v. gr. præcipitatione in agendo, negligentia in attendendo, etc.

DISSERTATIO II.

De actibus humanis secundum esse morale, seu de moralitate actuum humanorum.

Nota 1. Actus humanus, ut dictum est, potest spectari undum duplex *esse*, scilicet *esse physicum*, et *esse morale*. Actus humanus secundum suum *esse physicum*, est actus oluntate hominis deliberate procedens; de actibus huanis sub eo respectu hucusque egimus.

Actus humanus secundum *esse morale*, est ejusdem actus ad regulas morum relatio vel conformitatis, vel difformitatis, vel indifferentiæ objectivæ; unde

Actus moralis recte definiri potest : *Actus humanus conformis vel difformis regulis morum, aut ab eis permissus.* Ex qua definitione

Sequitur, moralitatem non consistere [1] in sola libertate, cum actus concipiatur liber antequam sit moralis; est enim liber, prout deliberate a voluntate procedit, moralis vero, prout elicitur consentanee vel dissentanee ad regulas morum.

Nec dicas : In eo sita est moralitas, quo posito, ponitur, et quo sublato, tollitur; atqui posita libertate, ponitur moralitas, et ea sublata, tollitur : v. gr. posita libertate, actus imputatur in malum, qui, eadem sublata, desinit imputari : ergo, etc.

[1] *Nota.* Circa naturam moralitatis actuum humanorum, non conveniunt theologi. Alii quidem eam ponunt in voluntarietate actus, nec requirunt libertatem indifferentiæ; ita *Gabriel*, *Almœïnus*, *Major*, etc. Alii vero contendunt moralitatem et libertatem esse formaliter unum et idem, ita *Franciscus Felix* et plures societatis Jesu. Alii cum Suarez asserunt moralitatem actus esse quid extrinseci actus, puta denominatio desumpta ab aliqua forma extrinseca. Tandem Thomistæ sentiunt eam esse quid accidentale superadditum entitati et libertati actus, quod habet specialem relationem ad bonum vel ad legem. At illæ loquendi formulæ theologorum obscuritate non carent.

Resp. *Dist. maj* In eo sita est moralitas, quo posito, tamquam rei essentia, ponitur, *conc.;* quo posito, tamquam prærequisito, *nego maj.* Itaque ad morale prærequiritur liberum, unde sublato libero, tollitur morale : sicut sublato voluntario, tollitur liberum, quia ad liberum prærequiritur voluntarium; non magis tamen morale in solo libero consistit, quam liberum in solo voluntario; quia sicut voluntarium et liberum diversis conceptibus objectivis concipiuntur, sic liberum et morale diversis repræsentantur ideis : unde, remanente eadem libertate, potest variari moralitas, v. gr. si actus qui in primo instanti erat bonus, quia permissus, in secundo fiat malus, quia adveniente lege, est prohibitus.

Nota 2. Moralitate sic explicata, dicemus :

1° De speciebus moralitatis.

2° De moralitatis principiis.

3° De ejusdem affectionibus.

4° De moralitatis primaria regula.

CAPUT I.

DE SPECIEBUS MORALITATIS.

Nota. Tres vulgo distinguuntur moralitatis species : scilicet *indifferentia* quam lex permittit; *bonitas* quam imperat, et *malitia* quam prohibet : circa indifferentiam quæritur an reperiatur in actibus humanis; circa bonitatem et malitiam simul, an augeantur per actum externum. Itaque sit

ARTICULUS I.

UTRUM DETUR ACTUS HUMANUS INDIFFERENS, ID EST, QUI NEC BONUS, NEC MALUS SIT MORALITER.

Nota 1. Actus deliberatus, de quo solo hic agitur, potest considerari vel *in specie*, vel *in individuo.*

Actus humanus *in specie*, est actus spectatus in ordine ad solum objectum, ad quod se extendit.

Actus humanus *in individuo*, est actus spectatus non solum in ordine ad objectum, sed etiam in ordine ad circumstantias et ad finem operantis.

Nota 2. De fide certum est, non omnes actus humanos esse quoad suam speciem vel objectum indifferentes, sed quosdam esse de se bonos, ut actus fidei et charitatis, etc.; quosdam vero esse de se malos ut fornicatio, occisio innocentis, etc. *Ratio*, quia quædam objecta de se sunt rectæ rationi consentanea, quædam autem de se eidem rationi dissona, quibus notatis, sit

CONCLUSIO I.

Dantur actus humani indifferentes in specie.

PROB. Tales sunt actus in specie spectati, quale est objectum ad quod tendunt; siquidem actus speciem suam ab objecto sumit; atqui varia sunt objecta quæ ex se intrinsece nec bona sunt, nec mala, sed plane indifferentia ad bonitatem vel malitiam, ut sunt *ambulare, levare festucam, etc.* Ergo actus humani spectati in ordine ad objecta illa sola, sunt indifferentes in specie.

DICES 1. Inter privative opposita non datur medium; sed actus bonus et actus malus ex objecto sunt privative opposita : ergo, etc.

RESP. *Nego min.* Nam privatio est absentia formæ in subjecto capace illius formæ; sic homo dicitur cæcus, non vero lapis, qui dicitur simpliciter *non videns;* atqui objectum indifferens ex se non est capax bonitatis vel malitiæ: ergo non dicitur illis privari, sed simpliciter dicitur esse *non bonum, non malum.*

DICES 2. Si datur actus indifferens in specie, nunquam poterit esse bonus vel malus; falsum consequens: ergo.

RESP. *Nego sequel.* — *Prob.* Quod est essentialiter tale, non potest non esse tale, quia essentiæ rerum sunt immutabiles; atqui quod est indifferens secundum suam

speciem, est essentialiter indifferens: ergo quod est indifferens secundum suam speciem, non potest non esse indifferens, et consequenter nunquam poterit esse bonus vel malus.

Resp. *Dist. maj.* Quod est essentialiter tale, non potest non esse tale, secundum illud per quod est essentialiter tale, *conc.*; secundum illud quod potest illi advenire, *nego maj.*, et concessa minore *dist. conseq.* Quod est indifferens secundum speciem, non potest non esse indifferens secundum speciem, *conc.*; secundum aliquam circumstantiam ei advenientem, *nego conseq.*

Itaque actus indifferens ex objecto, non potest non esse ex objecto indifferens; sed actus ex objecto indifferens potest esse bonus vel malus ex aliqua nova superveniente circumstantia bona vel mala.

CONCLUSIO II.

Nulli dantur actus indifferentes in individuo. Ita Div. Thom. et Thomistæ, Suarez, Bellarm. Valentia, Tournely, Paulus a Lugd. contra Scotum, D. Bonavent, Vasq, etc.

Prob. 1. Actio indifferens est ea, quæ nec bona est, nec mala moraliter; atqui nulla hujusmodi actio debet admitti in individuo; imo, ex August. [1]: *Cavendum est ne, sicut philosophi, facta quædam hominum media dicamus inter recte factum et peccatum, quæ neque in recte factis, neque in peccatis numerantur.* Ergo, etc.

Prob. min. Actus humanus sumptus in individuo, includit non tantum objectum ad quod proxime tendit, sed etiam finem quem operans sibi proponit; atqui nullus actus spectatus secundum finem quem operans sibi proponit, est indifferens : ergo actus humanus sumptus in individuo non est indifferens.

[1] Epist. 82.

Prob. min. Finis cujuslibet actus deliberati est bonum, vel jucundum, vel honestum : nam bonum utile, cum propter se non appetatur, non habet rationem finis; atqui si finis actus sit bonum honestum, actus est bonus; si finis sit bonum jucundum, actus est malus : neque enim licitum est homini in suis actibus deliberatis propter solam delectationem operari, ut definivit Innoc. XI, in damnatione hujus propos. [1] : *comedere et bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modo non obsit valetudini, quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui*, id est, conquiescere in actibus suis, non referendo illos ad finem honestum : ergo quilibet actus consideratus secundum finem est bonus vel malus, ac proinde nullus est indifferens.

Prob. 2. Ratione Div. Thom. [2] quæ sic proponi potest : omnis actio otiosa est moraliter mala, siquidem de verbo otioso *reddent homines rationem in die judicii*, ait Christus [3]; atqui hominis actio quæ ad debitum finem non ordinatur, est otiosa : ergo est mala.

Prob. min. Quia actio non dicitur otiosa eo quod malum finem habeat : ergo ideo solum otiosa dicitur eo quod careat debito fine; nam, ut ait Div. Bernardus [4], *otiosum verbum est, quod nullam rationalem causam habet.* Ergo pariter actio otiosa est ea quæ debito fine caret.

Objicies 1. Div. Hieronym. [5] ait : *Bonum est continentia, malum est luxuria, inter utrumque indifferens est ambulare :* ergo, etc.

Resp. *Dist ant.* Ambulare consideratum in specie est indifferens, *conc.;* consideratum in individuo, *nego ant.* Div. enim Hieronym. sumit το *ambulare*, prout abstrahit tum a fine, tum a circumstantiis.

Inst. Div. Hieronym. addit : *Sive enim feceris, sive non*

[1] Propos. 8 inter 64 damnatas. — [2] 1 2, quæst. 18, art. 9 *in arg. Sed contra est.* — [3] Matth. xii. — [4] Lib. *de triplici Custodia.* — [5] Epist. 89 *ad August.* quæ est 11 inter epist. Augustini.

feceris, nec justitiam habebis, nec injustitiam. Ergo loquitur de ambulatione sumpta *in individuo.*

Resp. *Dist. ant.* Sive feceris, sive non feceris, nec justitiam nec injustitiam habebis ex tali actione spectata ratione objecti, *conc.;* ratione finis, *nego.* Hanc esse mentem Div. Hieronymi patet ex ejus epistola ad Ctesiph., ubi his Pelagii verbis : *Audite quæso, audite sacrilegium : si voluero curare digitum, stare, ambulare... semper auxilium Dei mihi necessarium erit,* sic respondet : *Audi ingrate, imo sacrilege, Apostolum prædicantem : Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite* Ergo vult sanctus Doctor, ut omnia opera ad Dei gloriam referantur.

Objicies 2. Datur actus indifferens in specie : ergo et in individuo... Resp. *Nego conseq.*

Prob. Nulla datur species sine individuo rationem speciei participante : ergo si dantur actus indifferentes in specie, dantur etiam in individuo.

Resp. *Nego conseq.* Quia non datur species actuum indifferentium ; aliud enim est dari speciem actuum indifferentium, aliud dari actus indifferentes in specie ; nam

Dari speciem actuum indifferentium, est dari naturam communem actuum liberorum, qui neque boni, neque mali sunt moraliter sub ullo respectu, qualis nulla species esse potest.

Dari vero actus indifferentes in specie, est dari actus, qui neque boni neque mali sunt præcise ratione objecti, licet boni vel mali sint ratione finis et circumstantiarum.

Inst. 1. Actus qui fiunt præcise ad sublevandam levem naturæ indigentiam, ut ambulare ad juvandam digestionem, alvum purgare, spuere, ad ignem frigoris abigendi causa accedere, etc., nullam neque ex objecto, neque ex fine contrahunt bonitatem, vel malitiam : ergo sunt indifferentes in individuo.

Resp. *Nego ant.* Vel enim illi actus qui sunt media, fiunt propter solam voluptatem, et tunc sunt venialiter mali,

quia homo, utpote rationalis, operari tenetur propter finem excellentiorem quam bruta; vel fiunt ad sanitatis conservationem, debitam sustentationem et rectam corporis consistentiam, et tunc sunt moraliter boni; quod enim est conforme naturæ rationali, qua rationali, est honestum; atqui debite conservare ac sustentare corpus, est conforme naturæ rationali, qua tali, cum sit actus charitatis nobis a Deo ipso commissus : ergo, etc.

Inst. 2. Delectatio moderata corporis vel animi non est mala moraliter : ergo potest esse finis licitus.

Resp. *Nego conseq.* Delectatio moderata non est quidem malum objectum, cum licite percipi possit; sed est malus finis, quatenus agens rationale non potest licite delectationem appetere propter se, sed tantum propter finem honestum, v. gr. ut corpus functionibus suis magis habile fiat, et ideo mens promptius ea quæ officii sui sunt peragat, et tunc sortitur bonitatem a fine quem operans ultimate intendit.

Inst. 3. Sunt aliquæ operationes per se tantum ordinatæ ad oblectandum, v. gr. visio pulchri ad oculos oblectandos, olfactio odoris ad oblectandas nares, etc. Ergo saltem istæ poterunt propter solam delectationem licite exerceri.

Resp. *Nego ant.* Nulla enim operatio ad solam delectationem, ut ad ultimum finem ordinatur; sed ultra semper tendit ad finem ulteriorem nimirum ad operationes humanas exercendas; sic olfactio odoris ordinatur finaliter ad cerebrum confortandum; visio pulchri ad excitandos spiritus, qui deserviunt ad operationem humanam rite exercendam, etc.

Inst. 4. Nemo tenetur ad impossibile; atqui in nostro statu naturæ corruptæ impossibile est omnes actus nostros deliberatos ad Deum tamquam ad ultimum finem referre : ergo, etc.

Resp. *Dist. min.* In statu naturæ lapsæ impossibile est omnes actus nostros deliberatos ad Deum referre actua-

liter, *conc. min.*; virtualiter, *nego min.* Neque enim opus est ut finem honestum actu intendamus in singulis actibus, sed sufficit ut illum intendamus virtualiter, qualiter censetur intendere, ut plurimum, qui ordinate et christiane vivit. *Hoc ipsum,* ait Div. Thom.,[1] *quod aliquis agit ordinate ad sustentationem vel quietem sui corporis, ad bonum virtutis ordinatur, in eo qui corpus suum ordinat ad bonum virtutis, ei idem patet in aliis.*

Inst. 5. Si prædicti actus possent esse boni, possent voveri; item, si possent esse mali, posset sacerdos illis impendere absolutionem qui tantum se accusant, quod prædictos actus in finem honestum non retulerint; absurdum utrumque consequens; ergo et antecedens.

Resp. 1. *Nego conseq.* Quia non omne bonum voveri potest, sed id tantum quod est melius; porro, licet bona sit ambulatio, v. gr. ad sublevandam levem naturæ indigentiam, tamen ejus omissio non est melior : ergo non potest voveri.

Resp. 2. *Dist. secunda pars min.* Absurdum est sacerdotem absolutionem impendere illis, qui solum se accusant quod prædictos actus deliberatos in finem honestum non retulerint, quando non constat quod non retulerint, *conc.*; quando certo constat, *nego.* Ita respondet Gonet his verbis : *Quia similes actus, ut plurimum, sine deliberatione ex sola imaginatione fiunt, et, si fiant cum deliberatione rationis, ad sanitatem vel honestam recreationem, vel naturæ quietem et solatium, virtualiter referuntur, regulariter sunt materia dubia, et ideo prudens sacerdos raro debet his solum absolutionem impendere, sed monere pœnitentem ut de aliis, licet jam confessis, quæ certo sunt peccata, se accuset.*

Objicies 3. Nullum est præceptum obligans hominem ad referendum omnes suas actiones deliberatas in finem honestum : ergo non extat talis obligatio. Resp. *Nego ant.*

[1] 1 2, quæst. 18, art. 9, ad 3.

Prob. Si datur tale præceptum, vel est naturale, vel positivum; neutrum dici potest: ergo, etc.

Resp. *Nego min.* Et dico illud præceptum esse naturale; nam lumen naturale dictat ut agens rationale in omnibus suis actibus deliberatis tendat ad bonum consonum naturæ rationali, qua rationali, quod est bonum honestum.

Inst. 1. Præceptum naturale est notum omnibus saltem eruditis; atqui præceptum referendi omnes suas actiones deliberatas in finem honestum non est notum omnibus, etiam piis et eruditis, cum Div. Bonavent., Scotus etc. illud negent: ergo, etc.

Resp. *Dist. maj.* Præceptum naturale quod habet rationem primi principii, vel conclusionis immediate ex principio deductæ, est notum omnibus, *conc.;* præceptum naturale, quod est conclusio a primo principio remota, *nego maj.* Porro tale est præceptum, de quo hic.

Inst. 2. Præcepta naturalia in Decalogo continentur; atqui illud præceptum referendi, etc., non continetur in Decalogo: ergo, etc.

Resp. *Dist. maj.* Præcepta naturalia quæ a principiis immediate deducuntur, continentur in Decalogo, *conc.;* quæ remote deducuntur, *nego maj.* Itaque præceptum referendi, etc., remote deducitur ex præcepto dilectionis Dei super omnia, vi cujus tenemur habere Deum pro fine ultimo, et consequenter referre in ipsum omnes nostras actiones, saltem mediate, quod fit ordinando eas ad aliquem finem honestum.

Inst. 3. Præceptum illud, si extet, est affirmativum: ergo non obligat pro semper.

Resp. *Dist. ant.* Est affirmativum pure, *nego ant.;* est affirmativum non pure, *conc. ant.;* continet enim implicite præceptum negativum, quo scilicet prohibemur ne creaturis fruamur. Unde in hoc Decalogi præcepto: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, etc.*, istud negativum implicite continetur: *Non sistes ultimate in creatura, eamque*

si diligas, amorem illius in Dei dilectionem saltem mediate referas.

Objicies 4. Concilium Constantiense damnavit hanc propos. Joannis Hus: *Nulla sunt opera indifferentia, sed hæc est divisio immediata humanorum operum quod sint vel virtuosa, vel vitiosa.* Atqui si non darentur actus indifferentes in individuo, illa propositio immerito damnata fuisset: ergo dantur... Resp. *Nego min.*

Prob Si non sint aliqui actus indifferentes in individuo, quælibet humana opera erunt vel virtuosa, vel vitiosa in individuo : ergo, etc.

R. sp. *Dist. ant.* Quælibet opera humana erunt vel virtuosa, vel vitiosa in individuo, in sensu Joannis Hus, *conc. ant.*; in sensu Catholicorum et Patrum Concilii, *nego ant.*

Itaque hæc propositio non fuit in se et absolute damnata, sed tantum relative ad sensum Joannis Hus, qui contendebat omnia quæ fiunt ab homine in statu peccati mortalis existente, esse peccata; quæ vero a justo, esse virtutis actus, ut patet ex verbis propositionem immediate sequentibus : *Quia*, inquiebat Joan. Hus, *si homo est vitiosus, et agit quidquam, tunc agit vitiose; et si est virtuosus, et agat quidquam, tunc agit virtuose; quia, sicut vitium quod crimen dicitur sive peccatum mortale, inficit universaliter actus hominis vitiosi, sic virtus vivificat omnes actus hominis virtuosi*, quod est falsum; certum est quippe justos non amissa justitia peccare venialiter, et impios in statu peccati remanentes, actus informes fidei et spei posse elicere.

ARTICULUS II.

UTRUM ACTUS EXTERNUS INTERNI BONITATEM VEL MALITIAM AUGEAT, ITA UT MELIOR SIT ACTIO ILLIUS QUI ELEEMOSYNAM DAT DE FACTO, QUAM EJUS QUI EAM DARE VULT, ET NON POTEST DEFECTU FACULTATIS VEL OCCASIONIS.

CONCLUSIO.

Actus externus per se non auget bonitatem aut malitiam actus interni efficacis, sed auget per accidens Ita Thomistæ contra Scotistas

PROB. PRIMA PARS. Argumento deducto *ex Script.* et *Patribus*: si actus exterior *per se* augeret bonitatem vel malitiam moralem, voluntas efficax bene vel male agendi nunquam reputaretur pro facto; atqui apud Deum voluntas pro facto reputatur: ergo, etc.

Prob. min. Abrahamo mactare filium parato, licet sacrificium non compleverit, dixit Deus[1]: *Quia fecisti hanc rem, et non pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi.* Et Matth. v, dixit Christus: *Omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* Quæ verba expendens Div. Bernardus ait[2]. *Quid planius quod voluntas pro facto reputatur, ubi factum excludit necessitas?* Ergo, etc.

PROB. 2. *Ratione theologica.* Illud *per se* non auget bonitatem aut malitiam actus interni, quod *per se* nullam habet bonitatem, nullam malitiam; atqui actus externus *per se* nullam habet bonitatem, nullam malitiam: ergo, etc.

Prob. min. Ratio bonitatis vel malitiæ moralis sumitur a libertate; atqui actus externus *per se*, ut distinctus ab actu interno, nullam habet libertatem, alias et dormiens per actus suos mereretur vel demereretur: ergo actus

[1] Genes. XXII. — [2] Epist. 77.

externus nullam *per se* habet bonitatem vel malitiam, sed totam moralitatem habet ab actu interno efficaci.

PROB. SECUNDA PARS. Illud *per accidens* auget malitiam actus interni, quod nonnunquam actum internum reddit intensiorem aut diuturniorem ; atqui actus externus experientia operis nonnunquam actum internum reddit intensiorem aut diuturniorem ; sic v. gr. actualis voluptas quæ ex fornicatione misere percipitur, fornicationis affectum intensiorem efficere solet : ergo, etc.

Præterea, ex actu exteriori malo multoties generatur scandalum, incurritur excommunicatio vel irregularitas, aut obligatio ad restitutionem, quæ per solum actum interiorem non inducuntur: ergo actus externus *per accidens,* ratione scilicet illorum malorum quæ ex eo nonnunquam sequuntur, auget malitiam actus interni.

OBJICIES *contra primam partem* : Illud August. dicentis : *Mala voluntate, vel sola, quisque miser efficitur; sed miserior potestate qua desiderium malæ voluntatis impletur.* Atqui non ob aliud fit miserior per actum externum, quam quod actus externus augeat malitiam actus interni : ergo.

RESP. *Nego min.* Ideo fit miserior quia actus externus hominem ad malum propensiorem facit, generat scandala, ingenii acumen obtundit, et mentem magis ineptam reddit ad operum spiritualium saporem; quod non præstat actus interior.

OBJICIES 2. Actus internus et actus externus mali diversis præceptis prohibentur, nempe : *Non mœchaberis, Non concupisces.* Ergo actus externus diversam habet malitiam a malitia actus interni.

RESP. *Nego conseq.* Non enim ideo ponuntur diversa præcepta de actibus interioribus et exterioribus, quod in exterioribus sit diversa malitia, cum propter idem motivum prohibeantur; sed ideo ponuntur, quia periculum erat, ne homines carnales legem observasse sibi viderentur, si a solis actibus externis abstinerent, quamvis inte-

rioribus præberent consensum, sicut quidam ex Judæis asseruerunt, quos redarguit Christus his verbis : *Audistis quia dictum est : Non mœchaberis ; ego autem dico vobis : omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est in corde suo.*

Inst. 1. Qui martyrium reipsa subit, qui sacramenta realiter suscipit, majorem recipit gratiam et consequenter magis meretur, quam qui efficaciter desiderat : ergo actus externus auget bonitatem et meritum actus interni.

Resp. *Dist. maj.* Majorem gratiam recipit *ex opere operato*, conc.; *ex opere operantis*, nego ant. Hic autem loquimur de merito producto ex opere operantis, quod tantum potest esse in eo qui martyrium vel sacramenta efficaciter desiderat, quantum in eo qui actu martyrium subit, vel sacramenta re suscipit : imo potest esse majus, si ex majori charitatis affectu desideret.

Inst. 2. Si opus externum novam malitiam non adderet, sequeretur : 1° frustranea esse opera externa ; 2° nos non teneri actus externos confiteri, quia declarato actu interiori, tota actus malitia sufficienter declararetur ; atqui absurdum et falsum consequens : ergo, etc.

Resp. *Nego utramque antecedentis sequelam.* 1° Enim opera externa non sunt frustranea, tum quia si non fiant dum adest facultas, tunc actus interni non sunt efficaces ; tum quia opus externum plerumque est præceptum ; tum quia opus externum est satisfactorium, non vero opus internum quod non est pœnale.

2° Tenemur confiteri actus externos, tum quia ex ipsis colligitur voluntatis efficacia ; tum quia sæpe augent internos per accidens ; tum quia actus exterior facit unum per se peccatum cum interno.

CAPUT II.

DE MORALITATIS PRINCIPIIS.

Nota. Nomine principiorum moralitatis ea omnia intelliguntur, per quæ actus humanus habet ut sit bonus, vel malus, vel indifferens, et tria sunt : scilicet *objectum*, *finis* et *circumstantiæ*, de quibus agemus distinctis articulis.

ARTICULUS I.

An et quomodo actus humanus moralitatem desumat ex objecto.

Nota 1. Objectum hic non sumitur pro eo omni quod voluntati objicitur, sic enim comprehenderet etiam finem et circumstantias ; sed sumitur stricte pro omni re aut persona quæ primo et per se attingitur ab actu ; hoc sensu res aliena est objectum furti, proximus homicidii.

Nota 2. Objectum potest dupliciter concipi : nempe vel secundum *esse physicum*, vel secundum *esse morale*.

Objectum secundum *esse physicum*, est objectum secundum se materialiter spectatum.

Objectum secundum *esse morale*, est objectum prout ab agente attingitur modo rectæ rationi consentaneo vel dissentaneo. Porro, manifestum est objectum a quo actus moralitatem suam desumit, non accipi secundum *esse physicum*, sed secundum *esse morale*. Sic v. gr. objectum a quo adulterium suam malitiam sumit, non est femina, præcise ut femina, cum, ut sic, possit esse objectum adulterii et actus conjugalis ; sed est femina prout cognoscitur contra prohibitionem rectæ rationis.

Nota 3. Per objectum a quo quærimus utrum actus humanus desumat moralitatem, intelligimus objectum quod de se bonum est vel malum ; nam si objectum sit indiffe-

rens, non potest conferre bonitatem aut malitiam, cum neutram habeat; sed repetenda est vel a fine, vel a circumstantiis quæ objectum formaliter determinant ad rationem boni vel mali objectivam. His positis, sit

CONCLUSIO.

Specifica actuum humanorum moralitas, et quidem primaria, desumitur ab objecto secundum esse morale spectato.

Prob. prima pars. Ab eo sumitur specifica moralitas actuum humanorum, ratione cujus quædam virtutes et quædam vitia a se invicem specie differunt; atqui quædam virtutes, quædam vitia a se invicem specie differunt ratione objecti circa quod versantur; sic virtutes theologicæ specie differunt a moralibus, eo quod theologicæ habeant Deum pro objecto, non autem morales; sic etiam homicidium et adulterium specie differunt, eo quod eorum objecta specie differunt : ergo specifica actuum humanorum moralitas desumitur ex objecto. Hinc dicit Oseas: *Facti sunt abominabiles sicut ea quæ dilexerunt* [1].

Prob. secunda pars. Illa est primaria actus humani moralitas, sine qua actus humanus non potest concipi; atqui actus humanus non potest concipi sine moralitate ab objecto sumpta, licet possit concipi sine aliis; sic v. gr. furtum quod quis in loco sacro committit ad se inebriandum, licet possit concipi sine malitia sacrilegii et intemperantiæ, non potest tamen concipi sine malitia injustitiæ : ergo primaria actus humani moralitas desumitur ab objecto.

Dices : Actus humanus primam suæ moralitatis speciem desumit ab eo quod primo respicit : sed finis est id quod primo respicit, cum objectum non sit volitum nisi propter finem : ergo actus humanus primam suæ moralitatis speciem non ab objecto, sed a fine desumit.

[1] Cap. IX.

Resp. *Dist. maj.* Actus humanus primam moralitatis speciem desumit ab eo quod primo respicit intrinsece et essentialiter, *conc.*; extrinsece et accidentaliter, *nego.* Itaque actus humanus intrinsece et essentialiter respicit finem operis qui dicitur *intrinsecus,* quia coincidit cum objecto; sed extrinsece tantum et accidentaliter respicit finem operantis qui dicitur *extrinsecus,* quia tendentia ad hunc vel illum finem operantis accidit actui humano, puta quod eleemosyna v. gr. fiat propter vanam gloriam, vel ad satisfaciendum pro peccatis.

Inst. Odium Dei est actus pessimus; atqui habet objectum optimum, nempe Deum: ergo actus odii Dei non desumit moralitatem ab objecto.

Resp. *Dist. min.* Odium Dei habet objectum optimum si spectetur secundum esse physicum, *conc.;* si spectetur secundum esse morale, *nego min.* Sic enim spectatum, est Deus prout attingitur per odium, qui modus tendendi in Deum est rectæ rationi quam maxime dissonum.

ARTICULUS II.

An et quomodo actus humanus moralitatem desumat a fine operandi.

Nota. Duplex est finis: *intrinsecus* scilicet seu, *operis,* et *extrinsecus*, seu *operantis.*

Finis intrinsecus, est is in quem tendit opus ex natura sua; sic finis intrinsecus eleemosynæ est sublevatio pauperis.

Finis extrinsecus, est is in quem tendit agens, seu est id propter quod aliquid fit. Dicitur *extrinsecus* quia, sublato tali fine, actio adhuc manet integra. Itaque

CONCLUSIO.

Moralitas actuum humanorum desumitur etiam a fine extrinseco operantis.

Prob. Ab eo desumitur moralitas actus, quod actum fa-

cit ex indifferente bonum vel malum, ex malo pejorem, ex bono meliorem, vel malum ; atqui finis facit actum, 1° ex indifferente bonum vel malum ; sic studium ad vanam gloriam est malum, et studium ob lucrum animarum est bonum ; 2° facit actum ex malo pejorem, ut si quis furetur ad mœchandum ; 3° facit actum ex bono meliorem, ut si quis det eleemosynam ad redimenda peccata : ergo moralitas actus desumitur etiam a fine extrinseco operantis ; hoc certum est apud omnes, sed

Quæres : *Utrum actus ad finem extrinsecum ordinatus desumat moralitatem specificam et essentialem a fine extrinseco?* Pro cujus resolutione

Nota. Actus ad finem extrinsecum ordinatus potest spectari dupliciter : 1° ut est imperatus a fine extrinseco, proceditque ab intentione efficaci finis ; 2° ut est elicitus a voluntate, v. gr. volitio dandi eleemosynam ad satisfaciendum pro peccatis est actus imperatus a pœnitentia, et actus elicitus à misericordia. Hoc prænotato,

Re p. *Actus a fine extrinseco imperatus, spectatus reduplicative ut imperatus, essentialem et specificam moralitatem desumit a fine operantis, spectatus vero ut elicitus eamdem desumit ab objecto.*

Prob. Actus essentialem et specificam moralitatem desumit ab eo quod præcipue et essentialiter respicit ; atqui actus spectatus prout est imperatus, præcipue et essentialiter respicit finem operantis, siquidem voluntas ex efficaci finis intentione movetur ad objectum ; spectatus vero ut elicitus, præcipue et essentialiter respicit solum objectum ; illi enim in esse specifico jam constituto advenit finis extrinsecus operantis : ergo actus spectatus reduplicative ut imperatus, essentialem et specificam moralitatem desumit a fine operantis ; spectatus vero ut elicitus, essentialem et specificam moralitatem ab objecto desumit.

Dices : Plures actus habent speciem essentialem a solo fine extrinseco : ergo eam non habent ab objecto quatenus sunt elicili, et a fine extrinseco quatenus imperati.

Resp. *nego ant.* — *Prob.* Actus quo amatur Deus propter se, et actus quo amatur proximus propter Deum, sunt actus ejusdem speciei, nempe charitatis ; atqui non sunt ejusdem speciei, nisi quia specificantur a solo fine extrinseco : ergo, etc.

Resp. *Nego min.* In qua assignatur pro fine extrinseco operantis, illud quod est revera finis intrinsecus et operis ; cum enim objectum et finis intrinsecus charitatis sit amare Deum propter se, et proximum propter Deum, manifestum est intentionem operantis pertinere ad objectum charitatis.

Resolves 1. Unicum actum posse pertinere ad virtutes specie diversas ; potest enim ab una elici, et imperari ab altera, ut patet in exemplo adducto eleemosynæ datæ ad satisfaciendum pro peccatis, quæ elicitur a misericordia, et imperatur a pœnitentia.

Resolves 2. Posse in uno eodemque actu reperiri duplicem moralitatem ejusdem speciei : unam quidem ex parte operis, seu objecti, alteram autem ex parte operantis : moralitas ex parte objecti magis est præcipua, si actus prout est externus consideretur ; moralitas vero ex parte operantis principalem locum tenet, si actus prout est internus perpendatur : quo sensu dixit Aristoteles[1] : *Qui furatur ad mœchandum, est magis mœchus quam fur.*

ARTICULUS III.

An et quomodo actus humanus moralitatem desumat ex circumstantiis.

Nota 1. Circumstantia actus definitur : *Accidens quoddam moraliter afficiens actum humanum jam constitutum in suo esse tum physico, tum morali.*

Dicitur 1° *accidens*, quia est quid extrinsecum entitati

[1] Ethnicorum v, cap. 2

actus, qui sine tali accidente concipi et subsistere potest : talis est circumstantia loci sacri in furto.

Dicitur 2° *moraliter afficiens*, id est, modificans actum in conformitate, vel difformitate ad rectam rationem, et ideo conferens ipsi aliquid bonitatis, vel malitiæ accidentalis ; alioquin poterit quidem esse circumstantia actus humani, qua physicus est, sed non qua moralis ; sic v. gr. eleemosynam dare inimico est circumstantia moralis, quæ actionem facit magis Deo acceptam : sed dare eleemosynam manu dextra vel sinistra est circumstantia actus qua physicus est, quæ nihil ad mores confert.

Dicitur 3° *actum humanum jam constitutum in suo esse morali*, quia objectum actus dat ipsi primam moralitatem, et ideirco circumstantia, *qua talis*, non nisi secundam et accidentalem dare potest.

Dixi *circumstantia qua talis ;* quia aliquando circumstantia transit in ipsum objectum, seu est præcipuum operantis objectum, quando nimirum primario et per se intenditur ab operante, et tunc dat actui primam et essentialem moralitatem ; id patet in eo qui determinatus ad sacrilegium, in loco sacro furatur, ut impium consilium executioni mandet ; eo enim in casu malitia quæ ex loci sacri circumstantia oritur, est actui essentialis ; tuncque furtum est circumstantia medii, seu *quibus auxiliis*.

Nota 2. Circumstantia alia est *formalis*, alia *objectiva*.

Circumstantia *formalis* est ea, quæ se tenet ex parte actus : tales sunt *intentio, duratio, libertas*, etc.

Circumstantia *objectiva*, est ea quæ se tenet ex parte objecti : tales sunt circumstantiæ loci, temporis, personæ, majoris vel minoris quantitatis, etc. De his solis hic agitur, cum certum sit actum a circumstantiis formalibus aliquam moralitatem bonitatis vel malitiæ sumere. Itaque sit

CONCLUSIO.

Moralitas actuum humanorum desumitur etiam a circumstantiis.

Prob. Circumstantiæ subjacent regulis morum : vel enim ab eis præcipiuntur, vel prohibentur ; atqui quæ subjacent regulis morum, actibus humanis moralitatem conferunt : ergo circumstantiæ actibus humanis moralitatem bonitatis vel malitiæ conferunt. Circa quod

Quæres 1. *Quamnam moralitatem actibus humanis circumstantiæ conferant* ? Ante responsionem

Nota. Alias esse circumstantias quæ speciem mutant, alias quæ aggravant vel minuunt.

Circumstantia *mutans speciem,* est ea quæ actum humanum trahit in speciem diversam ab ea quam objecto suo immediate desumit ; sic, si furtum fiat in loco sacro, circumstantia loci mutat speciem.

Circumstantia *aggravans vel minuens speciem*, est ea quæ minuit vel auget bonitatem aut malitiam actus intra eamdem speciem ; ut incestus in 1° vel 4° gradu, furtum majoris vel minoris quantitatis ; ubi tamen diligenter adverte quod circumstantia quæ transfert peccatum de veniali in mortale, licet non mutet speciem moralem, mutat tamen speciem theologicam et demeritoriam ; sic furtum grave non mutat quidem speciem moralem furti levis, cum eidem virtuti justitiæ opponatur, sed mutat speciem theologicam et demeritoriam, quatenus furtum grave meretur gratiæ et gloriæ privationem, non autem furtum leve. Hoc prænotato,

Resp. *Circumstantia mutans speciem, non vero circumstantia solum aggravans speciem, confert actui humano moralitatem specie diversam a moralitate quæ provenit ex objecto.*

Prob Circumstantia quæ importat ordinem convenientiæ vel disconvenientiæ ad rectam rationem, diversum ab eo quem importat objectum, confert actui humano mora-

litatem specie diversam ab ea quæ provenit ex objecto ; atqui circumstantia mutans, non vero aggravans tantum speciem, hoc præstat ; non enim solum est disconveniens rectæ rationi furari, sed etiam furari in loco sacro : ergo circumstantia mutans speciem, non vero aggravans, confert actui humano moralitatem specie diversam ab ea quæ provenit ex objecto.

Dices 1. Circumstantia moraliter afficiens objectum transit in rationem objecti : ergo nulla circumstantia, qua talis dat bonitatem vel malitiam actui.

Resp. *Nego ant.* — *Prob.* Quod est volitum, habet rationem objecti ; atqui nulla circumstantia dat moralitatem actui nisi sit volita : ergo, etc.

Resp. *Dist. maj.* Quod est volitum per se, immediate et primario, habet rationem objecti, *conc.;* quod est volitum secundario tantum et per modum accessorii, *nego maj.* Circumstantiæ autem morales non sunt volitæ nisi secundario et per modum accessorii supervenientis ; unde sunt tantum quid circumstans objectum, seu objectum secundarium ; et sic intelligendus est Div. Thom.[1] dicens : *Bonitas et malitia voluntatis non dependent ex circumstantiis, sed ex solo objecto.*

Dices 2. Circumstantiæ, ut plurimum, sunt extrinsecæ actui humano, ut locus et tempus : ergo non possunt illi dare moralitatem intrinsecam.

Resp. *nego conseq.* Nam objectum dat actui moralitatem intrinsecam, et tamen est actui extrinsecum : ergo quemadmodum actus humani desumunt ab objecto bonitatem vel malitiam intrinsecam, quia ordo quem ad illud dicunt est intrinsecus, ita similiter desumunt bonitatem vel malitiam intrinsecam a circumstantiis propter ordinem intrinsecum quem habent ad circumstantias.

Quæres 2. *Quandonam circumstantia speciem mutet ?*

[1] 2, quæst. 19, art. 2 *in argum. Sed contra est.*

Resp. Ut id perfecte cognoscatur, traduntur duæ regulæ.

Prima regula. Quando circumstantia efficit ut actus opponatur alicui virtuti, cui alioquin non opponeretur, aut efficit ut ei sit conformis, mutat speciem actus humani, ut patet in furto quod quis in loco sacro perpetravit. Ratio est, quia ubi est conformitas aut difformitas ad plures virtutes, ibi sunt plures conformitates vel difformitates cum recta ratione.

Resolves : Qui sacrum omittit die Dominica in qua incidit festum, unum tantum peccatum committit, quia una est tantum oppositio ad virtutem religionis propter quam Missa est audienda ; e contra qui sacrum omittit die Dominica in qua auditio Missæ a confessario fuit imposita, duo peccata committit, quia est oppositio ad virtutem religionis et pœnitentiæ.

Secunda regula. Quando circumstantia efficit ut actus diverso modo eidem virtuti sit conformis vel difformis, mutat speciem actus humani ; quia ubi est diversus modus conformitatis vel oppositionis cum eadem virtute, tunc sane diversa est conformitas vel disconvenientia cum recta ratione.

Resolves: Qui jejunium perfringit per duplicem cœnam, et per carnium comestionem, duplex peccatum committit ; quia licet hic actus uni temperantiæ virtuti opponatur, diverso tamen modo opponitur : ergo duplex est peccatum.

Quæres 3. *Utrum circumstantiæ debeant esse cognitæ et volitæ, ut ad peccatum imputentur?*

Resp. Circumstantiæ quæ se tenent *ex parte objecti,* ut res sacra in furto, debent esse cognitæ et volitæ, saltem interpretative, ut ad peccatum imputentur, hoc est, quod agens illas cognoscere debuerit ac potuerit ; ratio est, quia alias actus non esset deliberatus quoad circumstantiam incognitam.

Dixi *circumstantiæ quæ se tenent ex parte objecti ;* quia eæ quæ se tenent *ex parte actus,* ut intentio, duratio, libertas, etc., vel *ex parte qualitatis agentis,* per ipsummet actum deliberate elicitum satis superque cognitæ sunt et volitæ, proindeque peccaminosæ.

QUÆRES 4. *Quot sint circumstantiæ actuum humanorum in particulari, et quomodo ab ipsis suam moralitatem desumant ?*

RESP. Sunt septem hoc versu contentæ :

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Quis denotat qualitatem et conditionem accidentalem personæ operantis, v. gr. quod operans sit sacerdos, conjugatus, voto obstrictus, ad aliquid ex officio vel justitia obligatus, etc.

Hæc circumstantia mutat speciem, quoties efficit ut actus impugnet diversas virtutes ; sic luxuria ultra propriam malitiam impugnat in religioso religionem, unde est sacrilegium; in conjugato impugnat justitiam, unde est adulterium.

Aggravat vero speciem, quoties causat majorem ad eamdem virtutem oppositionem ; sic gravior est incestus in secundo quam in tertio gradu.

Quid denotat qualitatem aut quantitatem objecti, v. gr. an persona quæ fuit objectum luxuriæ, sit consanguinea, vel voto castitatis obstricta.

Hæc circumstantia mutat speciem, quoties efficit ut objectum ratione specifice diversa sit prohibitum ; hinc diversum a fornicatione crimen committit qui cum conjugata, religiosa, consanguinea fornicatur.

Aggravat vero, quoties causat majorem oppositionem ad eamdem virtutem ; sic gravius peccat qui tres aureos furatur, quam qui unum.

Ubi denotat qualitatem loci, v. gr. si locus sit publicus, vel sacer.

Hæc circumstantia mutat speciem : 1° cum peccatum

commissum est in loco publico, habet enim rationem scandali; 2° cum peccatum in loco sacro commissum, ipsum polluit; nam actus ultra propriam malitiam, habet malitiam sacrilegii. Polluitur autem locus sacer per voluntariam sanguinis et seminis effusionem, etiam occultam.

Aggravat vero quodcumque aliud peccatum, sive externum, sive internum, in loco sacro commissum, quia qui Deum in loco ejus nomini dicato offendit, majorem ipsi injuriam infert.

Quibus auxiliis denotat media et instrumenta, quibus operans usus est ad operandum.

Hæc circumstantia mutat speciem, quando media specialem habent cum aliqua virtute repugnantiam, v. gr. si quis ope dæmonis expresse vel tacite invocati, aliquid consequi voluerit.

Aggravat vero duntaxat, si media sint ejusdem speciei cum fine intento; ut si quis scalam unius furetur, ut alterius pecuniam furetur.

Cur denotat finem extrinsecum operantis, de quo sufficienter egimus articulo prædenti.

Quomodo denotat accidentalem modum quo fit actio.

Hæc circumstantia mutat speciem quando modus est pecie diversus ad actionem; sic furtum cum violentia factum habet rationem rapinæ.

Aggravat vero duntaxat, quando modus est ejusdem rationis cum actione, ut actus intentio, duratio, consuetudo, etc.

Quando denotat durationem et qualitatem temporis accidentariam.

1° Duratio temporis non mutat speciem, sed potest esse tanta, ut eam notabiliter aggravet, v. gr. si distractio voluntaria per totum officium duret.

2° Qualitas temporis aggravat speciem, ut cum quis die communionis ebrietatibus, vel fornicationibus vacat;

sed an mutet speciem, est quæstio controversa, quæ commodius expendetur in dissertatione de præceptis Ecclesiæ.

CAPUT III.

DE AFFECTIONIBUS MORALITATIS.

Nota. Præcipua moralitatis affectio est ejus multiplicatio in eodem actu. Porro, moralitas, ex dictis, eruitur e tribus: nempe duobus substantiam actus humani ingredientibus, scilicet objecto et fine, et ex uno actum humanum jam in suo esse tam morali quam physico constitutum aggrediente, scilicet circumstantiis. Si una sit moralitas et hæc tria sint bona, vel tria sint mala, facilis est solutio: quid autem si moralitas multiplex sit in eodem actu, disserendum restat. Porro, multiplex moralitas inveniri potest vel in eodem capite horum trium, si nempe duplex sit objectum, vel duplex finis, vel duplex circumstantia, unum bonum et alterum malum; vel in diverso capite: si nempe 1° objectum sit bonum et finis malus, vel objectum malum et finis bonus; si 2° objectum et finis bona, sed circumstantiæ malæ, vel objectum et finis mala, sed circumstantiæ bonæ, de quibus variæ instituuntur quæstiones paucis solvendæ. Itaque

Quæres 1. *An idem actus possit simul habere duplicem bonitatem, vel duplicem malitiam: unam ex objecto, alteram ex fine?*

Resp. *Probabilius affirmative,* ex S. Thoma. [1] dicente: *Actiones humanæ habent rationem bonitatis ex fine a quo dependent, propter bonitatem absolutam* (id est ex objecto vel fine operis) *quæ in eis existit.*

Prob. *Ratione.* Tot bonitates vel malitias habere potest actus humanus, quot sunt in eo conformitates vel dif-

[1] 1 2, quæst. 18, art. 4.

formitates a se invicem distinctas ad rationem; at qui idem actus, ex supra dictis, potest esse conformis vel difformis a ratione duobus distinctis modis : ex objecto scilicet, et fine, quorum unus ab alio non pendet et a quo separari potest, v. gr. si eleemosynam erogas in satisfactione pro peccatis, actus habet duplicem bonitatem diversam, unam objecti et alteram finis. Sed prima a misericordia, secunda vero a pœnitentia procedit.—Item, furtum ordinatum ad fornicandum, habet duplicem malitiam diversam: quia ex diverso duplici modo deformis est a ratione, ex uno propter objectum, ex altero propter malum finem operantis : ergo, etc.

Quæres 2. *An idem actus possit esse simul bonus et malus ex eodem capite, v. gr. duobus finibus quorum unus est bonus et alter malus?*

Ante responsionem, notandum ex dictis: 1° duplicem esse finem, totalem seu adæquatum, hoc est ultimum, et non totalem, seu inadæquatum, hoc est intermedium; 2° hominem non posse agere simul et semel propter plures fines ultimos adæquatos et totales. Quo posito,

Resp. Vel malus finis est finis ultimus adæquatus et totalis, vel non.

Si malus finis est finis ultimus, ita ut sit causa totalis et adæquata cur eligitur bonum opus, actus ex nulla parte est bonus, sed totus malus, quia tunc voluntas vult id quod in se bonum est sub ratione mali, ex quæsito tertio infra posito.

Si malus finis non sit finis ultimus et totalis, sed propria ipsius honestas operis etiam moveat et propter se appetatur, ita ut etiamsi malus finis non extaret, adhuc voluntas bonum opus vellet, v. gr. dum quis, ex misericordia proximi et sincero fine compassionis, vult illi dare eleemosynam, sed quia pauper petit in publico, subintrat stimulus vanitatis, quæ etiam movet ad dandam eleemosynam, tunc actio est bona, sed non simpliciter et adæ-

quate, seu partim est bona, partim mala. *Ratio,* quia amare bonum in se et propter se, est necessario et essentialiter bonum; atqui eleemosynæ honestas in 1° casu amatur in se et propter se, ex hypothesi : ergo elargitio eleemosynæ in 1° casu est bona, licet non totaliter — 2° Actus desumit bonitatem suam in *specie* et in *individuo* ab objecto et fine intento; atqui in casu bonum est objectum et bonus est finis, qui ab alio fine malo non destruitur : ergo actio est bona ex parte boni finis. — Unde S. Thomas [1] dicit : *Nihil prohibet actioni habenti unam prædictarum bonitatum deesse aliam : et secundum hoc contigit actionem quæ est bona secundum speciem vel circumstantias, ordinari ad finem malum, vel e converso; non tamen est actio simpliciter bona, nisi omnes bonitates concurrant.* [2]

Quæres 3. *An actus ex objecto malus in finem bonum relatus, desinat esse malus?* v. gr. an peccet qui mentitur ad vitam innocentis conservandam.

Resp. 1. Hunc actum esse *simpliter malum in specie.*

Prob. Specifica actuum humanorum moralitas primaria, desumitur ab objecto secundum esse morale spectato, ut dictum est supra [3]; atqui in casu objectum est malum, ex hypothesi: ergo, etc. Ad malitiam enim moralem specificam satis est ut desit vel unicum eorum quæ debentur actui, secundum illud theologiæ effatum : *Bonum est ex integra causa, malum ex quocumque defectu :* ergo ubi objectum est malum, actus simpliciter malus est.

Resp. 2. Hunc autem esse *saltem inadæquate bonum in individuo* et probabilius est meritorium, cum agens est in bona fide, seu laborat ignorantia invincibili. *Prob.* ex Matth. [4] ubi Christus dicit : *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit;* ubi per oculum communiter (ita Hieronymus, Chrysostomus, August. Jansenius, Maldo-

1 2, quæst. 18, art. 4, ad 3. — [2] Vid. Billuart, *de Act. human.*, diss. 4, art. 4. — [3] Cap. 2, art. 1, *in concl.* — [4] Cap. VI, 22.

natus, Toletus, Cornelius a Lapide, Estius, et alii) intelligitur intentio, per corpus vero actio : ergo si finis est bonus, id est si intentio est bona, tota actio in individuo erit bona.

Quidam distinguentes conseq. respondent : Actio erit bona si objectum sit bonum vel saltem indifferens, *conc.*; si objectum sit malum, *nego*. At genuina interpretatio videtur esse quod si recta fuerit intentio tua, totum corpus actionum quas illa intentio dirigit, lucidum et speciosum erit; si vero prava fuerit intentio tua, totum corpus actionum quod ab illa intentione dirigitur, tenebrosum ac deforme erit. [1]

Confirmatur. Ille non peccat, sed bonum facit, qui conformat voluntatem suam voluntati divinæ; sed qui ex certa conscientia refert actionem suam in finem bonum, conformat voluntatem suam voluntati divinæ : ergo bonam actionem facit. — Præterea, *quod non est ex fide,* id est ex certa conscientia, *peccatum est*, inquit Apostolus : ergo quod ex fide est, id est ex certa conscientia de honestate actionis, peccatum non est, sed bonum. *Subsumo :* sed qui bona fide existimat se posse malum objectum in bonum finem referre, agit ex certa conscientia de honestate suæ actionis; jam enim objectum specifice malum sibi non est malum, sed illud apprehendit ut bonum propter finem intentum. Ergo actus ejus in *individuo* est saltem inadæquate bonus.

Dices : Christus eos damnat qui Apostolos persequebantur, existimantes *obsequium se præstare Deo :* ergo actus ex objecto malus in bonum finem relatus, non desinit esse malus.

Resp. *Nego cons.* Nam qui persequebantur Apostolos, falso existimabant obsequium se præstare Deo; non enim erant magis in bona fide aut in ignorantia invincibili, quam Ju-

[1] Vid. etiam Matth., cap. VI.

dæi qui Christum crucifixerunt; sed seipsos voluntarie decipiebant, et eorum ignorantia erat culpabilis vel in se, vel in causa. Certum utique est actum esse simpliciter malum, quotiescumque ejus objectum malum apprehenditur ut malum, quamvis actus in finem bonum sit relatus : unde Apostolus [1] docet *non esse facienda mala ut eveniant bona.* Ast cum agens est in bona fide, objectum malum est quidem *specifice* seu *objective* malum, sed in *individuo*, seu *subjective* est bonum.

Dixi *et probabilius meritorium;* nam qui operatur cum conscientia invincibiliter erronea, inquit S. Liguorius, [2] non solum non peccat, sed etiam probabilius acquirit meritum. *Ratio,* quia ad dicendum aliquem actum bonum, saltem inadæquatum, sufficit ut ille dirigatur per rationis et prudentiæ dictamen. Cum ergo operans prudenter agit, procul dubio mereri debet propter bonum finem quo operatur, nempe gloriæ Dei, aut charitatis erga proximum, etc. Sicut contra demeretur qui bonum opus facit, sed apprehensum ut malum, propter malum finem, quo opus illud exequitur.

Hinc, S. Bernardus [3] : *Et quidem laudem dignam dixerim vel solam intentionem piam, nec plane condigna remuneratione fraudabitur in opere quoque non bono ipsa bona voluntas.*

Dices : Ex S. Thom., [4] *bonum causatur ex integra causa, malum autem ex singulis defectibus :* ergo, ut actus sit bonus, requiritur ut ex quocumque modo sit bonus.

Resp. Cum S. Liguorio, quod Angelicus loquitur hic de bono absolute et simpliciter sumpto, non autem de bono respective et per accidens, prout a conscientia invincibiliter apprehensum est, sicut ibidem se explicat S. Doctor dicens: *Actus humanus judicatur virtuosus vel vitiosus, secundum bonum apprehensum in quod voluntas fertur, et non secundum materiale objectum actus* [5].

[1] Rom. III, 8. — [2] Lib. I, num. 6. — [3] *de Præcepto et dispensatione,* cap. 12 et 17. — [4] 1 2. quæst. 12, art. 6. — [5] Vid. etiam Quodl. quæst. 3, art. 27.

QUÆRES 4. *Utrum intentio boni finis minuat malitiam actus ex objecto mali, quando objectum malum ut tale deprehenditur?*

RESP. Malitia actus mali ex objecto minuitur per se, cum ad finem bonum ordinatur. Ratio est, quia gravitas peccat desumitur ex affectu ad peccatum; atqui qui actum ex objecto malum ordinat in finem bonum, minorem ad peccatum habet affectum : ergo minus peccat. Unde Div. Thom. [1] ait : *Quanto bonum intentum est melius, tanto magis minuitur culpa mendacii.*

Dixi *per se*, quia per accidens potest fieri ut qui furatur, v. gr. ad dandam eleemosynam, novum peccatum actui adjiciat : tum quia periculo nunquam restituendi se committit; tum quia in peccatum inducit eum cui bona furatus est. Hoc sensu dixit August. : [2] *Etiamsi fur totum pauperibus tribuat, quæ abstulerit, addit potius peccatum quam minuit.*

QUÆRES 5. *An unus idemque actus*, v. gr. eleemosyna propter vanam gloriam, *possit esse bonus ex objecto bono, et malus ex fine malo?*

RESP. *Negative.* Sed est simpliciter malus.

PROB. 1. *Ex Script*, Matth. VI : *Attendite ne justitiam vestram*, id est opera vestra bona, *faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis : alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum qui in cœlis est.* Atqui si illa opera remanerent bona, non forent absque mercede : ergo, etc.

PROB. 2. Si actio illius qui ob vanam gloriam dat eleemosynam pauperi, esset bona, utique ratione objecti; atqui hæc actio nequidem ratione objecti est bona : ergo, etc.

Prob. min. Illa actio non est bona ratione objecti, cujus objectum est malum; atqui objectum eleemosynæ ob vanam gloriam erogatæ est malum : ergo, etc.

Prob. min. Quod consideratur reduplicative ut ordina-

[1] 22, quæst. 110, art. 2. — [2] Hom. 7, inter 50.

ctum ad malum, est malum; atqui objectum eleemosynæ ob vanam gloriam erogatæ, non est eleemosyna simpliciter, sed eleemosyna prout ad malum finem ordinata: ergo, etc. Unde Div. Thom.[1] ait: *Cum aliquis vult dare eleemosynam propter inanem gloriam, hic est unus actus voluntatis, et hic actus totus est malus, licet non ab eo omni quod in eo est malitiam habeat.*

Objicies 1. Qui dat eleemosynam indigenti ob vanam gloriam, implet præceptum charitatis; atqui implere præceptum est bonum opus: ergo, etc.

Resp. *Dist. maj.* Implet præceptum charitatis materialiter, *conc. maj.;* formaliter et in ratione objecti specificantis, *nego maj.* Atqui implere præceptum formaliter et in ratione objecti specificantis, est bonum opus, *conc. min.;* materialiter et in esse entis, *nego min. et conseq.*

Itaque, qui ex malo fine dat eleemosynam indigenti, non satisfacit præcepto formaliter, quia non facit actum justitiæ, sed satisfacit præcepto materialiter; quia subtrahitur præcepti materia ex qua nascebatur ejus obligatio, et ideo manet liber ab obligatione præcepti.

Inst. 1. Qui dat eleemosynam ex malo fine, melius facit quam qui nihil dat; atqui si eleemosyna ejus ex malo fine vitiaretur, non melius ageret quam alter: ergo, etc.

Resp. *Dist. maj.* Melius facit comparative, id est minus peccat, *transeat;* melius facit absolute, quasi faceret bonum formaliter, *nego maj.*

Dixi *transeat*, quia cum neuter faciat bonum formaliter, comparativum *melius* est de non supponente.

Inst. 2. Malitia finis non destruit objecti bonitatem: ergo non impedit quominus actio sit bona quoad objectum. Resp. *Nego ant.*

Prob. Quod est extrinsecum objecto, non destruit objecti bonitatem; atqui finis est quid extrinsecum objecto: ergo, etc.

[1] In 2, dist. 38, quæst. 1, art. 4.

Resp. *Dist. min.* Finis est quid extrinsecum objecto in genere entis, *conc.;* in genere moris, *nego min.* Quod enim transit in rationem objecti specificantis, non est extrinsecum objecto; atqui finis transit in rationem objecti specificantis, nam objectum intenditur ut medium, ideoque ut habens ordinem ad malum finem.

Objicies 2. Ex opinione nostra sequitur hominem justum qui martyrium ex vanæ gloriæ motu subiret, omni cariturum esse merito, imo peccaturum; absurdum consequens : ergo, etc.

Resp. *Nego min.* Talis enim non est vere martyr, juxta illud Div. Hieronym. : [1] *Martyrium ipsum, si ideo fiat ut admirationi et laudi habeamur a fratribus, frustra sanguis effusus est.* Ratio est, quia verum martyrium est effusio sanguinis propter Christum, fideive aut alterius virtutis defensionem.

Quæres 6. *An circumstantia venialiter mala actui bono adveniens totam ejus bonitatem auferat, et meritum?*

Dixi *actui bono adveniens :* cum nempe circumstantia non est finis et intentio agentis, sed irrepit duntaxat in decursu operis de se boni, et in bonum finem directi : v. gr. si quis inchoato in bonum finem jejunio, gloriam inanem inter jejunandum concipiat, vel aliquo veniali tædio, impatientia, etc, afficiatur. Itaque

Resp. *negative.* Ratio est, quia circumstantia de qua loquimur, nullo modo influit in actum bonum, neque ut causa efficiens, neque ut causa finalis, sed eum tantummodo extrinsece comitatur; atqui quod nullo modo influit in actum bonum, illum vitiare non potest: ergo circumstantia actui adveniens totam ejus bonitatem non potest uferre.

Dices : Idem actus non potest esse meritorius simul et demeritorius; atqui si circumstantia adveniens actui bono, totam illius bonitatem non auferret, idem actus esset me-

[1] In cap. 1 Epist. *ad Galat.*

ritorius et simul demeritorius : ergo circumstantia adveniens actui bono, totam illius aufert bonitatem.

Resp. *Nego min.* Quia hic sunt duo actus; circumstantia enim de qua loquimur, non tam est circumstantia, quam actus plane diversus qui secundum se malus est, dum alter secundum se bonus est, licet hocce consortio minuatur ejus bonitas : meritum autem stare potest cum veniali.

CAPUT IV.

DE REGULIS MORALITATIS.

Nota 1. Hactenus consideratis actibus humanis, tum quoad suum *esse physicum*, tum quoad *esse morale;* spectatis etiam his, quibus actus humani constitui vel minui possunt quoad eorum moralitatem, convenienter dicemus de regulis actuum humanorum; sicut enim sunt regulæ in credendis, ita debent esse regulæ in agendis. Porro, duæ sunt regulæ bonitatis et malitiæ actuum humanorum : scilicet *primaria* seu *remota*, et *secundaria* seu *proxima* quæ vel est interna, et est *conscientia ;* vel externa, et est *lex ;* de conscientia et legibus agemus infra.

Nota 2. Cum actus humanus, ut sit bonus, debeat esse conformis, tum naturæ rationali, prout rationalis est, id est prout est intellectiva et volitiva cum libertate; tum lumini rationis ab æterna ratione nobis cœlitus derivato ad justum ab injusto secernendum; tum voluntati divinæ et legi æternæ, quæ est ratio Dei dirigens omnes creaturas in suum finem; curiosius inquirunt Theologi quodnam ex his assignari debeat pro regula primaria et remota actuum nostrorum; verum cum hæc quæstio sit pure speculativa, in ipsa discutienda non immorabimur, ut ad utiliora et practica progrediamur, et resolvamus utrum et quomodo homo teneatur voluntatem suam conformare voluntati divinæ, pro cujus solutione

Nota 3. Duplex est in Deo volitum, *materiale* scilicet et *formale*.

Volitum *materiale* est objectum quod Deus vult.

Volitum *formale* est motivum quo Deus vult objectum materiale.

Porro, voluntas creata potest conformari voluntati divinæ:

1° *In volito materiali tantum:* sic Deus et Judæi mortem Christi intendebant; sed Deus ex charitate, Judæi ex odio.

2° *In volito formali tantum:* sic parens vult vivere infantem suum ut salvetur, quem Deus vult mori ob idem motivum, nempe *ne malitia mutet intellectum ejus.*

3° *In volito materiali* et *formali simul:* sic Deus voluit Christum pati ad redimendum genus humanum, et Christus voluit pati ob eamdem rationem.

Nota 4. Voluntatem nostram posse voluntati divinæ conformari dupliciter: 1° *positive,* per actum expressum, 2° *negative,* per non repugnantiam, seu per approbationem. His notatis, sit

CONCLUSIO I.

Tenemur voluntatem nostram voluntati divinæ, tam in volito materiali, quam in formali, conformare positive, dum agitur de præcepto, negative vero dum agitur de consilio.

Prob. *simplici expositione.* Tenemur positive diligere proximum, quod est materiale volitum; et diligere proximum propter Deum, quod est formale; sed non tenemur velle positive, seu amplecti virginitatem quam Deus nobis tantum consulit: bene quidem tenemur eam velle negative, id est, tenemur eam approbare, esseque dispositi illam amplecti, si Deus vellet, et sub eodem quo vellet motivo: ergo, etc.

CONCLUSIO II.

Semper in omnibus tenemur negative voluntatem nostram voluntati divinæ conformare in volito formali; non tamen semper in volito materiali.

Prob. prima pars. Homo non potest non approbare moti-

tivum agendi æquissimum; atqui motivum agendi in Deo est æquissimum, nempe manisfestatio suæ gloriæ, justitiæ, et aliorum attributorum : ergo homo non potest non approbare tale motivum, quod est negative se conformare Deo in volito formali.

PROB. SECUNDA PARS. Voluntati divinæ non tenemur conformari contra voluntatem divinam; atqui plura vult Deus quæ non vult nos velle, saltem non nisi voluntate conditionata, nempe, *si Deus voluerit;* v. gr. Deus, ut causa prima et universalis, vult bella, pestes, mortem parentum, damnationem peccatorum, etc., quæ tamen non vult nos velle, et quæ sunt mala respective ad nos, ad quos non pertinet communis ordo universi, aut divinæ justitiæ manifestatio: ergo non tenemur nos conformare Deo in volito materiali. Unde Div. August.[1] ait: *Aliquando bona voluntate homo vult aliquid, quod Deus non vult; tamquam si bonus filius patrem velit vivere, quem Deus bona voluntate vult mori.*

Confirmatur Non possumus conformari voluntati divinæ nisi cognoscamus volitum divinum; atqui in particulari nescimus quid Deus velit: ergo non tenemur conformari voluntati divinæ in volito materiali, nisi quando voluntas divina nobis præcepto, vel prohibitione, vel quocumque alio modo manifestatur.

DICES. Dicimus in oratione dominica: *Fiat voluntas tua sicut in cœlo, et in terra*; atqui in cœlo beati conformantur voluntati divinæ, non solum in volito formali, sed etiam in materiali: ergo et in terra viatores id debent præstare.

RESP. *Dist. ant.* Petimus ut fiat voluntas Dei *sicut in cœlo, et in terra,* quoad præcepta et quantum illa voluntas nobis est manifestata, *conc.;* quoad omnia a Deo volita, *nego.* Itaque, per eam orationem petimus a Deo ut in omnibus in terra divinis obtemperemus præceptis, sicut beati in cœlo semper obediunt Deo in omnibus; ita, ex August., exponit

[1] In *Enchir.*, cap. 101.

Div. Thom. [1] Porro, voluntas divina convenienter manifestatur tum per conscientiam, tum per legem, de quibus jam dicturi sumus.

Nota. Passiones quatenus subsunt positæ sub imperio rationis, ab eaque quadamtenus regulantur, et possunt conducere ad ultimum finem, propterea convenienter hic post tractatum de actibus humanis prostrari possunt; quamvis coquod circa eas occupatur magna pars virtutum ex earumque pullulent vitia, post tractatum de virtutibus apposite inveniri potuissent. Igitur hic pauca de passionibus dicemus per modum appendicis. Unde

APPENDIX

DE PASSIONIBUS.

Nota. dicemus 1° de passionibus in communi; 2° de passionibus in particulari, duplici capite.

CAPUT I.

DE PASSIONIBUS IN COMMUNI.

ARTICULUS I.

De natura et divisione passionum.

Quæres 1. *Quid sit passio?*

Resp. Nomen passionis diverso modo sumitur. 1° Pro proprietate essentiam consequente : sic dicimus lucem esse passionem solis, et duritiem adamantis. 2° Sumitur pro receptione cujuslibet effectus, et sic apud philosophos, dicitur sextum constituere prædicamentum. 3° Specialiter sumitur pro receptione alicujus afflictivi : sic Christus dicitur propter nos passionem sustinuisse. 4° Sumitur pro qualitate alterationem causante vel consequente et cito transeunte, ut palor causatus ex metu, et sic reincidit in

[1] In *Catena* super hæc verba; et 2 2, quæst. 83, art. 9, ad 1.

partes quarti prædicamenti. 5° Tandem passio sumitur pro motibus appetitivis quibus animal fertur ad bonum vel fugit malum, et in hoc sensu nunc eam sumimus : Unde dico cum S. Thoma, ex Damasceno, passio recte definitur : *Motus appetitus sensitivi ex imaginatione boni vel mali cum transmutatione corporali.*

Dicitur 1° *motus* seu *actus* : et tenet locum generis; passio enim ex hoc trahit suam appellationem, non quod primario sit aliquid in patiente receptum, sed quod est actus natus causare *transmutationem* in dispositione naturali corporis, quæ transmutatio infert passionem, quatenus subjectum patitur amittendo aliquid.

Dicitur 2° *appetitus sensitivi*, ex imaginatione, etc., ita ut denotetur ejus subjectum et principium.

Dicitur 3° *cum transmutatione corporali* : per quod non modo adjunctum aliquod essentiam passionis concomitans significatur, sed illius discrimen, tum a motibus voluntatis, quæ, cum non desideat in organo corporeo, non se movet per transmutationem corporalem; tum a motibus partis sensitivæ cognoscitivæ, quæ, licet sit affixa organo corporeo, per se tamen, saltem physice, non transmutat corpus, sed solum intentionaliter ; passio vero etiam physice corpus mutat, præcipue, ut [1] notat Div. Thom., *cor ipsum;* nam, ut idem ait, *in omni passione additur aliquid vel diminuitur a naturali motu cordis, in quantum cor intensius aut remissius movetur secundum systolen aut dyastolem*, hoc est, cordis contractionem vel dilatationem.

Duo itaque importat passio, scilicet actum animæ, qui se habet quasi *formale*, et transmutationem corpoream, quæ se habet quasi *materiale*, et a qua dicitur passio. Si primum desit, erit passio pure corporalis; si secundum, non erit passio, sed simpliciter motus seu operatio animæ. *Ita Billuart.*

QUÆRES 2. *Quomodo dividuntur passiones ?*

[1] 2, quæst. 24, art. 2, ad 2.

Resp. Passiones, cum sint actus appetitus sensitivi, eo modo dividi debent quo et ipse appetitus. Appetitus autem sensitivus duplex est : *concupiscibilis* nempe et *irascibilis* : ergo et passio.

Prob. min. Ex S Th. dicente[1] : Considerare oportet quod in rebus naturalibus corruptibilibus non solum oportet esse inclinationem ad consequendum convenientia et refugiendum nosciva ; sed etiam ad resistendum corrumpentibus et contrariis, quæ convenientibus impedimentum præbent, et ingerunt nocumenta. Quia igitur appetitus sensitivus est inclinatio consequens formam naturalem, necesse est quod in parte sensitiva sint duæ appetitivæ potentitiæ. Una per quam animal simpliciter inclinatur ad prosequendum ea quæ sunt convenientia secundum sensum, et ad refugiendum nosciva, et hæc dicitur *concupiscibilis*. Alia vero per quam animal resistit impugnantibus quæ convenientia impugnant, et nocumenta inferunt, et hæc vis vocatur *irascibilis*. Unde objectum potentiæ concupiscibilis est bonum vel malum sensibile simpliciter acceptum : secundum vero quod habet rationem ardui et difficilis, est objectum irascibilis.

Quæres ?. *Quot sunt passiones?*

Resp. Undecim sunt passiones : nempe sex ex appetitu concupicibili, scilicet *amor* et *odium*, *desiderium* et *fuga*, *gaudium* et *tristitia* ; et quinque ex appetitu irascibili : *spes* nempe et *desperatio*, *audacia* et *timor*, et *ira* quæ non habet contrarium.

Prob. Etenim cum passiones sint motus, specificantur secundum diversam virtutem motivam ; diversitas autem hæc accipi potest in passionibus animæ secundum similitudinem agentium naturalium ; omne enim movens trahit quodam modo ad se patiens, vel a se repellit. Trahendo quidem ad se, ait Div. Thomas[2] tria facit in ipso. Et qui-

[1] 1 2, quæst. 81, art. 2, *in corp.*—[2] 1 2, quæst. 23, art. 4, *in corp.*

dem 1° dat ei inclinationem vel aptitudinem ut in ipsum tendat; 2° dat ei, si sit extra locum proprium, moveri ad locum; 3° dat ei quiescere in locum cum pervenerit, quia ex eadem causa aliquid quiescit in loco per quam movebatur ad locum. Et similiter intelligendum est de causa repulsionis.

In motibus appetitivæ partis, bonum habet quasi virtutem attractivam, malum autem virtutem repulsivam. Bonum ergo 1° in potentia appetitiva causat quamdam inclinationem seu aptitudinem, seu connaturalitatem ad bonum, quod pertinet ad passionem amoris, cui per contrarium respondet odium ex parte mali. 2° Si bonum nondum sit habitum, dat ei motum ad assequendum bonum amatum, et hoc pertinet ad passionem desiderii; et, ex opposito, ex parte mali est fuga vel abominatio. 3° Cum adeptum fuerit bonum, dat appetitui quietationem quamdam in bono adepto, et hoc pertinet ad delectationem vel gaudium, cui opponitur, in parte mali, dolor vel tristitia.

In passionibus autem *irascibilis*, præsupponitur quidem aptitudo vel inclinatio ad prosequendum bonum vel fugiendum malum ex concupiscibili, quæ absolute respicit bonum vel malum, et respectu boni nondum adepti est spes et desperatio; respectu autem mali nondum injacentis est timor et audacia; respectu autem boni adepti non est passio aliqua in irrascibili, quia jam non habet rationem ardui; sed ex malo injacente sequitur passio iræ Cur autem ira non habeat contrarium dicetur infra.

Unde schema sequens:

Si bonum vel malum sumantur præcise ut sic, abstrahendo an sit præsens vel absens, respectu boni est *amor*, respectu mali est *odium*.

Si sumatur ut absens, vel absolute consideratur, vel ut arduum. Si 1°, respectu boni est *desiderium*, respectu mali, *fuga*. Si 2°, respectu boni, est *spes* et *desperatio*, respectu mali *audacia* et *timor*,

Si sumatur ut præsens, vel absolute fingitur, vel ut arduum: si 1°, respectu boni est *gaudium*, respectu mali, *tristitia*. Si 2°, respectu mali *est ira*.

ARTICULUS II.

De contrarietate et effectibus passionum.

Nota. Per contriarietatem intelligitur passionum differentia ab invicem. Unde

Quæres 1. *Quomodo contrariantur passiones inter se?*

Resp. Passiones *concupicibilis* inter se contrariantur secundum objecta opposita : passiones vero *irascibilis*, præter iram, secundum accessum vel recessum ab eodem objecto.

Prob. Objectum *concupicibilis* est bonum vel malum sensibile absolute. Bonum autem, qua tale, non potest esse terminus *a quo*, sed solum terminus *ad quem*, quia nihil refugit bonum, qua bonum, sed omnia appetunt ipsum.

Similiter, nihil appetit malum, qua malum, sed omnia fugiunt ipsum; et propter hoc malum non habet rationem termini *ad quem*, sed solum ut *a quo*. Sic igitur omnis passio concupicibilis respectu boni, est ut *in ipsum*: respectu vero mali, ut *ab ipso*. Unde in passionibus concupicibilis non potest esse contrarietas secundum accessum et recessum ab eodem termino, sed tantum secundum objectorum contrarietatem. Sed objectum irascibilis est sensibile bonum vel malum, non quidem absolute, sed sub ratione difficultatis et arduitatis. Bonum autem arduum habet rationem termini *ad quem*, in quantum bonum, et termini *a quo*, in quantum arduum, ut accidit in spe v. gr., et desperatione. Unde, in passionibus *irascibilis* adest contrarietas secundum accessum et recessum.

Dixi *præter iram;* singulare est enim in passione iræ quod non possit habere contrarium, neque secundum accessum et recessum, neque secundum contrarietatem boni et mali. Non 1ᵘᵐ : causatur enim ira ex malo arduo jam

injacente : ad cujus præsentiam necesse est quod aut appetitus succumbat, et sic non erit terminus tristitiæ, quæ est passio concupiscibilis; aut habeat motum ad invadendum malum lœsivum quod pertinet ad iram ; motum autem ad fugiendum habere non potest, quia jam malum ponitur præsens vel præteritum, et sic motui iræ non contrariatur aliqua passio secundum contrarietatem accessus et recessus. Non 2ᵘᵐ : quia malo jam injacenti opponitur bonum jam adeptum, quod, ex jam dictis, nequit habere rationem ardui; nec post adeptionem boni remanet alius motus, nisi quietatio appetitus in bono adepto, quæ pertinet ad gaudium, quod est passio concupiscibilis. Unde motus iræ non potest habere aliquem motum animæ contrarium, sed solummodo opponitur ei cessatio a motu. Ita S. Thomas.

Quæres 2. *An passiones possint esse bonæ vel malæ?*

Resp. Passiones considerari possunt secundum se, vel secundum quod subjiciuntur imperio rationis et voluntatis. Si considerentur *secundum se*, passiones nec sunt bonæ, nec malæ moraliter, sed prorsus sunt indifferentes, ut patet. Si vero considerentur *secundum quod subjiciunt imperio rationis et voluntatis*, sunt bonæ vel malæ, seu potius, in eis est bonum vel malum morale prout sunt voluntariæ, id est, a voluntate imperatæ, vel ab ipsa non prohibitæ, et prout exercentur juxta vel contra ordinem rectæ rationis.

Prob. Appetitus sensitivus est a Deo ut naturæ auctore; atqui quæ sunt a Deo non possunt esse nec malæ in se, nec semper in actibus suis : ergo fieri non potest ut aliqui actus appetitus sensitivi non sint boni, si a ratione regulentur et imperentur. *Præterea* propinquior est appetitus sensitivus rationi et voluntati, quam membra exteriora corporis quorum tamen actus sunt moraliter boni vel mali prout sunt voluntaria et imperantur regulanturque per rationem : ergo *a fortiori* appetitus sensitivus, etc.

Hinc, Christus adhibuit passiones quando judicavit ad

nibendas esse. *Circumspexit cum ira;* [1] tristis fuit ejus *anima usque ad mortem* [2]; flevit super Jerusalem [3]: *turbavit semetipsum et lacrymatus est*. Hinc Apostolus jubet *gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus* [4].

Dixi *juxta vel contra ordinem rectæ rationis;* nam deordinatio passionis non mensuratur secundum suam intentionem vel remissionem, sed secundum quod, spectatis circumstantiis, recta ratio exigit eum intendi vel remitti. Unde, non semper peccat qui vehementer irascitur, vel dolet, vel timet, etc., sed qui, datis circumstantiis, plus vel minus irascitur, dolet, timet, etc, quam recta ratio exigit.

Quæres 3. *An passio, dum rationi et voluntati cooperatur, diminuat vel augeat bonitatem aut malitiam actus moralis?*

Nota. Passiones animæ, juxta Div. Thom. [5] dupliciter se possunt habere ad judicium rationis : antecedenter scilicet, et consequenter, et hoc adhuc dupliciter : 1° per modum *redundantiæ*, id est, cum pars superior animæ intense movetur in aliquid, et sequitur motum ejus etiam pars inferior; 2° per modum *electionis*, quando, scilicet, homo ex judicio rationis eligit affici aliqua passione, ut promptius operetur, cooperante appetitu sensitivo. Hoc notato,

Resp. 1. Passio *antecedens* voluntatem et judicium rationis, minuit bonitatem moralem actionis, quia obnubilat judicium rationis ex quo dependet bonitas moralis actus.

Resp. 2. Passio *consequens* voluntatem, quæ se habet per modum redundantiæ, est signum intensioris voluntatis, sed non auget bonitatem moralem actus.

Resp. 3. Passio *consequens* voluntatem, se habens per modum electionis, addit ad bonitatem actionis ; nam, inquit S. Thomas (*ibid in corpore*), *sicut melius est quod homo et velit bonum, et faciat exteriori actu, ita etiam ad perfectionem boni moralis pertinet, quod homo ad bonum morale moveatur non solum secundum voluntatem, sed etiam secundum appetitum sensitivum.*

[1] Marc. III. — [2] Ibid. XIV. — [3] Joan. VII. — [4] Rom. XII. — [5] 1 2, quæst. 24, art. 3, ad 1

CAPUT II.

DE PASSIONIBUS IN PARTICULARI.

Nota. Cum duplex sit appetitus sensitivus, *concupiscibilis* scilicet, et *irascibilis*, ideo duplex erit articulus : unde

ARTICULUS I.

DE PASSIONIBUS APPETITUS CONCUPISCIBILIS.

§ I.

De amore.

Nota. Tria nobis circa amorem sunt quærenda : nempe 1° illius quidditas; 2° illius causa; 3° illius effectus. Est enim motus; motus autem tria importat : nempe suammet naturam, terminum *a quo*, seu causam, terminum *ad quem*, seu effectus. Unde

QUÆRES 1. *Quid sit amor ?*

RESP. Amor, ut sic, *est complacentia boni ;* sicut enim verum est adæquatio inter rem et intellectum, sic bonum est adæquatio quædam inter rem et amorem. — Intellige tamen complacentiam firmam et robustam, appetitus dominam. Recens enim et infirma potius *inchoatio* amoris est quam amor. — Vel aliter: *amor est propensio in bonum secundum se, abstrahendo a præsente vel absente.*

Nota. Cum Div. Thoma, quod quatuor nomina inveniuntur ad idem quodammodo pertinentia, scilicet amor, dilectio, charitas et amicitia. Complacentia boni robusta, de qua supra, si sit cum quadam electione, qua judicio discretivo bonum aliquod ex pluribus deligitur, in quod affectus tendat, dicitur *dilectio.* Si vero præcise sit, ait Goudin [1], ex impressione forti ipsius boni rapientis affectum, retinet simplicis *amoris* nomen. Unde præclare Dionysius [2], dicit quod *quibusdam sanctorum visum est divinius esse nomen amoris quam dilectionis ;* quia scilicet, ut egregie interpretatur Div. Thom. [3], *Magis homo in Deum potest tendere*

[1] Philosop. D Thom., 3 p. *de Passionibus.* — [2] Cap. 4 *de Divinis nomin.* — [3] 1 2, quæst. 26, art. 3, ad 4.

per amorem passive quodammodo ab ipso Deo attractus, quam ad hoc eum propria ratio possit ducere : quod pertinet ad rationem dilectionis. Si autem complacentiæ accedat ingens quædam boni amati appretiatio, quatenus id quod amatur magni pretii æstimatur, tunc vocatur *charitas*, quæ idcirco locum habet proprie in amore divinorum, non vero nisi improprie in amore bonorum corporalium, quæ sunt vilis pretii. De amicitia dicetur infra.

Quæres 2. *Quomodo dividatur amor?*

Resp. Amor dividitur in *naturalem*, *sensitivum* et *rationalem*, secundum differentiam appetitus. Est enim, ait Div. Thomas, quidam appetitus. Nam consequens amor *naturalis* nihil aliud est, quam inclinatio naturæ indita in bonum sibi conveniens, ut lapidis in centrum.

Amor *sensitivus* seu *animalis* est inclinatio in bonum apprehensum per sensus, et hic solus est passio.

Amor *rationalis* seu *intellectivus* est inclinatio in bonum per intellectivum apprehensum.

2° Amor sive sensitivus, sive rationalis, dividitur in *amorem amicitiæ* et in *amorem concupiscentiæ*, quia motus amoris in duo tendit, scilicet in bonum quod quis vult alicui, vel sibi, vel alteri, et in eum cui vult bonum.

Amor *amicitiæ* est motus amoris quo quis vult bonum alicui, propter ipsum, v. gr. mater vult bonum filio, propter filium.

Amor vero *concupiscentiæ* est motus amoris quo quis vult bonum quia bonum est sibi, v. gr. amat vinum propter dulce quod in eo concupiscit.

Unde, id quod amatur amore *amicitiæ*, simpliciter et per se amatur, et est amor perfectus; id vero quod amatur amore *concupiscentiæ*, non simpliciter sed secundum quid tantum amatur, et est amor imperfectus.

Quæres 3. *Quænam sint causæ amoris?*

Resp. Tres sunt causæ amoris, *bonum* scilicet, *cognitio* et *similitudo*

Prima et præcipua causa amoris est *bonum*, quia bonum est objectum amoris; objectum autem amoris est causa motiva illius, unde S. Augustinus [1] dixit: *Non amatur certe nisi bonum solum.*

Dices: Aliquando contingit etiam malum amari, secundum illud Psalmistæ [2]: *Qui diligit iniquitatem, odit animam suam;* atqui iniquitas est malum: ergo non solum bonum est causa amoris.

Resp. *Nego conseq.* Nam respondet Angelicus [3]: *Malum nunquam amatur nisi sub ratione boni, scilicet in quantum est secundum quid bonum, et apprehenditur sicut simpliciter bonum.* Igitur homo diligit iniquitatem, non qua talem, sed in quantum per iniquitatem obtinet aliquod bonum, puta delectationem, vel pecuniam, vel aliquid hujusmodi.

Secunda amoris causa, est *cognitio*, quia objectum non movet nisi cognitum, ex adagio: *Ignoti nulla cupido.* Sicut enim visio corporalis est principium amoris sensitivi, juxta philosophos, ita contemplatio spiritualis pulchritudinis vel bonitatis spiritualis est principium amoris spiritualis.

Tertia causa amoris est *similitudo*; ex illo Eccl. XIII, 19: *Omne animal diligit simile sibi*; unde commune adagium: *Simile simili gaudet.*

Est autem duplex similitudo inter aliqua, una *actualis* dum duo habent idem in actu, v. gr. speciem humanitatis; et altera *potentialis*, dum unus habet rem actu, quam alter habet tantum in potentia, et illam appetit. Prima similitudo generat amorem *amicitiæ*, quia unus tendit in alterum sicut in unum sibi, et vult ei bonum sicut sibi. Secunda similitudo causat amorem *concupiscentiæ* vel amicitiam utilis et delectabilis, quia facit ut qui habet solum in potentia quod alter actu possidet, v. gr. scientiam, eum appetat, et in ejus consecutione delectetur, si sit sciens et cognoscens [4].

[1] *De Trin.* VIII. cap. 3. — [2] Psalm. X, 6. — [3] 1 2, quæst. 27, art. 1, ad 1. — [4] Ita S. Thom. 1 2, quæst. 27, art. 3.

Ex similitudine tamen per accidens nascitur odium, quod fit quando similis in participatione impeditur a consecutione boni quod amat; tunc impediens efficitur odiosus non in quantum est similis, sed in quantum est proprii boni impeditivus. Hinc philosophus : *Figulus figulum odit.* Et illud Prov. XIII : *Inter superbos semper sunt jurgia.*

QUÆRES 3. *Quinam sint effectus amoris?*

RESP. Multiplex sunt effectus, seu potius gradus ejusdem effectus amoris. 1° Est unio sive realis, sive affectiva; 2° adhæsio; 3° extasis; 4° zelus; 5° lœsio amantis; 6° liquefactio; 7° fruitio; 8° languor; 9° fervor, de quibus maxime mystici [1].

§ II.

De odio.

QUÆRES. *Quid, et unde sit odium?*

RESP 1. Sicut amor est propensio seu inclinatio in bonum, qua tale deprehensum, ita odium est aversio a malo qua tali exismato, quod intelligitur de odio abominationis quo aliquem vel aliquid tanquam malum abominamur et fugimus. Unde in odio inimicitiæ duo sunt distinguenda : inimicus scilicet, quem odio abominamur, et malum quod ei volumus et prosequimur tanquam bonum nobis, sed tanquam malum ei quem odio habemus. Igitur odio inimicitiæ, inimicus est objectum odii ; malum vero quod ei cupimus est objectum boni vel prosecutionis.

RESP. 2. Odium causatur ex amore juxta quod dicit S. Aug. [2] : *Omnes affectiones causantur ex amore.* Ratio est, quia amor consistit in quadam convenientia amantis ad amatum, odium vero consistit in quadam repugnantia vel dissonantia ; sed hæc repugnantia non habetur nisi illius impeditivi et contrariantis objecto convenienti quod amatur; ergo odium nascitur ex amore.

[1] Conf. S. Thom. 1 2, quæst. 28.—[2] Lib. XIV de *Civit. Dei*, cap. 7 et 9.

Quæres 2. *An odium sit fortius amore?*

Resp. *negative generaliter loquendo.* 1° Eo quod impossibile sit effectum sua causa esse fortiorem; atqui odium procedit ex amore sicut ex sua causa : ergo. 2° Quia fortius movetur aliquid in suum finem quam ad finem; atqui recessus a malo, qui fit per odium, ordinatur ad consecutionem boni, sicut ad finem : ergo fortior est amor quam odium.

Dixi *generaliter loquendo;* nam aliquando videtur odium fortius amore : 1° eo quod odium sit magis sensibile quam amor ; 2° quia cum diversitas sit amorum in magnitudine et parvitate, diversa sunt etiam opposita odia quæ amoribus opponuntur; unde odium quod correspondet majori amori, magis movet quam minor amor [1].

§ III.

De desiderio et fuga.

Quæres 1. *Quid sint desiderium et fuga?*

Resp. Desiderium est *affectus appetitus tendens in bonum absens;* per quod differt a delectatione, quæ est de bono præsenti, et ab amore qui est de bono secundum se, non attendendo an sit præsens vel absens. Fuga, quæ opponitur desiderio, est *aversio seu recessus a malo futuro.*

Quæres 2. *An desiderium possit esse infinitum?*

Resp. *Dist.* Desiderium *naturale,* sive naturæ animali conveniens, sicut illud quod sistit in cibo et potu, nobisque cum animalibus est commune, non potest esse infinitum in *actu;* est enim ejus quod natura requirit; natura vero semper tendit in aliquid finitum et certum. Potest autem esse infinitum in *potentia* per successionem; unde dixit Dominus Samaritanæ [2] : *Qui bibit ex hac aqua, sitiet iterum.*

Desiderium vero non *naturale* sed *rationale,* omnino est

[1] S. Thom. 1 2, quæst. 28, art. 3. — [2] Joann. IV, 13.

infinitum; sequitur enim rationem, rationi autem competit in infinitum procedere: ergo et desiderium rationale. Unde, qui desiderat divitias, potest eas desiderare non ad aliquem certum terminum, sed simpliciter eas acquirere quantumcumque potest.

Nota. Desiderium rationale duplex est, nempe desiderium ejus quod est *ad finem*, et ejus quod est *in finem*. Desiderium ejus quod est ad finem non est infinitum, si secundum illam mensuram desideratur quæ convenit fini. Hinc, qui ponunt finem in divitiis, appetunt illas in infinitum, propter quod mortaliter peccant [1].

§ IV.

De delectatione.

Quæres 1. *Quid sit delectatio?*

Resp. Delectatio est *quies appetitus in bono possesso.* Si sit appetitus rationalis, est delectatio spiritualis; si appetitus sensitivi, est delectatio sensibilis seu corporalis, quæ sola est passio, quia sola est cum transmutatione corporali.

Dicitur *quies appetitus*, quod non accipitur privative pro cessatione ab omni actu, sicut accidit in intelligentibus quæ cum ad suum finem vel perfectionem pervenerint, quiescunt per cessationem ab omni motu, sicut corpus quod pervenit ad centrum suum; verum sicut cognoscitiva, quæ cum pervenerint ad id quod appetebant, id percipiunt, seu cognoscunt, et ex illa cognitione seu sensu causantur in anima quidam motus in bono præsenti complacentis et quiescentis; iste vero motus est delectatio.

Nota 1. Quod non sit idem gaudium ac delectatio: *delectatio* enim dicitur de his quæ naturaliter concupiscentes consequimur; *gaudium* vero non habet locum nisi in delectatione quæ consequitur rationem, unde gaudium non attribuitur brutis, sed sola delectatio. Gaudium igitur est

[1] S. Thom. ibid. quæst. 30.

species delectationis, et minus patet quam delectatio.

Nota 2. Quamvis delectationes spirituales per se sint majores sensualibus, utpote nobiliores, respectu tamen nostri, delectationes sensuales sunt majores spiritualibus: tum quia sensuales nobis sunt magis notæ; tum quia sensibiliores sunt et magis nos captivant quam spirituales; unde fit quod plures sequantur delectationes sensuales quam spirituales.

QUÆRES 2. *Quænam sint causæ delectationis?*

RESP. Septem sunt causæ delectationis, ex Div. Thom.[1] *Prima* causa, est ipsa *operatio;* nam ad delectationem duo requiruntur, scilicet consecutio boni convenientis, et cognitio ejus adeptionis; atqui utrumque horum in quadam operatione consistit: ergo, etc.

Secunda causa est *motus* seu mutatio et alteratio; nam in delectatione transimus vel transmutamur de bono ad bonum vel ad melius, quia natura nostra est transmutabilis: atqui talis motus est delectabilis: ergo, etc.

Tertia causa est *spes futuri*, ex Apostolo[2]: *Spe gaudentes. Ratio,* quia delectatio causatur non tantum per præsentiam rei sensibilis, sed et per possibilitatem vel facultatem ejus apprehensionis; atqui spes est facultas sive possibilitas adipiscendi bonum quod delectat: ergo, etc.

Quarta causa est *memoria præteriti*, quæ habet solam conjunctionem apprehensionis, eo quod sit de eo quod jam transit. Ratio, quia delectatio causatur ex præsentia boni convenientis, secundum quod sentitur, vel qualitercumque percipitur; atqui memoria reddit præsens bonum quod fuit objectum delectationis: ergo, etc.

Quinta causa est *similitudo:* nam similitudo est causa amoris, ut supra dictum est; amor autem causat delectationem: ergo, etc. Aliunde similitudo est quædam unitas; sed id quod est simile, in quantum est unum, est delectabile, sicut et amabile: ergo, etc.

[1] 1 2, quæst. 32. — [2] Ad. Rom. XII, 12.

Quæres 3. *Quinam sunt effectus delectationis ?*

Resp. Effectus delectationis hæc sunt : 1° dilatatio cordis quo i sese explicat ac diffundere videtur secundum illud[1]: *Videbis et afflues, et mirabitur et dilatabitur cor tuum.* 2° Causat sitim et desiderium sui, quando scilicet, imperfecte habetur. 3° Impedit, imo quandoque absorbet usum rationis, quando scilicet delectationes sunt corporales. 4° Perficit ipsam operationem qua percipitur, eo quod agens qui delectatur in sua actione, vehementius attendit ad illam, et diligentius eam operatur.

§ V.

De Tristitia.

Quæres 1. *Quid sit tristitia?*

Tristitia est *affectus appetitus, causatus ex apprehensione mali præsentis :* patet *ex dictis* de delectatione cui opponitur. Similiter ejus causæ et effectus ex causis et effectibus contrariis delectationis cognoscuntur.

Quæres 2. *Quænam sint remedia tristitiæ?*

Resp. *Quinque* communiter assignantur remedia tristitiæ. 1° Quælibet delectatio quæ directe ei opponitur cor dilatando et gaudium in eo producendo; 2° fletus, suspiria, gemitus aliaque signa exteriora tristitiæ ; tum quia omne nocivum interius clausum magis affligit, minus autem quando ad extra diffunditur ; tum quia hæc signa sunt operationes convenientes tristitiæ ; quidquid autem est conveniens, similiter est delectabile ; 3° amicorum compassio ; ad tristitiam enim pertinet aggravare ; quod autem habet rationem amoris, allevatur per conantem ab illo onere allevandum, quod hic fit per compassionem, seu participationem ad onus tristitiæ; 4° pro sapientibus, contemplatio veritatis, quia talis contemplatio ipsis est

[1] Isai. L, 5.

maxime delectabilis ; 3° somnus et balneum quibus animus cum corpore simul reficitur.

ARTICULUS II.

DE PASSIONIBUS APPETITUS IRASCIBILIS.

Nota. Quinque, ut diximus supra, sunt passiones appetitus irascibilis : nempe spes et desperatio, suum oppositum ; audacia et timor, et ira quæ non habet contrarium. Unde

§ I.

De spe et desperatione.

QUÆRES : *Quid sint spes et desperatio ?*

RESP. Spes est *motus appetitus tendens in bonum futurum, difficile et arduum, adeptu tamen possibile.* Desperatio e contra, *motus recedens a bono arduo adeptu impossibile, saltem moraliter;* quatuor vero considerantur circa objectum spei.

1° Dicitur *bonum*; non enim, proprie loquendo, est spes nisi de bono, et per hoc spes differt a timore, qui est de malo. 2° Dicitur *futurum*, quia non speratur quod de præsenti jam habetur, et per hoc differt a gaudio, quod est de bono præsenti. 3° Dicitur *arduum;* non enim aliquis dicitur aliquid sperare quod statim est in sua potestate ut habeat, et per hoc differt spes a desiderio vel cupiditate, quæ est de bono futuro absolute et pertinet ad concupiscibilem. 4° Dicitur *possibile adeptu;* non enim quis sperat quod omnino adipisci non potest, et per hoc differt spes a desperatione.

Nota. In juvenibus, ebriis et aliis qui non utuntur deliberatione, abundat spes propter tria : 1° quia multum habent de futuro, et parum de præterito, et propter hoc parum habent de memoria, sed multum vivunt in spe; 2° quia, cum multos habeant spiritus, propter caliditatem naturæ, propterea sunt animosi et bonæ spei; 3° quia non satis passi repulsam, nec experti impedimenta in suis

conatibus, facile æstimant se id posse consequi quod volunt.

§ II.

De audacia.

Quæres : *Quid sit audacia?*

Resp. Audacia est *motus quo appetitus insurgit adversus malum terribile imminens, ad illud fugandum et superandum.*

Dicitur *terribile*, quia mala levia contemnuntur. Objectum autem audaciæ potest esse bonum vel malum sub ratione boni. Fertur enim in malum vincendum et fugandum, quæ victoria est bona ad consequendum bonum quod sperat appetitus.

Nota. Audaces sunt promptiores in principio quam in fine in ipsis periculis, quia audacia non est virtus collativa nec inquisitiva singulorum quæ circumstant rem, sicut ratio quæ discurrit circa omnia quæ afferunt difficultatem negotio; sed subitum habet judicium, unde plerumque contingit quod quando audaces jam experiuntur periculum, sentiunt majorem difficultatem quam æstimaverunt, et propter hoc vires et arma deponunt.

§ III.

De timore.

Quæres 1. *Quid sit timor?*

Resp. Est *motus appetitus refugiens malum futurum arduum imminens, cui non nisi difficile potest resisti, seu est dejectio animi victi gravitate periculi.*

In operatione autem hominis, inquit S. Thomas [1], *potest duplex malum timeri :* 1° *quidem labor gravans naturam, et sic causatur segnities, cum scilicet aliquis refugit operari propter timorem excedentis laboris;* 2° *turpitudo lædens opinionem; et sic, si turpitudo timeatur in actu committendo, est*

[1] 1 2, quæst. 41, art. 4.

erubescentia; si autem sit de turpi jam facto, est verecundia.

Quæres 2. *Quinam sint effectus timoris?*

Resp. Effectus timoris est contractio, non solum metaphorica, qua appetitus a malo victus recedit et in seipso recolligitur, sed propria et corporis contractio caloris et spirituum ad interiora, non ut impetum faciant, ut in ira, desiderio et audacia, sed ut solvantur.

Ex hoc effectu plures alii nascuntur, v. gr. tremor, pallor, vocis interclusio, erectio capillorum, deliquium animi, stupor, turbatio mentis, sitis, faucium ariditas, et alia ejus generis.

§ IV.

De irâ.

Quæres. *Quid sit ira?*

Resp. Ira est *appetitus vindictæ cum fervore sanguinis circa cor.* Dicitur *vindictæ*, per quod differt ira ab odio *inimicitiæ*. Odium enim vult malum; sed ira vult illi malum sub ratione juris vindicativi.

Præcipua causa iræ est *parvipensio* et *contemptus*, ad quem omnes aliæ causæ reducuntur, ex S. Thom.[1] Ratio, quia parvipensio excellentiæ hominis opponitur; atqui ex omnibus bonis nostris aliquam excellentiam quærimus: ergo quodcumque nocumentum nobis inferatur, in quantum excellentiæ derogat, ad parvipensionem pertinet. Hinc, eo major est contemptus, quo major est excellentia irati.

Effectus autem iræ sunt 1° delectatio propter spem vindictæ, quæ si sit præsens, fit perfecta delectatio; 2° fervor sanguinis circa cor; 3° turbatio mentis et corporis; 4° taciturnitas, vel quia cum ratione est ira, et judicium rationis in tantum viget ut cohibeat linguam ab inordinata locutione; vel quia tanta est turbatio iræ, quod impediatur lingua ab usu loquendi, et tunc pariter sequitur taciturnitas.

[1] 1 2, quæst. 27, art. 2.

Nota. Duplex est actuum humanorum regula : altera externa, remota et materialis, nempe lex, de qua in tractatu sequenti : altera interna, proxima et formalis, scilicet conscientia, de qua nunc presentem tractatum instituimus.

TRACTATUS

DE CONSCIENTIA.

CAPUT I.

DE CONSCIENTIÆ NATURA, VI OBLIGATORIA ET DIVISIONE.

Quæres 1. *Quid sit conscientia ?*

Nota. Licet aliqui conscientiam cum synderesi confundant, differunt tamen tanquam actus ab habitu, seu tanquam judicium practicum practicum a speculativo. Synderesis enim (sic dicta a verbo græco quod idem sonat ac conservare) est habitualis cognitio speculativa et conservatio primorum principiorum moralium, v.gr. *Deus est colendus, Quod tibi non vis, alteri ne feceris.* Conscientia autem est eorumdum actualis applicatio alicui materiæ particulari, seu judicium practice practicum, v. gr. non debeo meum condiscipulum hac injuria lacessere; debeo hac in re superioribus meis, tanquam Deo ipsi, obtemperare, etc.

Resp. 1. Conscientia, si nominis etymologia spectetur, vocatur a S. Bernardo *scientia cordis*, quatenus est scientia earum rerum quæ in animo nostro sitæ sunt. — Vel a Div. Antonino : *scientia concludens*, quia conscientia est conclusio syllogismi practici. — Vel ab aliis communiter dicitur : *cum alio scientia*, eo quod importat applicationem seu conjunctionem actualis scientiæ vel notitiæ cum actione particulari; unde Angelicus conscientiam definit : *Applicationem scientiæ ad opus aliquod particulare.* [1]

Resp. 2. Moraliter spectata, conscientia communiter de-

[1] 1 p. quæst. 19, art. 13 et quæst. 17 *de Verit.* art. 2.

finitur : *Actus intellectus practice dictans quid in particulari sit faciendum vel omittendum.*

Dicitur 1° *actus*, non vero potentia nec habitus : non *potentia*, quia est invariabilis ; conscientia vero sæpe mutatur de bono in malum ; non *habitus*, quia habitui conveniunt conscientiæ proprietates, nimirum *testificari, accusare, remordere, dirigere*, etc. Restat ergo ut sit actus applicans synderesin ad actionem particularem. *Nec dicas :* in dormientibus non remanet actus, et tamen remanet conscientia : ergo non est actus. Nam

Resp. *Dist. secund. part. antec.* In dormientibus remanet conscientia radicaliter, in suo principio, nempe synderesi, et virtualiter, nimirum virtute præcedentis actus per actum contrarium non revocati, *conc.;* formaliter et actu, *nego.*

Dicitur 2° *actus intellectus;* quia conscientia ad eam facultatem pertinet, cujus est de agendis vel non agendis judicare ; atqui solius est intellectus de agendis judicare : ergo, etc.

Diges cum Durando : Conscientia dicitur bona vel mala : ergo pertinet ad voluntatem.

Resp. *Dist. ant.* Dicitur bona vel mala directive et regulative, *conc. ant.;* formaliter, *nego ant.* Habere autem bonitatem vel malitiam directive, ad intellectum, non ad voluntatem pertinet, quæ, utpote potentia cæca, debet dirigi, nec dirigere potest.

Dicitur 3° *intellectus pratici*, quia conscientia non versatur circa actiones humanas, ut eas cognoscat, sed ut eas dirigat, non solum in genere, ut facit prudentia generalis, sed in particulari : ideo vocatur judicium practice practicum, ut distinguatur a prudentia generali cujus judicium vocatur speculative practicum.

Dicitur 4 *dictans quid in particulari sit*, etc. ; per quod iterum differt tum a synderesi, quæ versatur circa prima morum principia ; tum a prudentia generali quæ ex primis principiis deducit conclusiones generales, abstrahentes

scilicet a circumstantiis; conscientia vero prima principia applicat ad hoc aut illud in particulari, hoc est, cum omnibus suis circumstantiis consideratum : v. gr, synderesi dictat : quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris, ex quo prudentia generalis concludit generaliter : ergo non est retinendum id quod est alterius; idemque lex docet, unde conscientia subsumit : atqui hæc pecunia quam casu inveni, est aliena : ergo eam retinere non debeo.

Quæres 2. *An conscientia habeat vim obligandi?*

Resp. *affirmative*. Ratio, quia 1° conscientia est sicut *præco Dei et nuntius*, inquit Div. Bonaventura, *et quod dicit, non mandat ex se, sed mandat quasi ex Deo, sicut præco cum divulget edictum regis; et hinc est quod conscientia habet virtutem ligandi* [1]. Ergo in tantum nos ligat conscientia, in quantum ostendit Deum nobis præcipere : non enim est lex ratione sui quasi istud dictamen, seu judicium rationis practicum quod diximus conscientiam, sed quia proponit et applicat regulam et legem in particulari.

2° Quia conscientia *divinum est tribunal cervicibus nostris impositum*, ut ait Chrysostomus [2]; atqui sententia cujuscumque tribunalis habet vim obligandi eum in quem dicitur : ergo, etc.

3° Quia conscientia est *dictamen* practicum rationis, et *regula* proxima actionum nostrarum; porro illam sequi tenemur, cum a justo et recto declinare non debeamus. Et ideo agere contra conscientiam semper includit voluntatem peccandi; tunc enim agimus quod prohibitum judicamus. Hinc Angelicus : *Secundum hoc conscientia ligare dicitur, quod aliquis, nisi conscientiam impleat, peccatum incurrat*.

Quæres 3. *An plus obliget conscientia, quam Superioris præceptum?*

Resp. *affirmative*. Scriptura enim dicit : *Obedire Deo*

[1] In 4, dist. 39, art. 1, 2, 9. — [2] Homil. *ad pop. Anth.* — [3] Quæst. 17 *de Verit.*

portet magis quam hominibus [1]; et Div. Petrus ad Judæos iniqua eidem præcipientes, aiebat : *Si justum est in conspectu Dei vos potius audire quam Deum, judicate.*

Ratio, quia *conscientia*, ait Angelicus, *non ligat nisi præcepti divini scientia: comparare igitur ligamen conscientiæ ad ligamen quod est ex præcepto Prelati, non est aliud quam comparare ligamen præcepti divini ad ligamen præcepti Prælati : unde cum præceptum divinum obligat contra præceptum prælati, conscientiæ ligamen erit majus quam ligamen præcepti Prælati* [2].

Hoc tamen cum grano salis est intelligendum : nempe si constet omnino Superiorem non recte præcipere ; aliter, præsumptio stat pro illo, et illi omnino parendum est, *in eo quod non sit certum displicere Deo,* inquit D. Bernardus [3]: neque enim fas est, supponere quod superior sua velit abuti potestate præcipiendo quod rectæ conscientiæ repugnat.

Quæres 4. *Quomodo dividatur conscientia ?*

Nota. Conscientia considerari potest 1° vel ratione *temporis*, quo judicium illud practicum exercetur ; 2° vel ratione objecti et subjecti circa quod et in quo idem versatur ; vel ratione obligationis legis quam divulgat. Unde,

Resp. 1° *Ratione temporis*, conscientia dividitur in *antecedentem* et *consequentem*, prout refertur ad actus præteritos vel futuros ; nam conscientia non versatur tantum circa facienda, sed etiam circa ea quæ facta sunt. Ipsa conscientia consequens vel accusat vel remordet, et dicitur *remorsus, vermis corrodens ;* vel excusat et approbat, et *testimonium bonæ conscientiæ* nuncupatur.

2° *Ratione obligationis* legis quam divulgat conscientia dividitur in *obligantem, consulentem* et *permittentem.* Prima dictat aliquid faciendum vel fugiendum ; secunda dictat aliquid esse melius et de consilio tantum ; tertia

[1] Act. III. — [2] Quæst. 17 *de Verit.*, art. 4. — [3] *De Præcept. et discipl.* cap. 2.

dictat aliquid nec prohiberi, nec præcipi, sed permitti.

De conscientia sub hoc priori duplici respectu nulla satis gravis exhibetur controversia.

3° *Ratione objecti* circa quod judicium practicum versatur, et *ratione subjecti* in quo exercetur, conscientia dividitur 1° in *veram, erroneam* et *perplexam*; 2° in *scrupulosam* et *latam*; 3° in *certam* et *dubiam*; 4° in *probabilem* et *improbabilem*. De quibus agemus totidem capitibus.

CAPUT II.

DE CONSCIENTIA VERA, ERRONEA ET PERPLEXA.

QUÆRES. *Quid sit conscieutia vera, quid erronea, quid perplexa?*

RESP. Conscientia *vera* seu *recta*, est *ea quæ dictat aliquid esse licitum vel illicitum, quod revera licitum est vel illicitum* quia legi conforme vel difforme.

Conscientia *erronea* seu *falsa*, est *ea quæ dictat aliquid esse licitum vel illicitum, quod revera non est tale;* et duplex est, scilicet : *vincibiliter* et *invincibiliter erronea.*

Conscientia invincibiliter erronea est *ea quæ est ex errore qui depelli non potuit, aut non debuit.* Dixi 1° *non potuit;* quod fit, cum nulla cogitatio nec dubium erroris incidit in mentem operantis, nec etiam in confuso, dum operatur; vel cum ponit causam actionis suæ, licet in promptu sit medium quo posset errorem expellere, si cogitaret de illo. Dixi 2° *non debuit;* quod fit, quando nullo titulo teneris scientiam congruentem acquirere ut sis habilis ad id quod hic et nunc acturus es.

Conscientia vincibiliter erronea *est ea quæ est ex errore qui depelli potuit et debuit;* et hæc vel est affectata, vel crassa pro ratione scilicet ignorantiæ quam importat et ex qua nascitur.

Conscientia perplexa, est *ea qua quis, in medio duorum*

præceptorum constitutus peccare credit, quamcumque partem eligat, ut v. gr. si quis graviter ægroto assistens, putat, ex una parte, se mortaliter peccare contra charitatem, si infirmum deserat ut Missam audiat die festo; putat simul, ex altera parte se mortaliter etiam peccare contra præceptum Ecclesiæ, si Missam non audiat. Unde conscientia perplexa quædam est species conscientiæ erroneæ.

Nota 1. Nemini dubium esse potest quin conscientia vere sit certissima morum regula, cum sit recta, tum synderesis, tum legis sive naturalis, sive positivæ, applicatio ad actum particularem hic et nunc agendum; et consequenter quemcumque qui contra illam operatur, peccare, est absque ullo dubio.

Nota 2. Nemini etiam dubium est, quid perplexus agere debeat. Nam si potest actionem suspendere, debet illam differre, donec consulat sapientes. Si vero suspendere moraliter nequeat, tenetur eligere minus malum, vitando potius transgressionem juris naturalis, quam divini positivi aut humani, alioquin peccaret in excessu, quia in eo liber est. Si autem nescit discernere quodnam sit minus malum, non peccat quidquid agat, quia non peccatur in eo quod cognosci non potest. Sed

Dubium est, utrum conscientia erronea sit morum regula, et peccet qui contra eam operatur; quod ut solvatur, sit

CONCLUSIO I.

Conscientia erronea non est per se morum regula; est tamen per accidens, si sit invincibiliter erronea.

PROB. PRIMA PARS. Morum regula *per se*, est debita synderesis et legis applicatio ad actum particularem; atqui conscientia erronea non est *per se* debita legis et synderesis applicatio ad actum particularem; imo falsa est omnino: ergo, etc.

PROB. SECUNDA PARS. Regula morum *per accidens*, est id quod inculpate et firmiter, hoc est sine formidine partis oppositæ, existimatur verum ; atqui talis est conscientia invincibiliter erronea : ergo, etc.

Dixi *si sit invincibiliter erronea* : quia conscientia vincibiliter erronea est peccaminosa, cum possit et debeat deponi, et consequenter non potest esse morum regula, nequidem per accidens ; e contra, conscientia invincibiliter erronea, cum non possit, atque ideo non debeat reponi, est inculpata, et consequenter regula morum per accidens.

DICES : Conscientia vincibiliter erronea est sequenda juxta illud Div. Thom. [1] : *Quamvis ergo talis conscientia, quæ est erronea, deponi possit ; nihilominus tamen dum manet, obligatoria est ; quia transgressor illius de necessitate peccatum incurrit* : ergo est regula morum per accidens.

RESP. *Nego conseq.* Quia, ut dictum est, debet et potest deponi. Unde divus Doctor (*ibidem*) addit : *Conscientia erronea non ligat nisi secundum quid, et sub hac conditione, si talis conscientia duret.*

INST. Debitum deponendi conscientiam vincibiliter erroneam et debitum eam, si persistat, sequendi, sunt duo pugnantia : ergo si sit debitum eam persistentem sequendi, non est debitum eam deponendi ; et consequenter non minus est morum regula per accidens, quam conscientia invincibiliter erronea.

RESP. *Nego ant.* Hæc enim duo ex diversis oriuntur principiis : debitum enim deponendi conscientiam vincibiliter erroneam oritur, ex præcepto naturali adhibendi necessariam diligentiam ad abigendum errorem, et veritatem inveniendam. Debitum vero sequendi conscientiam vincibiliter erroneam, profisciscitur ex ipsius dictamine proponente legem exequendam ; unde Div. Thom. [2] con-

[1] Quæst. 17 *de Veritate*, art. 4. — [2] Quæst. 17 *de Verit.*

cludit : *Si contrarium, tali conscientia manente, agere disponet* (homo), *ex hoc ipso habet voluntatem, legem Dei non obsequendi ; unde mortaliter peccat.*

CONCLUSIO II.

Qui agit contra conscientiam erroneam dictantem aliquid hic et nunc esse præceptum vel prohibitum, peccat, sive error sit vincibilis, sive invincibilis.

Prob. 1. *Ex Apost.*, Rom. XIV, qui loquens de iis qui, ex errore conscientiæ, putabant non licere sibi vesci cibis lege vetitis, ait : *Beatus qui non judicat semetipsum in eo quod probat,* id est, ait Div. Thom. (hic lect. 3), cujus conscientia eum non reprehendit, vel condemnat; *qui autem discernit* cibum quasi illicitum a licito, *si manducaverit* id quod discernit quasi illicitum, *damnatus est, quia non ex fide* manducat; *omne autem quod non est ex fide,* id est, ex dictamine conscientiæ, et persuasione quod liceat, *peccatum est.* Ergo omnis actio vel omissio, quæ est contra conscientiam erroneam, est peccatum. Hinc, Cap. *litteras de restitutione spoliatorum,* dicitur : *Quidquid fit contra conscientiam, ædificat ad gehennam ;* ratio Div. Thom. est quia, *quando ratio errans proponit aliquid, ut præceptum Dei, tunc idem est contemnere dictamen rationis, et Dei præceptum.*

Prob. 2. *Ratione.* Velle peccatum, est semper peccatum; sed qui agit contra conscientiam, etiam erroneam, vult peccatum, cum id facit quod judicat esse peccatum; objectum enim voluntatis est bonum vel malum non quomodocumque, sed prout ab intellectu proponitur : ergo qui agit contra conscientiam, etiam erroneam, peccat.

Objicies 1. Actio operantis contra conscientiam erroneam dictantem aliquid esse malum, quod tamen est bonum, est conformis legi æternæ : ergo non est peccatum.

[1] 1 2, q æst. 19, art. 5, ad 2.

Resp. *Nego ant.* Hæc enim actio est difformis dictaminì rationis, quod est legis naturalis expressio, et intimatio, ut docet Div. Thom [1]: *Jus naturale continetur primo in lege æterna, secundario vero in naturali judicatorio rationis humanæ.*

Prob. ant. Lex æterna dictat prædictam actionem esse bonam et licitam : ergo illa ratio est conformis legi æternæ.

Resp. *Dist. ant.* Lex æterna dictat actionem istam esse bonam et licitam, si secundum se consideretur, *conc. ant.;* si consideretur ut est actio operantis contra conscientiam erroneam, *nego ant.* Lex enim æterna dictat omnem actionem quæ non fit ex persuasione quod sit bona et licita, malam esse et illicitam.

Inst. 1. Actio specificatur ab objecto : ergo si objectum agentis contra conscientiam erroneam sit intrincese bonum, quamtumvis judicetur malum, actio erit bona.

Resp. *Dist. ant.* Actio specificatur ab objecto, prout ab intellectu proponitur, *conc.;* prout est in se, *nego ant.* Ideo, cum ille qui agit contra conscientiam erroneam non depositam, feratur in objectum quod ab intellectu proponitur tanquam malum, sequitur quod actio ejus sit mala.

Inst. 2. Licet agere contra conscientiam quæ nec est vera, nec recta; atqui conscientia erronea nec est vera, nec recta: ergo, etc.

Resp. *Dist. maj.* Licet agere contra conscientiam quæ nec vera, nec recta est tam practice, quam speculative, *conc.;* quæ nec vera, nec recta est speculative, est tamen recta et vera practice, *nego maj.;* atqui conscientia erronea nec est vera, nec recta speculative, *conc.;* practice, *nego min. et conseq.* Porro, ut conscientia sit vera et recta practice, sufficit ut ejus objectum inculpate ac firmiter existimetur verum, ut advenit in eo qui conscientia laborat

[1] *In dist.* 39, quæst. 3, art. 3, ad 3.

invincibiliter erronea; sic qui invincibiliter putans diem jejunii non esse diem jejunii, manducat carnes, habet conscientiam veram practice, quia bene concludit, se hic et nunc posse manducare carnem, ex suppositione speculative falsa non esse diem jejunii.

Objicies 2. Deus non potest esse auctor conscientiæ erroneæ : ergo non tenemur eam sequi.

Resp. *Dist. ant.* Deus non potest esse auctor conscientiæ erroneæ, quatenus dictat prohiberi a Deo, quod ab eo non est prohibitum, *conc.*; quatenus dictat parendum esse legi sive veræ, sive falso apprehensæ ut veræ et a Deo latæ, *nego ant.* Itaque, duo cum Salmanticensibus [1] distinguenda sunt judicia in conscientia erronea : unum quo judicatur a Deo prohiberi quod ab eo non est prohibitum; alterum quo judicatur obtemperandum esse legi sive veræ, sive falso apprehensæ ut veræ, et a Deo latæ. Primum judicium falsum est, et consequenter in Deum, qui est Summa Veritas, referri non potest; secundum judicium verum est, et in Deum refertur, ut præcipientem obedientiam suæ legi, tanquam propositæ per intellectum practicum, qui est veluti præco intimans, ac promulgans legem quamlibet. Quo sensu Div. Thom. [2] dicit : *Si aliquis cognosceret, quod præceptum Proconsulis esset præceptum Imperatoris, contemnendo præceptum Proconsulis, contemneret præceptum Imperatoris.*

Quæres 1. *In qua specie erit peccatum agentis contra conscientiam erroneam ?*

Resp. Erit in ea specie, et contra illam virtutem, ex cujus motivo actio putatur præcepta vel prohibita; sic, qui falso existimans tali die esse obligationem jejunii, non jejunat, peccat mortaliter contra temperantiam; et ratio est, quia vult interpretative malitiam formalem oppositam temperantiæ.

Quæres 2. *Si conscientia, ex errore, dictet aliquid esse*

[1] Tract. 17 *De fide, disp.* 11, num. 48. — [2] 1 2, quæst. 19, art. 5, ad 2.

præceptum vel prohibitum sub aliqua censura, an operans contra ejusmodi conscientiam incurrat censuram?

Resp. *negat.* Quia pœnæ humanæ non imponuntur nisi ob transgressionem legis de facto existentis; sic, qui per errorem putat laicum, putans esse clericum, non incurrit excommunicationem.

CONCLUSIO III.

Qui operatur secundum conscientiam erroneam, qua judicat aliquid hic et nunc licitum esse, quod revera illicitum est, non peccat, si error sit invincibilis.

Prob. prima pars. Quia conscientia invincibiliter erronea, sicut ignorantia invincibilis quam importat, excusat operantem ex ea: ergo non peccat qui sequitur conscientiam invincibiliter erroneam; hoc certum est, sed

Quæres: *An teneamur sequi conscientiam invincibiliter erroneam, et an mereamur illam sequendo?*

Resp. ad primum. Tenemur eam sequi in iis quæ dictat esse præcepta vel prohibita; ratio est, quia cum deponi ne queat, ageremus contra illam, quod non licere supra probavimus. Hinc, qui per errorem judicat diem Jovis jam esse diem Veneris, in qua est obligatio jejunii, non minus tenetur jejunare, quam si revera esset dies Veneris.

Resp. ad secundum. Tres sunt sententiæ. *Prima negat,* quia ex actione in se ipsa mala nullum potest oriri meritum; atqui, qui agit contra præceptum, ponit actionem in seipsa malam, neque error etiam invincibilis in agente valet mutare naturam rei: ergo, etc.

Secunda affirmat, sed inadæquata ratione. Dicunt enim: Qui ponit actionem sibi ipsi bonam, procul dubio acquirit meritum; atqui operans qui, quantum in se est, agit juxta morum regulas, facit actionem sibi ipsi bonam: ergo, etc. Unde

Tertia sententia *probabilior* et *communissima* docet operantem mereri non quidem ratione objecti quod malum

est et in Deum referri non potest, sed ratione finis, qui est bonus.

Prob. Omnis actus qui dirigitur per rationis et prudentiæ dictamen, est bonus, saltem inadæquate; atqui actus ille qui inculpate, firmiter et sine formidine partis oppositæ deprehenditur sub ratione veri et honesti, per rationis et prudentiæ dictamen dirigitur : ergo est bonus, non quidem ratione sui sed ratione bonæ voluntatis. Hinc Angelicus [1] : *Actus humanus judicatur virtuosus secundum bonum apprehensum, in quod voluntas fertur, et non secundum materiale objectum actus.* Jam vero, cum operans agat propter bonum finem, v. gr. gloriam Dei, vel charitatem erga proximum, etc., procul dubio mereri debet, sicut contra demeretur qui bonum opus facit, sed apprehenut malum, propter malum finem quem sibi proponit.

CONCLUSIO IV.

Qui operatur secundum conscientiam erroneam, qua judicat aliquid hic et nunc licitum esse, quod revera illicitum est, peccat, si error sit vincibilis.

Prob. Quia error vincibilis excusare non potest operantem ex eo, sicut nec ignorantia vincibilis ex qua nascitur, cum utrumque sit saltem indirecte et in causa, nempe in negligentia inquirendi veritatem, voluntarium.

Hinc, cum quis peccet sequendo conscientiam vincibiliter errantem, et peccet etiam contra eam agendo, sequitur quod deponi debeat.

Dices : Si laborans conscientia vincibiliter erronea, peccet eam sequendo, peccet etiam non sequendo, necessario peccabit; absurdum consequens : ergo, etc.

Resp. *Dist. sequelam maj.* Necessario peccabit necessitate hypothetica, si nimirum conscientiam erroneam non deponat, quam debet et potest deponere, utpote vincibilem, *conc.;* necessitate simplici et absoluta, *nego.* Tota ergo quæ

[1] Quodl. 3, art. 23.

huic homini incumbere videtur peccandi necessitas, plane est voluntaria, quia sedulius perpendere, doctiores consulere ut errorem vinceret, minime dignatus est.

Quod si præceptum urgeat, et non suppetat satis temporis ad consulendum et inquirendum, tunc eliciendus est actus contritionis de priori ignorantiæ peccato, eaque pars eligenda in qua minus apparet esse mali, et sic culpa ulterior non imputabitur, quia error vincibilis fit invincibilis, cum causa ejus retractata fuerit, et quantum fieri potest a peccato discedatur. Si tamen ex sua actione proximo illatum sit damnum, debet resarciri. Etenim qui culpabiliter posuit causam efficacem damni, tenetur de illo, nisi eam realiter abstulerit ante effectum ; atqui in casu proposito, causa efficax damni fuit culpabiliter posita, nec realiter ablata ; contritio enim subsequens non facit ut illa non fuerit primitus libere posita, neque ut ex illa damnum non fuerit secutum ; porro, in materia restitutionis, propter damnum, non tam attenditur ad tempus quo damnum fit, quam ad tempus quo ponitur ejus efficax causa : ergo, etc.

Inst. Qui ita perplexus est, ut utrumque oppositorum putet esse peccatum, seque ex tali errore expedire nequeat, judicat eligendo se peccare : ergo peccat.

Resp. *Nego conseq.* Nam peccatum non consequitur ad judicium intellectus tantum, sed ad actum liberæ voluntatis; perplexus autem hujusmodi non est liber.

Urgebis. Talis perplexus unum libere eligit : ergo est liber.

Resp. *Dist. conseq.* Est liber libertate physica, ratione actus, *conc.* ; est liber libertate morali, ratione peccati, *nego conseq.* Licet enim iste homo cognoscat objectum ut malum, non peccat, quia non cognoscit ut vitabile. Porro, licet ad libertatem physicam satis sit quod homo valeat illud objectum exequi vel omittere, tamen ad libertatem moralem necesse est ut voluntas possit in hoc

genere moris vitare objectum, quia ad peccatum, cum sit in genere moris, requiritur libertas in eodem genere moris : talis autem libertas non reperitur, ubi est ignorantia omnino invincibilis in hoc genere moris, ut fit in casu proposito.

Hinc, notavimus supra, perplexus qui necessario agere debet, neque ullum habet quem consulat, non peccat quidquid agat; ex quo plures similes casus erui possunt.

Quæres : *Utrum gravius sit agere contra conscientiam vincibiliter erroneam, quam eam sequi?*

Resp. Gravius est absolute, et cæteris paribus, agere contra, quam sequi conscientiam vincibiliter erroneam. Ratio est, quia qui contra conscientiam agit, scienter operatur; qui eam sequitur, peccat ex ignorantia : ignorantia vero minuit peccatum, inquit Div. Thomas. [1].

Dixi *cæteris paribus*, quia fieri potest, ut qui secundum illam operatur, aut gravius peccet, v. g. si ex culpabili errore putat sibi furtum esse licitum ad elargiendam eleemosynam; aut æqualiter peccet, puta si judicat se obligari ex justitia ad furandum ut creditori satisfaciat. Ratio istorum est, quia gravitas peccati sumitur ex gravitate præcepti quod violari præsumitur.

Resolutio aliquarum difficultatum circa conscientiam erroneam.

Quæres 1. *Quale sit peccatum contra conscientiam agere, an mortale, an veniale ?*

Resp. Tale quale a conscientia existimatur; ratio est, quia hujusmodi peccata specificantur non ab objecto ut est in se, sed ab objecto ut apprehenditur: ergo, si voluntas feratur in actum quem intellectus proponit tanquam mortalem, erit peccatum mortale; si proponat ut actum venialem, erit peccatum veniale; si proponat ut peccatum mortale dubium, erit etiam peccatum mortale, quia qui

[1] 1. 2 quæst. 19, art. 8.

voluntarie se committit periculo peccandi mortaliter, mortaliter peccat; atqui, etc.

QUÆRES 2. *Quale sit peccatum agere contra conscientiam erroneam, quæ dictat quidem aliquid esse malum, sed non determinat an sit mortaliter malum, an venialiter duntaxat?*

RESP. *Cum dist.* Is qui contra talem conscientiam agit, vel est ita dispositus, ut absolute vellet agere, sive de re gravi ageretur, sive non; vel est sic dispositus, ut nollet agere, si dubium occurreret quod actio possit esse mortalis.

Si primum, peccat mortaliter, quia habet affectum ad mortale; sed qui habet affectum ad mortale peccat mortaliter : ergo, etc.

Si secundum, peccat tantum venialiter, quia non censetur habere affectum ad mortale; unde a mortali excusantur simplices et idiotæ, qui nonnulla peragunt opera quæ sub ratione generali mali apprehendunt, nec discernunt an peccata sint venialia.

QUÆRES 3. *Utrum pœnitens teneatur obedire confessario, parocho, superiori, cum præcipiunt ut conscientiæ dictamen tanquam erroneum contemnatur?*

RESP. Ordinarie teneri; ii enim sunt lumen a Deo concessum, quod, deficiente rationis nostræ lumine, sequi debemus, juxta illud : *Vos estis lux mundi* [1].

Dixi *ordinarie :* quia si pœnitens timoratæ sit conscientiæ, et aliunde noverit se scientiam habere scientiæ confessarii, superioris, etc., parem aut superiorem, non tenetur, nec debet scientiam illico mutare, sed debet actionem suspendere donec studio, oratione et plurimorum consilio rem diligentius indagaverit.

QUÆRES 4. *An confessarius monere teneatur pœnitentem, qui conscientia laborat vincibiliter erronea?*

RESP. Semper tenetur. Ratio est, quia erga pœnitentem duplex munus peragit, doctoris nimirum et medici; qua-

[1] Matth. v, 14.

tenus doctor, ipsum erudire tenetur; quatenus medicus, morbos ejus præsentes curare, et futuros quantum potest, præcavere debet; atqui nisi confessarius moneat pœnitentem, neutrum præstabit; nam si pœnitens non moneatur, semper peccabit ex ignorantia vincibili, quæ a peccato non excusat: ergo. Et hoc verum est, etiamsi confessarius prævideat monitionem suam pœnitenti profuturam non esse; quia eadem etiam urget ratio, quod non monitus semper peccabit ex ignorantia vincibili.

Hinc 1° debet moneri pœnitens cum interrogat confessarium an talis actio sit peccatum, necne : quia qui confessarium interrogat, aliquod habet de licitate actionis dubium, ac proinde laborat ignorantia tantum vincibili, sed plus non respondere debet quam ab ipso interrogatur, ut dicunt communiter, quia postea pœnitens faciet auctoritate confessarii quod antea faciebat ex ignorantia.

2° Debet moneri si error versatur circa prima juris naturalis principia, vel circa eorum proximas conclusiones; quia circa ea ignorantia est tantum vincibilis, ut supra probatum est.

Quæres 5. *Utrum confessarius teneatur monere pœnitentem qui conscientia invincibiliter erronea laborat ?*

Resp. 1. Aliquando debet eum monere, aliquando non debet. Unde

Resp. 2. Debet eum monere si error invincibilis in boni communis dispendium vergat, quidquid sit de monitionis successu. Hinc omnino monendi sunt : 1° Parochus qui falsa, etsi ex ignorantia invincibili, circa mores populum doceret; 2° qui bona fide putaret se sacerdotem cum non esset, ob sacramenta populis invalide collata; 3° Episcopi, Prælati, Principes, gubernatores, confessarii et similes, qui ex ignorantia invincibili se gerunt circa collationem Beneficiorum, electionem ministrorum, subditorum gubernium, administrationem sacramenti pœnitentiæ, etc. Ratio istorum est, tum quia bonum publicum particulari

præferendum est; tum quia raro contigit, inquit S. Lig.[1], hujusmodi ignorantiam esse inculpabilem, vel non esse perniciosam aliis, qui facile sibi putant licita, quæ a superioribus fieri observant. Unde Benedictus XIV [2] advertit generaliter admonendum esse pœnitentem, *si in iis versatur facti circumstantiis quæ, confessario dissimulante, peccatorem in pravo opere obfirmant, non sine aliorum scandalo, cum quis arbitretur ea sibi licere, quæ ab iis qui Ecclesiæ sacramenta frequentant, impune exerceri animadvertit...*

4° Debet eum monere, si error sit de necessariis ad salutem necessitate medii, v. gr. si quis erronee judicet solam confessionem sine dolore sufficere ad obtinendam remissionem peccatorum; ratio est, quia sine horum observatione pœnitens non potest salvari.

5° Debet eum monere, si spes emendationis effulgeat sine periculo majoris incommodi, quia confessarius tanquam doctor pœnitentem debet, quantum potest, ab erroris via ad semitam veritatis revocare, et tanquam medicus, debet eum a peccatis etiam materialibus retrahere.

Resp. 3. Juxta sententiam communem et veram, non debet monere pœnitentem qui laborat ignorantia inculpabili, sive juris humani, sive divini, si non speratur fructus; imo si monitio nociva magis quam utilis futura esse prævideatur, quia nempe periculum est ne pœnitens qui hactenus tantum materialiter peccavit, formaliter postea sit peccaturus, monitionem confessarii spernendo. Item, quando timentur scandala aliorum, infamiæ, risio et similia. Ratio, quia semper præstat vitare mala formalia sive pœnitentis, sive aliorum, quam materialia pœnitentis, quæ tunc Deum non offendunt. Hinc

Resolves 1. Non esse monendum pœnitentem, si error sit in præjudicium temporale tertii particularis, v. gr. si per ignorantiam retineat pecuniam alienam, quia confes-

[1] *De Pœnit.*, num. 615. — [2] In *Bulla apostolica* 26 jun. 1749.

sarius magis præcavere debet spirituale damnum pœnitentis, quam damnum alterius temporale.

2. Non esse monendum pœnitentem de nullitate matrimonii : 1° si subsit legitimus timor, ne ea cognita dispensationem non petat, sed pergat materialiter habitare cum ea quam uxorem suam non esse cognoscit ; 2° si sit fundamentum presumendi eum non sine prolis periculo et proximi offensione, ab uxore sibi invisa discessurum esse.

Nota circa opinionem non monendi pœnitentem de matrimonii nullitate, quod si necessitas non urgeat suscipiendi Sacramentum, tunc potest pœnitens, non revelato impedimento, remitti, donec impetrata dispensatione, matrimonium perficiatur juxta modum, quem, cum omnibus Theologis, tradidi in finem tractatus *de Matrimonio*. Hæcque praxis, quæ est magis tuta et facilis (cum gratis hæc dispensatio obtineatur a Sacra Pœnitentiaria) pluries mihi prospere successit in sacro Tribunali.

Dixi *si necessitas suscipiendi Sacramentum non urgeat*. Quia, cum urget, confessarius his pressus angustiis, post requisitum a pœnitente propositum universale observandi omnia mandata, poterit eum absolvere, si aliunde sit dispositus. Nec obstat dicere tunc sacramento inferri injuriam, quia sacramenta non exposcunt majorem reverentiam quam præcepta divina : unde, si in præceptis divinis permitti potest materiale peccatum, pariter permitti poterit materialis irreverentia sacramenti in tanta necessitate, ut peccatum formale vitetur.

Monet tamen S. Ligorius [1] quod regulariter loquendo, omnino monitio tunc facienda sit ; tum quia ex matrimonio nullo frequenter plura inconvenientia oriuntur ; tum quia sæpe post matrimonium ignorantia cessare solet, et tunc facile adest periculum peccandi formaliter. Sed de his fusius dicemus in suis locis.

[1] *De Pœnit.*, num. 612.

Quæres 6. *Ex quibus signis colligere potest confessarius conscientiam pœnitentis erroneam esse invincibiliter, aut vincibiliter ?*

Resp. Conscientiam esse erroneam invincibiliter potest Confessarius colligere ex quinque signis.

1° Si pœnitens sit vir probus, ac timoratæ conscientiæ.

2° Si, advertens se per ignorantiam violasse præceptum, dolet atque tristatur.

3° Si nunquam scrupulus aut dubium aliquid præcessit.

4° Si res ignorata sit juris humani, vel positivi divini.

5° Si res ignorata sit quidem juris naturalis, sed difficillima vel inter ipsos doctores. Tales sunt conclusiones quæ remote ex primis principiis naturalibus deducuntur. E contra, si homo sit latæ conscientiæ, ac criminibus deditus, si scrupulus, aut dubium aliquod præcessit, si res ignorata sit primorum principiorum naturalium, aut conclusionum immediate ex eis deductarum, tunc prudenter judicare poterit Confessarius, conscientiam fuisse vincibiliter erroneam.

CAPUT III.

DE CONSCIENTIA SCRUPULOSA ET LATA.

Quæres 1. *Quid sit conscientia scrupulosa, quid lata ?*

Resp. Conscientia scrupulosa dicitur a *scrupulo,* quia sicut scrupulus est lapillus asper itinerantis pedem lædens, et obsistens progredienti, ita conscientia scrupulosa anxietatem animi sine fundamento parit, et animæ paci reluctatur; unde

Conscientia scrupulosa *est ea qua mens, levibus nixa fundamentis, cum anxietate judicat aliquid subesse mali, vel timet ne aliquid mali subsit in actione bona vel indifferenti.*

Conscientia lata *est ea qua mens ex levissimis et quidem*

cupiditati faventibus rationibus, licitum esse putat quod malum esse facile deprehendi potest, ut cum pro levi peccato habet quod grave communiter reputatur. Hæc utraque conscientiæ species ad erroneam pertinet.

Ad hanc referuntur tum conscientia *pharisaïca*, sic dicta a Pharisæis qui excolentes culices, id est levissima, deglutiebant camelos, id est maxima peccata [1]; tum conscientia *cauteriata*, sic dicta a cauterio (cauterium est a græco καίω, ardere), quia, inquit Div. Thomas, sicut cauterium corruptio est in carne per ignem, sive ferrum ignitum, ex qua egreditur continuo putredo, ita ex igne perversæ voluntatis quasi cauteriata ulceratur conscientia, et egreditur falsa doctrina dæmoniorum; et sicut locus cauterio inustus priorem sensum peccati amittit, ita homo conscientiæ cauteriatæ sensum peccati amittens, illud absque remorsu committit.

Nota. Nomine scrupulosi illum a nobis non intelligi qui salutis suæ sollicitus et timore filiali ductus, cum Job IX, *veretur omnia opera sua*, ne forte in aliquo Deum offendat, vel offenderit; ille enim non scrupulosus, sed timoratus dicendus est; sed is solus scrupulosus judicandus est, qui ex motivo parvi vel nullius momenti judicat aliquid prohibitum esse vel præceptum quod tale non est; ideoque qui *illic trepidavit timore ubi non erat timor*. His positis

Quæres 2. *An conscientia scrupulosa et lata sint morum regula?*

Resp. *negative.* Nam conscientia improbabilis non est morum regula; atqui conscientia scrupulosa et lata sunt conscientiæ improbabiles, cum vanis et futilibus nitantur rationibus : ergo non sunt regula morum.

Hinc, scrupulosus debet conscientiam scrupulosam deponere, non quidem disputando, aut rationes intrinsecas opponendo, sic enim nunquam finire posset, sed utendo rationibus extrinsecis, quæ scilicet auctoritate confessarii,

[1] Matth. XXIII. — [2] *Psal.* XIII.

pastoris, doctoris, etc., desumuntur; atque id eo verius est, quod supradictorum error (si quis hic irreperet) non imputaretur scrupuloso, qui obediendo facit quod in se est, quodque Deus ab eo exigit, ut definivit Innocentius III[1]. Sed

Quæres 3. *Utrum scrupuli sint nocivi vel utiles ?*

Resp. 1. Partim sunt nocivi, quia quamplurima mala atque incommoda scrupuli causant.

1° Pacem animi disturbant; 2° devotionem tollunt, ad eamque hominem ineptum reddunt; 3° acediam gignunt, et maximas moras in progressu vitæ spiritualis, a qua non raro avertunt; 4° diffidentiam ingerunt de bonitate Dei; 5° nonnunquam gravibus vulneribus animam sauciant, quando nempe, scrupulis victus, homo efformat conscientiam gravis peccati et operatur; 6° ad gravissima disponunt peccata desperationis, blasphemiæ et infidelitatis; 7° in graves etiam corporis morbos, ut in amentiam, scrupulosum ducunt.

Resp. 2. Sunt tamen partim utiles, inquit Croix[2], 1° quia juvant ad emundandam conscientiam; 2° reddunt hominem in suis actionibus cautum, ne offendat Deum; 3° plurimum faciunt ad internam humiliationem; 4° multum conducunt ad hoc, ut quis suo tempore possit alios dirigere et juvare; 5° tandem juvant ad majorem meritum. Quidquid enim agunt scrupulosi, ideo agunt, ne displiceant Deo, sicque puram semper habent intentionem. Deinde pro Deo non offendendo patiuntur gravissima.

Quæres 4. *Quibus indiciis possit cognosci conscientia scrupulosa ?*

Resp. 1° Si reputet peccata quæ passim a piis et sapientibus pro nihilo habentur, aut circa ea sæpe dubitet, aut alios interroget. 2° Si confessario vel alio docto et prudenti actionem esse licitam asserenti, aut fidem non ha-

[1] Cap. *Inquisitioni, de sent. excom.* — [2] *De Conscientia*, num. 513

bet, aut cum anxietate morem gerit eumdem, aut alios sine fine consultans, nemini fidens et majorem semper quærens securitatem. 3° Si in confessione peragenda aut in conscientia discutienda, ita minutissima explicat, ut nullam circumstantiam vel levissimam, imo quandoque impertinentem omittat, vel de confessionibus rite peractis semper inquietus, vel ex toto, vel ex parte repetat, nec confessario monenti sufficere acquiescat. 4° Si preces, vel missam fastidiosa tarditate recitet, semper de peccato trepidet, eas frequenter repetens et subsistens ut intentionem et attentionem revocet. 5° Si signis et gestibus ridiculis utatur ad expellendas tentationes, distractiones, etc.; v. gr. oculos subito claudendo, contrahendo supercilia, caput movendo, secum mussitando, *nolo, recede, diabole*, et similia.

Quæres 5. *An scrupulosus possit ac debeat contra scrupulos agere?*

Resp. *Cum dist.* Vel per scrupulum intelligitur verum judicium de malitia operis, tametsi futilibus innixum rationibus; vel intelligitur timor ne aliquid mali subsit in opere, junctus cum judicio absoluto et practico de licitate actionis. In primo casu dicitur conscientia scrupulis *formata;* in secundo dicitur conscientia scrupulis *agitata* vel *cruciata.*

Si primum, non potest scrupulosus contra scrupulum non depositum agere, quia non licet agere contra conscientiam practice erroneam actu retentam; atqui scrupulus sic sumptus est conscientia practice erronea: ergo non licet contra eum non depositum agere: ergo debet deponi.

Si secundum, potest scrupulosus et debet contra scrupulos operari, ipsos contemnendo ac negligendo, quia potest ac debet scrupulosus operari contra timorem vanum et improbabilem de illicitate actionis, ut obtemperet judicio vero et certo de licitate ejusdem; atqui timor ne ali-

quid mali subsit in opere, junctus cum judicio practico de licitate actionis, est improbabilis et vanus : ergo potest et debet contra scrupulos sic intellectos, etiam non depositos, operari.

DICES : Scrupulosi rationes suas magni faciunt : ergo non possunt contra agere.

RESP. *Dist. conseq.* Non possunt contra agere, si scrupulus sit tantum timor de illicitate actionis, junctus cum judicio practico de licitate ejusdem, *nego;* si sit verum judicium de illicitate actionis, *subdist.:* quandiu non est depositum, *conc.;* quando est depositum, *nego.* Porro scrupulosi tenentur hoc judicium deponere ex judicio confessarii, vel alterius prudentis ; et tunc licet agant contra judicium speculativum, non tamen agunt contra judicium practicum ; quia judicant se posse contra suum judicium sequi judicium alterius.

QUÆRES 6. *Quænam sint causæ scrupulorum ?*

RESP. Aliæ sunt ab intrinseco, aliæ ab extrinseco.

Causæ *ab intrinseco* sunt :

1° Ignorantia et defectus judicii tentationem a consensu, veniale a mortali, non secernentis.

2° Frigida et melancholica, ideoque formidolosa complexio.

3° Cerebri infirmitas vel naturalis, vel ex morbo, vel ex immoderatis jejuniis et vigiliis contracta.

4° Superbia occulta, et obstinatio mentis, quæ abjectis sanorum consiliis, non putat posse esse directorem sui magis idoneum, quam seipsum, cum tamen S. Bernardus [1] dicat : *Qui se sibi magistrum constituit, stulto se discipulum subdit.*

Causæ scrupulorum *ab extrinseco* sunt :

1° Conversatio cum scrupulosis.

2° Lectio librorum aliquid terribile continentium.

3° Astutia dæmonis, qui jugum Dei suave aggravare

[1] Epist.. 85 *ad Ogerium.*

studet, ut illud penitus excutere scrupulosis persuadeat, illosque conjiciat in amentiam et desperationem.

4° Permissio Dei, qui peccata hominis præterita plectere, futura augere præmia, superbiam ex talentis nasciturum moderari curat.

QUÆRES 7. *Quænam sint scrupulorum remedia ?*

RESP. Multa assignantur.

Primum est *se scrupulosum agnoscere;* quod inde cognoscet, si contra commune timoratorum judicium, vel etiam ipsius confessarii, inquietus sit ; si sapientum consilio non nisi cum timore et anxietate acquiescat ; si in confessionibus sincere factis semper aliquid defuisse credat ; si variis inquietetur cogitationibus circa fidem, castitatem, religionem et alias virtutes, contra quas, data occasione, peccare nollet.

Secundum est *cavere otium,* et labori sedulo incumbere, labor enim a similibus inutilibus speculationibus distrahit.

Tertium est *directoris pii ac periti consilium sequi sine examine;* item eum non mutare facile, neque alios interrogare an bene, an male casum solverit.

Quartum est *resistere scrupulis,* non quidem positive contra eos disputando ; sed negative, eos nempe contemnendo, et contra illos, utpote contemptibili motivo nixos, efformando prudens ac rectum judicium de licitate actionis oppositæ.

Quintum est *sentire de Deo in bonitate;* quia licet sit justus, non est tamen crudelis exactor, sed misericors et benignus Dominus.

Sextum est *scrupulorum causas evertere,* ita ut ignarus instruatur, melancholicus medicorum arte atram bilem expellat, superbus prudentiæ suæ non innitatur, etc.

Septimum est *non diu morari in examine conscientiæ,* præsertim circa ea in quibus magis vexatur.

Octavum est *valde humilitatis et obedientiæ virtutes*

olere; sæpe namque scrupuli ex superbiæ et judicii ertinacitatis vitio ortum habent. Imo hoc super omnia, nquit S. Ligor. [1], præcipuum, imounicum potest dici emedium hujusmodi infirmorum esse, omnino acquiesere judicio sui Superioris sive confessarii, ut omnes ocent Patres, Theologi, et spirituales magistri.

QUÆRES 8. *Quomodo confessarius cum scrupuloso se gere debeat ?*

RESP. 1. Debet scrupulorum causas explorare, et remeia ex allatis magis utilia adhibere.

2. Non debet pati ut scrupulosus sæpius ad se recurrat umque etiam non auditum dimittere, quia frequentes li recursus et colloquia, nova sunt scrupulorum propaga.

3. Debet inculcare scrupuloso necessitatem obedientiæ æcæ, quæ præcipuum est tanti mali remedium. Porro, ad ersuadendum scrupuloso necessitatem istius obedientiæ, onfessarius ipsi proponat sequentia motiva: 1° quod crupulosus in tali statu idoneus non sit, qui se ipsum irigat, cum oculos mentis obnubilitatos habeat, levique e causa frequenter perturbatos; 2° quod judicium suum irectoris judicio præferre, animi sit superbi judicium roprium (tametsi stultum), velut idolum adorantis; ° quod propter mentis obnubilationem, et cerebri læsioem sibi præ cœteris dicat Spiritus Sanctus, Tobiæ IV: *Ne initaris prudentiæ tuæ, et ne sis sapiens apud temetipsum;* ° quod per obedientiam cæcam quidam discipulus S. Bernardi curatus fuerat. Cum enim ob scrupulos non auderet elebrare, et a S. Bernardo audivisset: *Vade, frater, et fide mea celebres*, acquievissetque isti jussioni, a scruulis continuo liberatus fuit.

4. Moneat scrupulosum quod ei sufficiat examen valde ediocre, si tanta sit anxietas ut timeatur periculum lændi cerebrum, vel ad desperationem aut insaniam reigendi, quamvis aliqua hinc omitti contingeret; nam a

[1] *De Conscientia*, num. 12.

materialem confessionis integritatem non tenetur cum tanto incommodo.

5. Non permittat scrupuloso timorato confessiones præteritas, circa quas veretur ne aliquid omiserit, aut circumstantias debite expresserit, repetere, nisi post mediocre examen defectum certo deprehenderit.

6. Cum scrupuloso benigne agat, ne afflicto addatur afflictio nova; quandoque tamen auctoritatem adhibeat, qua ejus animi frangatur pertinacia.

7. Non permittat eum abstinere a frequentandis, ut decet, sacramentis, ne privetur gratia sacramentali, quæ pacandis conscientiis plurimum inservit.

8. Caveat ne pœnitens transeat ab uno extremo ad aliud, conscientiamque latam sibi efformet. Vid. S. Ligor. loc. cit. et seqq.

QUÆRES 9. *Quænam sint conscientiæ latæ causæ et remedia?*

RESP. 1. Præcipuæ causæ sunt : 1° vita mollis, quæ enervat animam; 2° neglectus orationis, qui illam cibo spirituali relinquit jejunam; 3° nimia rerum temporalium sollicitudo, quæ nos terrenos facit; 4° peccandi consuetudo, quæ tollit peccati horrorem; 5° familiaritas cum hominibus vitiosis, quorum moribus et sensibus sociamur; 6° luxuria, qua fit ut carnalis homo non percipiat quæ sunt Dei.

RESP. 2. Præcipua remedia sunt : 1° dierum aliquot spiritualis recessus, quo animus Deo et sibi vacet; dicit enim Scriptura : *Ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor ejus;* [1] 2° quotidiana conscientiæ discussio de actibus diei præsentis, juxta illud : *Redite prævaricatores ad cor* [2]; 3° frequens oratio et novissimorum meditatio, secundum illud : *Memorare novissima, et in æternum non peccabis* [3]. 4° frequens et pia probatorum librorum lectio; 5° diligens post peccatum confessio, ne anima in peccato obdurescat.

[1] Os. XI. — [2] Eccl. LXXVII. — [3] Is. XLVI.

tandem nequam et improborum fuga et conversatio m bonis; nam *qui cum sapientibus graditur, sapiens it : amicus stultorum similis efficitur* [1].

CAPUT IV.

DE CONSCIENTIA CERTA ET DUBIA.

QUÆRES 1. *Quid sit conscientia certa, quid dubia?*

RESP. 1. Conscientia *certa* est *judicium firmum et sine rmidine saltem rationali de bonitate aut malitia operis et nunc agendi.* Sic Jacob accedens ad Liam quam udenter judicabat esse suam uxorem, habuit conscien- m certam de bonitate actus conjugalis cum Rachel bendi.

RESP. 2. Conscientia *dubia* est *suspensio judicii circa nitatem aut malitiam operis hic et nunc agendi;* vel quia o neutra parte rationes occurrunt suadentes, dum quis, gr. caret rationibus quibus judicet contractum aliquem n esse usurarium; diciturque *dubia negative*, vel potius *ra nescientia ;* vel quia occurrunt utraque parte rationes ue ponderantes, diciturque *dubia positive*, et est con- entia probabilis in concursu æque probabilis.

QUÆRES 2. *Quotuplex distinguitur certitudo?*

RESP. Certitudo quæ opponitur dubio triplex distingui test, juxta triplicem rerum ordinem, *metaphysica, phy- a* et *moralis.*

Certitudo *metaphysica* est adhæsio veritati, quæ funda- in rei essentia, et cujus contrarium est omnino impos- ile, etiam per miraculum, v. gr. *totum est majus sua rte; quodlibet est vel non est.*

Certitudo *physica* est assensus veritati, quæ fundatur consuetis naturæ physicæ legibus, et cujus objectum er esse non potest, licet possit esse aliter per miracu-

[1] Prov. XIII.

lum; sic certum est *solem cras oriturum esse; stupam injectam in ignem comburi.*

Certitudo *moralis* est assensus veritati, quæ moribus hominum adeo fundatur, ut ipsius contrarium esse non possit quin humana conditio subvertatur. Hac certitudine constat olim exstitisse imperium Romanum, et etiam nunc Romam existere.

Alia est certitudo moralis, de qua hic potissimum agitur, quæ est assensus veritati alicui sine formidine fundata et rationabili de opposito, licet oppositum absolute et sine miraculo esse possit. Talis est quæ habetur in jure per duos testes fide dignos, aut quæ habetur de baptismo ex regesto baptismali.

Porro certitudo moralis duplex distinguitur a Theologis, *directa*, scilicet, et *reflexa*.

Certitudo *directa* oritur ex principiis propriis et intrinsecis rem ipsam afficientibus, ut in exemplis allatis.

Certitudo *reflexa* petitur ex principiis generalibus et certis rem ipsam afficientibus tantum extrinsece, ex quibus concluditur illud in praxi esse licitum, quod tamen ex principiis intrinsecis esse licitum, directe probari non potest, propter rationes hinc et inde ponderantes, v. gr. judex ex rationibus intrinsecis causam immediate afficientibus, dubius est an Titius sit absolvendus, aut condemnandus; sed ex illo principio generali et certo: *In dubio favendum est reo,* concludit Titium esse absolvendum. Item judex, causis allatis et discussis, dubitat utrum Petrus restituere debeat Joanni repetenti; at ex illo principio generali et certo : *In dubio melior est conditio possidentis,* concludit Petrum non esse obligandum ad restitutionem.

Porro hæc principia dicuntur *reflexa,* eo quod a proprio, immediato et directo eorum objecto, ad aliud per ratiocinationem quasi *flectuntur,* ut stante dubio speculativo de veritate rei, tuta præbeatur regula agendi, certa ut sit conscientia de licitate et honestate formali actionis, et

recte definiatur proposita controversia. — Dubium aliud est *juris*, aliud *facti*.

Dubium *juris*, est illud quo dubitatur an aliquid sit præceptum, necne.

Dubium *facti*, est quando dubitatur an satisfactum fuerit præcepto : v. gr. cum quis dubitat de jejunii præcepto, en dubium juris; cum dubitat an adimpleverit, en dubium facti.

Nota 1. Dubium aliud est *negativum*, aliud *positivum*

Dubium *negativum*, est cum ex neutra parte occurrunt rationes probabiles, sed tantum leves. Et est improprie dubium, et melius dicitur nescientia aut ignorantia.

Dubium *positivum*, est quando pro utraque parte, aut saltem pro una sunt graves rationes. Hinc dubium positivum fere semper coincidit cum opinione probabili de qua dicemus infra. Igitur in dubio, animus suspensus hæret et fluctuat inter utramque partem neutri assentiens.

Nota 2. Dubium pertinens ad mores, aliud est *speculativum*, vel ut alii dicunt, *speculative practicum*, et aliud *practice practicum*.

Dubium *speculativum* [1], vel *speculative practicum*, est illud quo quis dubitat de rei veritate, v. gr. an bellum aliquod sit justum vel injustum ; an pingere die festo sit opus servile, an liberale; an Baptismus cum aqua distillata sit validus aut nullus.

Dubium *practice practicum*, vel *simpliciter practicum*, est illud quo dubitatur de rei honestate et licitate alicujus actionis hic et nunc cum omnibus suis circumstantiis faciendæ, v. gr. utrum hoc die festo ad exornandam ecclesiam mihi liceat pingere ; utrum in tali bello dubie justo militare; an hunc puerum aqua distillata baptizare.

Porro, *conscientia potest esse practice certa et speculative*

[1] Quidam distinguunt dubium *speculativum* a *speculativo practico*. Verum, sic sumptum, hoc dubium magis videtur pertinere ad synderesim, vel ad qualitates et conditiones rerum mere speculabilium non moralium.

incerta, cum nempe stante dubio speculative practico, advenit aliqua circumstantia particularis ob quam agens de actionis vel omissionis licitate est certus : sic in exemplo allato potest quis dubitare utrum pingere sit opus servile, cui diebus festis vacare non licet, qui tamen certus est hic et nunc sibi licitum esse pingere, quia nempe gravis urget necessitas exornandæ ecclesiæ ; e contra *nullus dubitare potest practice de re hic et nunc facienda, quin de ea speculative dubitet*, cum dubium practicum ex speculativo oriatur; sic, v. gr. nemo dubitat utrum hic et nunc pingere sibi liceat, nisi quia dubitat utrum pingere sit opus servile.

De conscientia dubia sic exposita quæritur : 1° an sit regula morum ; 2° quo principio deponi possit ; 3° nonnullos casus circa dubia resolvemus.

At vero antequam solvamus secundam et tertiam quæstionem, necesse est probe intelligere quid sit opinio, quotque sint ejus gradus, deinde secernere ea quæ in confesso sunt apud omnes probatos, ab iis quæ disputantur inter eos, quod perficiemus in capite sequenti. Sit ergo, pro nunc

ARTICULUS UNICUS.

Quæ conscientia sit morum regula.

CONCLUSIO I.

Conscientia certa est quidem sola et unica regula morum.

Prob. prima pars. Conscientia certa est judicium firmum et sine formidine, saltem rationali, de honestate et licitate actionis, ut dictum est; sed homo non peccat cum agit certe judicans actionem suam esse licitam et honestam : ergo, etc.

Confirmatur. Bona fides et ignorantia invincibilis in agendo excusat hominem ab omni culpa; sed conscientia

rta in omni casu hanc bonam fidem efformat : ergo, etc

PROB. SECUNDA PARS. Ex. Apost., *Quidquid non est ex fide, ccatum est;* atqui sola conscientia certa potest hanc lem efficere, vel potius est ipsa illa bona fides : ergo lla alia species conscientiæ dari potest ut regula certa orum.

DICES : Conscientia quæ dictat aliquid esse conforme vel fforme legi, quod revera est legi conforme vel difforme, rta est regula morum; atqui conscientia vera dictat ali- id esse conforme vel difforme legi, quod revera est tale: go conscientia vera est certa regula morum.

RESP. Si dictat ex judicio firmo et sine formidine ratio- ali, *conc.*; si dictat sine judicio firmo, ut accidere potest, am conscientia vera potest esse temeraria et incerta, *go.* Igitur, cum dictat ex judicio firmo aliquid esse citum, utpote legi conforme, jam non est regula mo- um, quia vera, sed quatenus est certa : ergo, etc.

CONCLUSIO II.

onscientia practice dubia, sive dubio negativo, sive positivo, non est regula morum; et ideo qui, ea prudenter non depo- sita, operatur, peccat.

PROB. PRIMA PARS. Regula morum debet determinare ad ssensum; atqui conscientia dubia non determinat ad ssensum; est enim suspensio judicii circa bonitatem aut alitiam operis hic et nunc agendi : ergo non est regula orum.

PROB. SECUNDA PARS. Quia qui operatur cum conscientia bia non deposita, non agit *ex fide,* seu ex certa per- asione quod actio sua sit licita; atqui *quod non est ex le, peccatum est :* ergo qui operatur cum conscientia du- a non deposita peccat.

Confirmatur. Quia qui se exponit periculo peccandi, pec- t peccato ejusdem speciei et gravitatis, cui se exponit; qui qui exercet opus de quo, spectatis omnibus, practice

incertus est utrum sit peccatum necne, se exponit periculo peccandi : ergo peccat.

Dices : Impossibile est habere in moralibus certitudinem, unde Job. cap. IX, dicit : *Verebar omnia opera mea*, etc. Ergo ad non peccandum non requiritur conscientia certa.

Resp. *Dist. ant.* Impossibile est in moralibus habere certitudinem metaphysicam aut physicam, *conc.*, ac proinde frustra scrupulosi eam quærunt ; certitudinem moralem, *nego ant.* Talis sufficit in moralibus et requiritur, alias homo sine illa operans se exponeret periculo peccandi, faciendo id quod malum esse posse cognosceret : talem habuit Job de objecto suarum actionum, sed verebatur, ne qua par est intentione, illas perficeret.

Inst. Pastor in dubio potest et debet infirmo in extremis posito sacramenta ministrare : ergo non requiritur certitudo moralis.

Resp. *Dist. ant.* In dubio de effectu sacramenti, *conc. ant.* ; in dubio de licitate suæ actionis, *nego ant.* Pastor enim in casu posito, certus est media salutis dubia adhiberi posse ubi certa non suppetunt, cum iis neglectis salus desperata videatur, et, iis adhibitis, spes aliqua salutis effulgeat.

CAPUT V.

DE CONSCIENTIA, SEU OPINIONE PROBABILI ET IMPROBABILI.

Quæres 1. *Quid est probabile, quid probabilitas, et quotuplex ?*

Resp. Probabile, secundum etymologiam, est illud quod potest probari ; secundum significationem, est id quod est apparenter verum seu verisimile, et est motivum seu fundamentum probabilitatis. Unde *probabilitas est verisimilitudo*, et eo major vel minor est probabilitas, quo motivum seu fundamentum est magis vel minus idoneum

grave. Ex iis vero conflatur conscientia seu opinio probabilis et improbabilis. Probabilitas autem considerata ab ratione motivi duplex est. Nam sicut

Motivum seu fundamentum probabilitatis est duplex, intrinsecum et extrinsecum, ita duplex est probabilitas, ia intrinseca, alia extrinseca.

Probabilitas *intrinseca*, est ea cujus motivum desumitur x momentis ab ipsius rei naturæ proprietatibus, causis ffectibus, et etiam ex inconvenientibus partis oppositæ eductis.

Probabilitas *extrinseca*, est ea cujus motivum ex Doctorum testimonio et auctoritate desumitur. Unde probabilitas extrinseca magis æstimanda est ex Doctorum pietate, octrina atque studio et diligentia in re examinanda, tiam ex eorum numero.

Probabilitas ratione objecti, alia est probabilitas facti, et ia probabilitas juris.

Probabilitas *facti*, ea est quæ versatur circa rei veritam sive substantiam, v. gr. an Baptismus collatus cum xivio sit validus vel nullus; an tale bellum sit justum vel justum.

Probabilitas *juris*, versatur circa licitatem et honestam actionis, v. gr. an sit licitum ministrare Baptismum um lexivio; an mihi liceat hoc bellum inferre.

QUÆRES 2. *Quid sit conscientia seu opinio probabilis?*

RESP. Conscientia probabilis est *actus quo intellectus ob otivum grave, quamvis absolute fallibile, judicat actionem c et nunc exercendam, esse licitam vel illicitam.* Unde probabilitas est *verisimilitudo.*

Dicitur 1° *actus quo intellectus judicat :* opinio enim rum mentis judicium importat, nisi suspendatur per ajorem, aut saltem æqualem ex altera parte verisimitudinem.

Dicitur 2° *ob motivum grave*, id est, ob motivum quod, cet non sit convincens et infallibile, est tamen ita veri-

simile, ut post diligentem veritatis inquisitionem, possit merito ac prudenter approbari ut verum.

Dicitur 3° *quamvis absolute fallibile:* quia, licet relative ad operantem sit verum, potest tamen absolute et in se esse falsum, per quod differt tum a scientia, tum a fide divina.

Porro, ut opinio sit vere probabilis, requiritur ut nec rationi evidenti, nec Scripturæ, nec traditioni, nec communi Patrum sensui, nec Ecclesiæ definitionibus, nec communi Doctorum sententiæ adversetur.

QUÆRES 3. *Quæ sit opinio improbabilis ?*

RESP. Conscientia improbabilis est *actus quo intellectus, ob motivum nullius vel levis momenti, judicat actionem hic et nunc exercendam, esse licitam vel illicitam.*

QUÆRES 4. *Quotuplex est opinio ad opinionem comparata?*

RESP. Opinio ad opinionem comparata, alia est probabilior, alia est minus probabilis, alia æque probabilis, alia probabilissima, alia moraliter certa; item alia est communis, alia communior, alia minus communis, alia communissima; item alia est tuta, alia tutior, alia minus tuta.

Opinio probabilior altera, est ea cujus rationes et auctoritates præponderant rationibus et auctoritatibus partis oppositæ. *Opinio minus probabilis*, est ea cujus rationes et auctoritates minus præponderant. *Opinio æque probabilis,* est ea cujus rationes et auctoritates sunt ejusdem aut fere ejusdem ponderis cum rationibus et auctoritatibus ejusdem contradictoriæ.

Opinio communis, est ea quæ multos; *communior*, quæ multo plures; *minus communis,* quæ pauciores; *communissima,* quæ fere omnes pro se habet auctores.

Opinio tuta est ea quæ removet a periculo peccandi; *tutior,* quæ magis removet; *minus tuta,* quæ minus removet a tali periculo. Unde opinio *tutior* favet legi, quatenus eam hic et nunc obligare declarat; *minus tuta* favet

libertati, quatenus negat hominem ulla hic et nunc lege constringi, imo asserit eum pro arbitrio eligere posse quod voluerit.

Nota 1. Ut opinio sit altera probabilior debet esse *certe et notabiliter probabilior*. Nam parvus excessus ac tenuis præponderatio in moralibus vix æstimari potest: hinc Div. Thom.: *Quod parum est, quasi nihil habet ratio.*

Nota 2. Non est confundenda opinio *moraliter certa* cum opinione *probabilissima*. Nam opinio seu sententia moraliter certa excludit omnem prudentem errandi formidinem; dum e contra opinio probabilissima, quamvis primum teneat locum inter probabiles, fines tamen probabilitatis non excedit; et ideo non excludit omnem prudentem errandi formidinem, ad differentiam opinionis seu sententiæ certæ.

Nota 3. In moralibus opinio *tutior* non est ea quæ magis removet a peccato materiali, seu a materiali transgressione legis, sed est ea quæ magis removet a peccato formali, vel a periculo formaliter peccandi.

Nota 4. Ut opinio aliqua dici possit vere et satis graviter probabilis probabilitate extrinseca, non sufficit auctoritas cujuscunque auctoris et cujuscumque notæ ex damnata ab Alexand. VII propositione, quæ est 27: *Si liber sit alicujus junioris et moderni* (quæ verba, utpote generalia, dicit quia, intelligi debent de auctore quocumque, et humilis cujuscumque notæ), *debet opinio censeri probabilis, dum non constet rejectam esse a Sede Apostolica tanquam improbabilem.* Sane cum nulla sit laxa propositio, quam aliquis auctor non tradiderit, eam sequi licet, semel illa generali propositione admissa. Sufficit autem auctoritas unius et alius auctoris gravis, magni in Ecclesia nominis, et omni exceptione majoris, ut sunt S. Thomas, S. Bonaventura, S. Raymundus, S. Antoninus, S. Alphonsus de Ligorio, et alii: unde Angelicus dicit: *Aliquis parvæ sententiæ magis certificatur de eo quod audit ab aliquo scientifico, quam de*

eo quod sibi secundum suam rationem videtur. Regula tamen est, ut non unus, sed plures auctores graves evolvantur, et illam opinionem habeas tibi satis probabilem, quam crebro ad trutinam diligenter revocaveris et ordinato affectu, vel quam invenis assertam ab auctoribus hujus temporis omnino probatis. — Quomodo autem notentur falsæ opiniones, vide *Dogmat.* ex Charmes [1], ubi de variis propositionum censuris.

Nota 5. Cum opinionis securitas desumatur ex ejus a peccato distantia, probabilitas vero ex majoris veritatis apparentia, fieri potest ut opinio tutior sit minus probabilis, et opinio probabilior sit minus tuta : sic, v. gr. opinio quæ docet sub nullo titulo licitum esse aliquid supra sortem accipere, est tutior, quia magis removet a periculo peccandi ; est tamen minus probabilis, quia est minus verisimilis. E contra, opinio quæ docet licitum esse aliquid accipere supra sortem sub legitimo titulo, est minus tuta, quia minus removet a periculo peccandi; est tamen probabilior, quia verisimilior.

Nota 6. In hac materia quæ est totius Theologiæ moralis cardo, cavenda sunt duo extrema opposita : 1° *Laxiorum,* qui omnem probabilitatem amplectentes ut securam morum regulam, deducunt animas per spatiosam et latam viam quæ ducit in æternam perditionem; 2° *Rigidiorum,* qui omnem probabilitatem abjicientes, viam salutis æternæ quam Christus hominibus aperuerat, præcludunt, salvandos damnant, et conscios propriæ infirmitatis in desperationem conjiciunt; quæ duo extrema ut caute vitemus, quæremus :

1° Utrum liceat sequi opinionem probabilem in se et in sua probabilitate spectatam, seu eo præcise quod sit probabilis, sine concursu alterius?

2° Utrum liceat sequi opinionem probabilem faventem libertati in concursu alterius faventis legi?

[1] Tract. *de Eccl.* diss. II, cap. 2.

3° De principiis seu regulis specialibus quibus conscientia dubia possit deponi et fieri moraliter certa. Nonnulli casus circa dubia resolventur ex supradictis principiis quæ ex his solutionibus clarius percipientur.

Sed antequam hæ quæstiones resolvantur, operæ pretium duxi referre varias propositiones circa hanc materiam a Summis Pontificibus damnatas.

I. Propositiones damnatæ ab Alexand. VII, ann. 1665.

1. Quæ inter damnatas est 26 : *Quando litigantes habent pro se opiniones æque probabiles, potest judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio.*

2. Quæ est 27 : *Si liber sit alicujus junioris et moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet rejectam esse a Sede Apostolica tanquam improbabilem.*

II. Propositiones damnatæ ab Innocent. XI, ann. 1679.

1. Inter damnatas : *Non est illicitum in sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore sacramenti relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio aut periculum gravis damni incurrendi; hinc sententia probabili tantum non est utendum in collatione baptismi, ordinis sacerdotalis aut episcopalis.*

2. *Probabiliter existimo judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.*

3. *Generatim, dum de probabilitate sive intrinseca sive extrinseca, quamtumvis tenui, modo e probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.*

4. *Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens ductus opinione minus probabili.*

III. Propositio damnata ab Alexand. VIII, ann. 1690.

Non licet sequi opinionem probabilem, vel inter probabiles probabilissimam.

ARTICULUS I.

UTRUM LICEAT SEQUI OPINIONEM VERE PROBABILEM RATIONE SUI ET IN SE SPECTATAM, SEU AN ALIQUA OPINIO POSSIT ESSE ACTUS PRUDENS.

CONCLUSIO.

Licet sequi opinionem vere probabilem ratione sui et in se spectatam, et est actus vere prudens quoties opinio nititur motivo gravi, nec est aliquid quod illi opponi potest.

PROB. 1. *Ex Apost.* ad Rom. :[1] *Unusquisque,* inquit, *in suo sensu abundet;* porro id fieri non potest nisi opinando, ut patet : ergo, etc.

2. *Ex S. Petro*[2], qui hoc usus est argumento tantum probabili, dicens Apostolos non esse ebrios, eo quod nondum esset hora diei tertia.

3. *Ex SS. Patribus,* qui tum in praxi, tum in speculatione, opiniones tantum probabiles plerumque habuerunt ac in suis libris consignarunt, uti patet legenti, idemque docet expresse Div. Thomas [3], dicens prudentiam esse etiam in parte opinativa animæ.

4. *Ratione.* 1° Plura sunt judicia, præter actus divinæ fidei, quæ imperantur a prudentia; sed hæc non sunt judicia scientifica, hæc enim non indigent imperio, cum ad illa necessitetur intellectus : ergo sunt judicia probabilia seu opinativa : ergo opinio potest imperari a prudentia, et consequenter potest esse actus prudens. 2° Prudentia dictat filio ut honoret hunc hominem sicut patrem, de quo dubitare non audet quin sit suus pater; atqui tamen fieri potest ut reipsa non sit. Item, judex damnat hominem nocentem quia, quamvis forte sit innocens, tamen per testes dignos probatur nocens, etc. 3° Judicium quod nititur motivo gravi, et plerumque vero, non est impru-

[1] Cap. XIV, 5. — [2] Act. II. — [3] 1 2, quæst. 57, art. 4, ad 2.

dens, alias actum, esset de actibus humanis cum in pluribus omnimoda ea certitudo non possit haberi; atqui hoc judicium est tantum opinativum : ergo, etc. Hinc Angelicus : *Certitudo non est quærenda in omni materia; in actibus enim humanis super quibus constituuntur judicia, non potest haberi certitudo demonstrativa, eo quod sunt circa contingentia et variabilia; et ideo sufficit probabilis certitudo, quæ in pluribus veritatem attingat, etsi in paucioribus a veritate deficiat*[1].

Objicies 1. S. August.[2] ait : *Anima rationalis quantum potest, devitat errorem;* atqui qui opinatur non devitat errorem quantum potest; posset enim suspendere judicium : ergo qui opinatur non agit secundum animam rationalem, ergo nec prudenter.

Resp. *Dist.* Devitat errorem quantum potest, si certo haberi potest veritas, *conc.;* si non potest, melius esset suspendere judicium quam opinari ex gravi motivo, *nego* propter rationes allatas.

Inst. Ex eodem. S. August[3], qui dicit : *Tria sunt velut finitima in animis hominum, distinctione dignissima, intelligere, credere, opinari; quæ si per seipsa considerentur, primum sine vitio est, secundum aliquando in vitio, tertium nunquam sine vitio.* Ergo opinionem probabilem sequi non est actus prudens.

Resp. *Dist. Opinari,* id est putare se scire esse certum, quod tamen est incertum, nunquam est sine vitio, *conc.;* opinari et ferre judicium practice et moraliter certum ex motivo gravi et sufficiens ad trahendum assensum viri prudentis, *nego;* atqui S. August. per verbum *opinari* intelligit in primo sensu, ut patet ex contextu, ubi dicit unum genus hominum esse *opinativum, id est eorum,* inquit, *qui se scire arbitrantur, quod nesciunt.* Et in eodem sensu dici solet quod *sapiens non opinetur.*

Objicies 2. Actus prudentiæ est actus virtutis intellec-

[1] 2 2, quæst. 70, art. 2. — [2] *Enchir.*, cap. 27. — [3] Lib. *de Utilit. credendi*, cap 11.

tualis quæ semper dicit verum ; atqui judicium probabile potest esse falsum : ergo non est actus prudentiæ.

Resp. *Dist. maj.* Actus prudentiæ elicitus et immediatus prudentiæ, semper dicit verum, *conc. maj.;* actus imperatus et mediatus prudentiæ, semper dicit verum, *nego maj.* Etenim actus eliciti et immediati eliciuntur ab habitu prudentiæ, suntque semper veri, quia versantur circa prima principia quæ semper sunt vera, et ita apprehenduntur ab ipsa virtute prudentiæ. Sic, v. gr. hi actus : *Judicandum est secundum allegata et probata; habendus est innocens, qui non est probatus nocens; unusquisque quod suum est, retinere potest,* et alia id genus, sunt actus immediati prudentiæ, suntque semper veri. Dum, e contra, actus imperati et mediati eliciuntur a prudentia actuali, quæ versatur circa contingentia et variabilia, et ideo falsi esse possunt, v. gr. prudentia actualis imperat judici ut hunc innocentem judicet nocentem; vel ut hunc judicet probum, si non probatur improbus; vel ut hic retineat hanc rem ut suam, donec probetur illam non esse suam. Hæc judicia sunt prudêntissima, quamvis possint esse falsa. Ergo quamvis, judicium probabile possit esse falsum, non sequitur quod non possit esse prudens nec actus virtutis prudentiæ.

ARTICULUS II.

Utrum liceat sequi opinionem probabilem faventem libertati, in concursu alterius faventis legi.

Nota. Certum est non licere sequi opinionem probabilem faventem libertati, in concursu alterius vere probabilis quæ favet legi, eo præcise quod sit probabilis. Ratio est, quia, etsi liceat sequi opinionem probabilem in se et in sua probabilitate spectatam, sine concursu alterius, eo quod sufficienter præbeat fundamentum ad prudenter agendum, cum tamen est in concursu alterius opinionis vere probabilis quæ favet legi, jam elditur vis ejus, et sic

non est apta ad exhibendum motivum judicii prudentis.

Quæstionis igitur sensus est : An sequi liceat talem opinionem faventem libertati hominis, in concursu vel probabilioris, vel minus probabilis, vel æque probabilis faventis legi, ex alio aliquo fonte externo ?

Unde triplex paragraphus : 1° utrum liceat sequi opinionem minus probabilem faventem libertati, in concursu probabilioris faventis legi ; 2° utrum liceat sequi opinionem probabilem faventem libertati, in concursu minus probabilis quæ favet legi ; 3° utrum liceat sequi opinionem probabilem, quæ favet hominis libertati in concursu æque probabilis quæ favet legi.

§ I.

Utrum liceat sequi opinionem minus probabilem faventem libertati, in concursu probabilioris faventis legi?

CONCLUSIO I.

Non licet sequi opinionem minus probabilem faventem libertati, in concursu probabilioris faventis legi.

PROB. *Ex Scriptura :* 1. Ex Apost.[1] dicente : *Omnia probate* (supple incerta, quæ Apostolus dijudicari vult an conformia sint Scripturæ et doctrinæ Ecclesiæ), *quod bonum est tenete, ab omni specie mala abstinete vos ;* sed qui sequitur opinionem minus probabilem faventem libertati, seu cupiditati, in concursu probabilioris faventis legi : 1° *non omnia probat ;* nam non omnia probat qui se non determinat prudenter ; sed qui sequitur opinionem minus probabilem non se determinat prudenter ut patet et infra probabitur : ergo, etc. ; 2° *non tenet quod bonum est ;* nam ille non tenet quod bonum est, qui amplectitur quod ei malum apparet potius quam bonum ; atqui, etc. ; 3° *non abstinet ab omni specie mala ;* nam ille non abstinet ab

[1] I Thess. v., 21.

omni specie mali, qui amplectitur quod prudentius et probabilius malum esse judicat; atqui, etc.

Prob. 2. Ex eodem Apost.[1] dicente : *Quod non est ex fide*, hoc est ex prudenti persuasione actionem hic et nunc exercendam esse licitam, *peccatum est;* sed qui sequitur opinionem minus probabilem, etc., non agit ex prudenti persuasione suam actionem esse licitam: ergo peccat.

Prob. min. Ille non agit ex prudenti persuasione actionem esse licitam qui, omnibus rite perpensis, eam judicat illicitam potius quam licitam; atqui qui sequitur opinionem minus probabilem, etc., judicat actionem illicitam magis quam licitam : ergo, etc.

Prob. 3. *Ex SS. Patribus et Scholæ Doctoribus.*

1° Ex August.[2] asserente : *Vigiliis continuis excubandum esse, ne opinio verisimilis fallat... ne quod bonum est, malum; aut quod malum est, bonum esse credatur,* etc. Atqui frustra vigiliis continuis excubandum esset, *ne opinio verisimilis fallat,* si liceret sequi opinionem minus probabilem, cum, ex immoderatis probabilistis, auctoritas unius ad probabilitatem in praxi tutam sufficiat : ergo, etc. Hinc Div. Doctor[3] expresse impugnans istud Academicorum principium : *Cum agit quisque quod ei probabile videtur, nec peccat, nec errat;* illud dicit, *nefarium, formidolosum, et optimo cuique metuendum ;* utpote quod scelerum omnium atque flagitiorum excusationem prætextere possit.

Juxta censuram pontificiam, qui *ex tenui probabilitate* tametsi vere operatur, non agit prudenter; atqui qui sequitur in praxi opinionem minus probabilem non agit nisi ex tenui probabilitate; hujusmodi enim probabilitas longe graviori collata, eo ipso levis ac tenuis evadit, ut ipsimet fatentur adversarii: ergo qui sequitur opinionem minus probabilem, etc., non agit prudenter : ergo peccat.

[1] Rom. XIV, 23. — [2] *De civ. Dei,* cap. 23. — [3] Lib. *contra Academicos,* cap. 16.

PROB. 4. *Duplici ratione.*

1° In dubiis duo nobis sunt agenda : debemus nempe inquirere veritatem in speculando, et regulam conscientiæ practice certam ad agendum; atqui ab illo duplici fine deficit qui in concursu duarum opinionum, sequitur minus certam simul et minus probabilem.

Prob. min. per partes.

PROB. PRIMA PARS. Debemus in dubiis veritatem inquirere et sequi; at ubi veritas clare inveniri non potest, tenemur ad illam accedere quantum valemus; porro qui sequitur opinionem minus probabilem, non accedit quantum potest ad veritatem sibi cognitam, siquidem cum sententia aliqua est notabiliter probabilior, assensus mentis naturaliter in eam inclinat; unde sequens minus probabilem homo non proprium judicium, seu propriam credulitatem sequitur, sed per quemdam conatum, quem sua voluntate in intellectum infert, relicta quæ valde verisimilior sibi apparet sententia, ad partem quæ sibi vera non apparet, inflectitur. Ergo, etc.

PROB. SECUNDA PARS. Debemus inquirere regulam practice certam in agendis; sed quando opinio quæ favet legi est recte et sine hæsitatione probabilior, jam non est stricte dubia, sed moraliter aut quasi moraliter certa, et opposita tenuiter aut saltem dubie probabilis evadit, certoque caret fundamento. Ergo prima sola, non altera, regulam præbet practice certam. — Præterea, quando sententia quæ favet legi est valde probabilior, lex censetur sufficienter promulgata : sed ubi lex est sufficienter promulgata, obligatio legis est certa, *leges* enim *instituuntur cum promulgantur* [1], certamque præbet regulam ad agendum. Ergo qui sequitur opinionem minus tutam simulque minus probabilem, relicta tutiori simulque vere et solide probabiliori, recedit a veritate simul et a regula conscientiæ practice certa.

[1] S. Isid., in corp. *Juris can.*, dist. 4, cap. 3.

2° Ille non agit licite qui non agit prudenter; sed qui eligit sententiam minus probabilem faventem libertati in concursu probabilioris quæ stat pro lege, non agit prudenter: ergo non agit licite, sed peccat.

Prob. min. Prudentia, cum sit virtus mentis practica, requirit certitudinem saltem moralem de honestate sui objecti; sed qui sequitur opinionem minus probabilem faventem libertati, in concursu probabilioris faventis præcepto, non habet certitudinem moralem de honestate suæ actionis : ergo non agit prudenter.

Prob. min. Ille non habet certitudinem moralem de bonitate suæ actionis, qui de sua actione hoc judicium habet : *probabilius et verisimilius est hanc actionem esse malam et illicitam ;* atqui tale judicium necessario habet qui, operatur ex opinione minus probabili quæ favet libertati in concursu, etc. Ergo non habet certitudinem moralem de bonitate morali suæ actionis.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objicies 1. Dixit Christus [1]: *Jugum meum suave est et onus meum leve.* Atqui jugum Christi non esset leve, si in agendo non liceret sequi opinionem etiam minus probabilem faventem libertati in concursu probabilioris : ergo, etc.

Resp. *Nego min.* Non enim ideo jugum Christi dicitur suave, quod liceat ejus præcepta transgredi quando verisimilius est ea existere; sed dicitur suave, 1° quia pauciori-bus constat præceptis quam lex Mosaica ; nam in Evangelio non sunt, nisi præcepta necessaria ad salutem; in lege autem Moysis infinita erat multitudo præceptorum non ideo datorum, quia erant necessaria ad salutem, sed ut populum duræ cervicis severiore exercerent disciplina; 2° quia lex Evangelica est lex amoris et charitatis ; atqui ex Augustin., *Quidquid durum est in præceptis, ut sit leve*

[1] Matth. xi, 30.

Charitas facit; et ex Div. Thom.[1], *Lex Evangelica ad mandata inducit ex amore, qui omnia levia facit,* etiam quæ ex se aspera et gravia sunt; 3° quia præcepta Evangelica suavia fiunt ex gratiæ divinæ auxilio. *Equidem durum videtur, quod Dominus imperavit:* Si quis vult post me venire, abneget semetipsum; *sed non est durum et grave, quod ille imperat, qui adjuvat, ut fiat quod imperat,* ait Div. August.[2]

OBJICIES 2. Summi Pontifices in suis dispensationibus et decisionibus secuti sunt opiniones minus probabiles libertati faventes : ergo licitum est, etc.

RESP. *Nego ant.* Nam Sancti illi Patres secuti sunt illas opiniones, quæ post accuratam veritatis inquisitionem illis visæ sunt probabiliores, ut perfecte cognosceremus si motiva quibus nixæ fuerunt eorum resolutiones, nobis essent cognita.

Prob. ant. Ex Alexand. III[3], a quo cum quæsitum fuerit, *si vir vel mulier scienter vel ignoranter filium suum de sacro fonte susceperit, an propter hoc separari debeant,* respondit : *Consultationi tuæ taliter respondemus, quod quamvis generaliter sit institutum, ut debeant separari ; quidam tamen humanius sentientes, aliter statuerunt ; ideoque nobis videtur quod sive ex ignorantia, sive ex malitia id fecerint, non sunt ab invicem separandi ; nec alter alteri debet debitum subtrahere.*

Ex quo responso sic argumentor : Alexander III casum propositum decidit juxta opinionem minus probabilem faventem libertati in concursu probabilioris faventis legi, ut patet ex his verbis : *Quidam humanius sentientes* : ergo in concursu duarum opinionum probabilium licitum est sequi opinionem minus probabilem faventem libertati.

RESP. *Nego ant.* Nam 1° Alexand. III secutus est sententiam quæ sibi visa est probabilior, ut patet ex ratione quam subjungit : *Quia,* inquit, *si ex ignorantia id factum*

[1] In 3, dist. 40, art. 4. — [2] Serm. 47 *de Diversis*, cap. 1. — [3] Cap. *Si vir, de cognat. spirituali.*

est, eos ignorantia excusare videtur; si ex malitia, sua fraus non debet patrocinari, vel dolus. Unde Ostiensis multique alii insignes Canonistæ per τὸ *humanius* intelligunt *æquius, rationabilius,* et Glossa hic intelligit *melius.*

2° Alexander III non est secutus opinionem faventem libertati, contra; secutus est legem faventem matrimonio, per quam conjuges habent jus mutuum exigendi debitum, quo jure una pars non debet privari propter malitiam vel ignorantiam compartis, ut patet ex ratione quam subjungit : *Quia si ex ignorantia,* etc.

Objicies 3. *Qui prudenter agit, recte agit;* sed qui sequitur opinionem minus probabilem in concursu probabilioris, prudenter agit : ergo recte agit.

Resp. *Nego min.* — *Prob.* Qui agit prout dictat recta ratio, prudenter agit ; sed qui sequitur opinionem minus probabilem, agit prout dictat recta ratio : ergo, etc.

Resp. *Nego min.* Nam recta ratio dictat illud in concursu amplectendum, quod magis ad veritatem accedit.

Prob. min. Qui agit ductus argumentis quæ viros pios et doctos ad assensum determinare possunt, agit prout dictat recta ratio ; atqui qui sequitur opinionem minus probabilem, agit ductus argumentis quæ viros pios et doctos ad assensum determinare possunt : ergo, etc.

Resp. *Nego min.* Nam adveniente luce probabilioris sententiæ, lux sententiæ minus probabilis statim evanescit : ergo non potest viros doctos determinare ad assensum; alias prudenter ageret, qui escam sumeret quam probabilius putaret veneno esse infectam; item dux exercitus qui eo tempore prælium committeret, quo probabilius putaret se victum iri, quam victurum esse, etc.

Inst. 1. Atqui opinio probabilis in concursu probabilioris remanet vere probabilis : ergo nulla solutio.

Resp. *Nego ant.* Nam, ut fatetur Esparza, *apud auctores latinos tam veteres quam recentes, probabile sumitur pro*

[1] 1 2, quæst. 23, art. 102.

eo quod approbare, et cui adhærere ac assentiri intellectus merito potest cum formidine partis oppositæ; atqui intellectus merito ut veram approbare non potest opinionem de licito, dum ipsi apparet probabilius falsa, quam vera, nec ei merito adhærere potest et assentiri, sed debet ipsam reprobare ut falsam: ergo opinio probabilis in concursu probabilioris non remanet absolute probabilis ei cui fundamentum falsitatis ipsius apparet manifeste majus. Hinc Cardinalis Lauræa [1], ait : *Probabile idem importat, ac dignum ut approbetur; non est autem digna approbatione sententia, quæ repræsentatur ut minus verisimilis.*

Prob. ant. Homo doctus non desinit esse doctus in concursu alterius doctioris; ergo a pari opinio probabilis non desinit esse probabilis in concursu probabilioris.

Resp. *Nego conseq.* Disparitas est quod, positio majoris scientiæ in uno homine non importat negationem scientiæ in quocumque alio; e contra positio majoris probabilitatis sententia importat negationem probabilitatis in sententia opposita; nam ex eo quod sententia sit longe verisimilior, sequitur oppositam magis judicari falsam quam veram, ac proinde non posse amplecti, quia *quod non est ex fide, peccatum est.*

Inst. 2. Nullum comparativum destruit positivum: ergo major probabilitas non destruit minorem.

Resp. *Dist. ant.* Nullum comparativum *comparative* sumptum destruit positivum, *conc.*; comparativum *adversative*, quomodo hic sumitur τὸ *probabilius*, *nego ant.* Sic Apostolus [2] sumit τὸ *melius* in hoc textu: *Melius est nubere, quam uri;* non quod bonum sit uri, sed quod ex his duobus inter se comparatis unum bonum sit, alterum malum.

Objicies 4. Licitum est operari juxta opinionem motivo gravi fundatam; atqui opinio minus probabilis fundatur motivo gravi; alias non esset probabilis : ergo, etc.

Resp. *Dist. maj.* Licitum est operari juxta opinionem mo-

[1] In 3 sent. disp 11 a § 118.— [2] I Corinth. VII, 9.

tivo gravi fundatam, si illud motivum non vincatur graviori motivo, *conc.;* si vincatur, *nego maj.*, et sic ad minorem.

Itaque motivum non dicitur grave hoc sensu quod meretur assensum pro omni casu, sed tantum pro omni casu in quo adæquatur per motivum æque grave, aut superatur per motivum gravius in oppositum; tunc enim vel eliditur a motivo æque gravi, vel superatur a motivo graviori.

Inst. 1. Motivum grave eo ipso quod grave est, facit magnam spem assequendæ veritatis : ergo eo ipso quo grave est, meretur assensum.

Resp. *Dist. ant.* Facit magnam spem assequendæ veritatis, si non concurrat cum alio graviori quod faciat timorem majorem non assequendæ veritatis, *conc.;* si concurrat cum alio motivo ejusmodi, *nego ant.* Tunc enim solum motivum gravius meretur assensum; alioquin agens eliceret actionem, de qua hoc judicium haberet : *probabilius et verisimilius est hanc actionem esse malam et illicitam.*

Inst. 2. Licet qui operatur ex opinione minus probabili, hoc judicium directum *speculative* incertum : *probabilius et verisimilius est hanc actionem esse illicitam,* habeat; habet simul hoc judicium reflexum *practice* certum, *qui probabiliter agit, prudenter et secure agit;* ergo habet certitudinem moralem de bonitate suæ actionis.

Resp. *Nego ant.* Nam impossibile est quod judicium directum *speculative* incertum, evadat certum *practice*, nisi aliquid novi accedat unde recipiat hanc certitudinem; cum ergo operans non possit judicare opinionem minus probabilem esse veram, quando major est probabilitas in oppositum, non potest certo judicare operationem hic et nunc exercendam juxta opinionem minus probabilem, non esse prohibitam.

Inst. 3. Licet intellectus ex se non possit assentiri opinioni minus probabili, potest tamen ex imperio voluntatis; ergo, etc.

Resp. *Dist. ant.* Potest imprudenter, *conc.;* prudenter, *nego ant.* Neque potest enim intellectus prudenter assentiri opinioni quæ magis apparet falsa, quam vera.

Inst. 4. Voluntas prudenter potest appetere minus bonum, relicto meliori bono: ergo intellectus, saltem ex imperio voluntatis, potest assentiri opinioni minus probabili.

Resp. *Trans. ant. nego conseq.* Disparitas est, quod bonum non consistat in indivisibili, unde minus bonum est semper verum et certum bonum; verum autem consistit in indivisibili, et ideo minus probabiliter verum in conflictu probabilioris veri, est probabiliter falsum.

Dixi *transeat;* quia nullus prudenter potest eligere minus bonum, nisi sit magis idoneum ad consecutionem finis, t diximus supra [1].

Objicies 5. Licitum est sequi opinionem minus tutam in concursu tutioris: ergo a pari, etc.

Resp. *Nego conseq.* Disparitas est, quod major securitas non est regula morum, sed prudentia; unde sufficit quod sequamur id quod veritati et prudentiæ magis est consonum, quale sæpe est opinio minus tuta in concursu tutioris.

Objicies 6. Si non liceat sequi opinionem minus probabilem in concursu probabilioris, præcise ob peccandi periculum, nec ergo licebit sequi opinionem probabiliorem, imo nec probabilissimam, ob idem periculum.

Prob. Opinio quæ non excludit omnem incertitudinem, habet secum periculum peccati; atqui talis est opinio probabilior et probabilissima: ergo, etc.

Resp. *Dist. maj.* Opinio quæ non excludit incertitudinem moralem, *conc.;* objectivam et mathematicam, *nego maj.* Atqui opinio probabilior non excludit incertitudinem objectivam et mathematicam, *conc.;* moralem, *nego min.* Porro, qui habet certitudinem moralem de bonitate suæ

[1] Cap. 1, quæst. 1, § 1. *de Act. hum.*

actionis non peccat, quia facit totum quod in se est ad inquirendam veritatem; unde si forte illam non attingat, excusatur a peccato ratione ignorantiæ invincibilis; e contra, qui opinionem minus probabilem, spreta probabiliori, sequitur, nedum nihil facit ut veritatem agnoscat, sed et ipsammet spernere convincitur: unde peccat formaliter.

§ II.

Utrum liceat sequi opinionem probabiliorem quæ favet libertati in concursu minus probabilis quæ favet legi.

Nota. Quæstionem procedere *de licito* actuum humanorum; nam conveniunt omnes partem tutiorem necessario esse amplectendam in iis quæ sunt necessaria necessitate medii ad salutem, vel quæ requiruntur ad validam administrationem et susceptionem Sacramentorum; quia in his ignorantia invincibilis aut major probabilitas nihil juvat ad obtinendum finem quem procurare tenemur, cum non possit salus obtineri, nec effectus sacramentorum haberi, nisi reipsa ponantur ea quæ Deus ad hunc finem exigit.

CONCLUSIO.

E duabus opinionibus licitum est eam sequi, quæ libertati favet, modo sit notabiliter probabilior opposita. — Est contra quosdam rigidiores[1], qui ad sufficientem actionis certitudinem, metaphysicam evidentiam requirunt.

Dixi *notabiliter probabilior*: quia, in moralibus, *parum pro nihilo reputatur*, et ideo, si excessus probabilitatis quo opinio favens libertati superat eam quæ favet legi, sit levis ac tenuis, utraque opinio erit æqualis, nec tollet formidinem rationabilem erroris et periculum probabile

[1] Fagnan. in cap. *Ne innitaris, de constit.*; Sinnichius, in lib. qui inscribitur: *Saul ex Rex Wendrochius*, in notis ad 5 epistol. *Montalti*.

peccati, sed generabit dubium, quod erit deponendum in praxi per principium reflexum, vel ab actione abstinendum erit, vel pars tutior eligenda, ut dicemus infra.

PROB. 1. Ex Div. Thom.[1] dicente: *Certitudo non est similiter quærenda in omni materia; in actibus enim humanis super quibus constituuntur judicia, non potest haberi certitudo demonstrativa, eo quod sunt circa contingentia et variabilia; et ideo sufficit probabilis certitudo quæ in pluribus veritatem attingat, etsi in paucioribus a veritate deficiat.* Atqui si non liceret sequi opinionem minus tutam quæ sit tutiore notabiliter probabilior, non sufficeret *probabilis certitudo*, sed requireretur *certitudo demonstrativa* quæ *non potest* haberi, et ideo ab omni actione esset abstinendum : ergo, etc.

PROB. 2. Ratione Cajetani[2] dicentis : *Non exigit Deus ab homine plusquam conditio hominis habet, quia divina sapientia disponit omnia suaviter.* Atqui hominis conditio habet ut in moralibus rebus non possit habere mathematicam omnium agibilium certitudinem, juxta illud Div. Antonini[3]: *Certitudo quæ reperitur in materia morali, non est certitudo evidentiæ, sed probabilis conjecturæ... non enim contingit certitudo moralis ex evidentia demonstrationis, sed ex probabilibus conjecturis grossis et figuralibus, magis ad unam partem quam ad aliam se habentibus.* Ergo Deus non exigit ab homine ut semper cum evidentia et certitudine mathematica de bonitate suæ actionis operetur : ergo potest sequi opinionem minus tutam, seu libertati faventem, dum est multo probabilior altera.

Confirmatur. Quia in casu proposito, opinio probabilior est verior, cum traditioni, quæ est morum regula, sit conformior.

Hinc, jure merito Alexander VII hanc damnavit posit. : *Non licet sequi opinionem probabilem* (id est quæ nul-

[1] 2 2, quæst. 70, art. 2, *in corp.* — [2] In sua *Summa*, verbo *Opinio*. [3] 1 P., tit. 3, cap. 10, § 10.

lam habet probabiliorem, vel æque probabilem oppositam (*vel inter probabiles probabilissimam.*

Objicies 1. Qui se exponit periculo peccandi, non agit prudenter; sed qui sequitur opinionem minus tutam, licet probabiliorem, se exponit periculo peccandi : ergo non agit prudenter. Resp. *Nego men.*

Prob. Ille se exponit periculo peccandi qui agit cum dubitatione de malitia operis ; sed qui sequitur partem minus tutam, etsi probabiliorem, agit cum dubitatione de malitia operis : ergo, etc.

Resp. *Nego min.* Qui enim sequitur opinionem probabiliorem, licet minus tutam, sibi conscientiam practice certam efformat per hoc judicium reflexum : *Qui facit totum quod in se est ad inquirendam veritatem, si forte illam non attingat, excusatur a peccato ratione ignorantiæ invincibilis*, quod principium est omnino certum.

Prob. min. Qui non est certus de bonitate suæ actionis, agit cum dubitatione de malitia operis; sed qui sequitur opinionem minus tutam, etsi probabiliorem, non est certus de licitate suæ actionis : ergo, etc.

Resp. *Dist. maj.* Qui non est certus *moraliter* de bonitate suæ actionis, agit cum dubitatione, etc. *conc.;* qui non est certus metaphysice, *nego maj.;* atqui qui sequitur, etc., non est certus metaphisice de bonitate suæ actionis, *conc.;* moraliter, *nego min.* Porro certitudo moralis, quæ sola in rebus moralibus possibilis est, sufficit ut homo tute operetur, juxta illud Gersonis [1] : *Certitudo moralis admittit formidinem de opposito, et scrupulos, non tamen advertendos.*

Advertendum vero est, hanc nostram thesim suam ommimodam non exerere vim in favorem illorum Theologorum, qui dicunt inter opiniones æque probabiles quarum una favet legi et altera libertati, standum esse pro lege, quia, in dubiis, pars tutior est eligenda. Etenim opinio

1, 4, *de Conscient. theologica.*

probabilior vel etiam probabilissima, omnem prudentem formidinem non excludit, ne sit falsa, inquit S. Ligorius [1] nec opposita caret prudenti motivo quod sit vera; igitur in sententia illorum vix quis poterit sibi formare dictamen certum ad operandum, nisi strictum amplectatur tutiorismum, ut infra probabitur. Igitur sit

§ III.

Utrum liceat sequi opinionem probabilem, hominis libertati faventem, in concursu æque probabilis quæ favet legi.

Nota 1. Omnes fere Doctores sunt unanimes in iis quæ hactenus aut admittenda aut rejicienda esse ostendimus. At in quæstione præsenti fervet controversia inter Theologos qui in duas partes scinduntur.

Alii enim dicunt non esse licitum sequi opinionem probabilem quæ favet hominis libertati, in concursu alterius æque probabilis quæ favet legi; sed tunc eam opinionem esse tenendam, quæ est tutior, quæ scilicet favet legi. Hi *Probabilioristæ* dicuntur. Melius tamen *Tutioristæ* nuncuparentur; siquidem jam non agitur de opinione probabiliori quæ non est sub lite, sed de principio reflexo per quod, stante dubio speculativo de rei veritate propter opiniones hinc inde æque ponderantes, effermari possit conscientia *practice* certa de honestate seu licitate actionis. Cum autem in tali dubio ipsi contendant partem tutiorem semper esse sequendam, recte dicuntur *Tutioristæ*. Vocantur autem *Probabilioristæ*, quia dicunt, sicut et nos, contra *Tutioristas* rigidiores, esse licitum sequi opinionem probabiliorem minus tutam, relicta minus probabili tutiori.

Alii, ex adverso, docent esse licitum sequi opinionem probabilem hominis libertati faventem, in concursu æque probabilis quæ favet legi, modo illa opinio sit vere gra-

[1] Lib. I, num. 89.

viterque probabilis. Illorum doctrina, cui assentimur, dicitur *systema morale Probabilismi moderati*, et qui propugnant illud, *Probabilistæ moderati* vel *Æquiprobabilistæ* vocantur.

Diximus *modo illa opinio sit* vere grviterque *probabilis*, ad repellendam calumniam *laxitatis*, quam plerumque adversarii hujus systematis patronis inferunt.

Neminem enim præterit, nunquam in re morali licere uti opinione quam in scholis appellant *leviter* et *tenuiter* probabilis. Licet enim hæc opinio in probabilitatis finibus adhuc stet, non præbet tamen motivum sufficiens ad attrahendum viri prudentis assensum. In moralibus enim, *parum pro nihilo reputatur*.

Accedit etiam quod Innocent. XI damnaverit sequentem propositionem quæ est 3 : *Generatim dum probabilitate, sive intrinseca sive extrinseca, quamtumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeat, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus*. Hinc falsum reputamus illud tritum : *Qui probabiliter agit, prudenter agit,* quia operans debet habere conscientiam practice certam de licitate suæ actionis ; et si dubium practicum de bonitate aut malitia actionis deponi non potest, aut ab actione est prorsus abstinendum, aut pars tutior est tenenda.

Nota 2. Quæstio procedit de licito actuum humanorum, seu de probabilitate *juris*. Nam conveniunt omnes partem tutiorem amplectendam esse in dubiis *facti*, id est, de validitate, substantia, qualitate et conditione alicujus rei ; in iis enim finis est necessario obtinendus, et probabilitas in oppositum, quantacumque sit, cum nihil immutet in rebus, non potest efficere ut obtineatur, si de facto ista opinio non erit vera, ut dicemus infra [1].

Igitur quæstio est de honestate, seu licitate tantum actionis, seu de simplici jure aut persuasione nostra, v. gr. an liceat actio, an sit lex prohibens. His notatis, sit

[1] Art. *de Regul.*, quæst. 12.

CONCLUSIO.

Licet sequi opinionem vere et solide probabilem, hominis libertati faventem, in concursu alterius æque probabilis quæ favet legi.

Probatur quadruplicis generis argumento : 1° ex ipsa legis natura ; 2° ex testimonio SS. Patrum ; 3° ex ipsa ratione et humanæ libertatis conditione ; 4° ex consectariis sententiæ oppositæ.

PRIMUM ARGUMENTUM

Ex ipsa legis natura depromptum.

Lex quæ non est promulgata, non obligat; atqui lex dubia non est promulgata: ergo lex dubia non obligat. — Conficitur alius syllogismus sic : lex incerta certam non potest parere obligationem; atqui lex dubia est lex incerta: ergo certam non potest parere obligationem.

Probatur primus syllogismus.

PROB. *maj.* ex principiis certissimis ab omnibus receptis. Etenim, in qualibet scholæ opinione, promulgatio necessaria est ad hoc ut lex obliget, tum quia nemo potest se judicare obligatum, nisi obligatio illi innotescat, quod fieri nequit, nisi per legis promulgationem; tum quia legislator nec vult, nec potest obligare, nisi post debitam suæ voluntatis manifestationem; tum quia voluntas legislatoris per promulgationem solam constituitur formaliter in esse regulæ et mensuræ actuum humanorum, juxta illud : *Leges instituuntur, cum promulgantur*[1] ; atqui lex esse non potest regula et mensura actuum humanorum, nisi sufficienter innotescat per promulgationem. Hinc S. Isidorus[2] dicit : *Erit autem lex* MANIFESTA; hinc etiam illud tritum : *Non obligat lex nisi promulgata.*

Prob. min. : Scilicet lex dubia, non est lex promulgata.

[1] *Apud Gratian.* dist. 4, cap. 111. — [2] In cap. cit., dist. 4.

1. Etenim promulgatio est manifestatio, notitia, cognitio; scientia; sed *dubium*, inquit Angelicus, *est contrariarum rationum æqualitas* : ergo dubium non est scientia, sed nescientia. Tunc siquidem est dubium, cum non est potior ratio cur intellectus judicet unam opinionem esse veram potius quam alteram ; atqui in concursu duarum contrariarum opinionum æque probabilium non est potior ratio cur intellectus judicet unam opinionem esse veram, potius quam alteram, sed hæret in suspenso inter veritatem et falsitatem : ergo in concursu duarum opinionum æque probabilium, est dubium proprie dictum ; unde si quis ab homine in eo opinionum conflictu constituto, petat quænam ex illis duabus sit vera? Respondebit, si ingenuus sit, *nescio, dubito*. Ergo dubium non est scientia : ergo lex dubia non est lex promulgata.

2. Præterea, S Antoninus dicit : *Sumendo proprie et stricte dubitationem, prout rationes æque ponderantes ad utramque partem, nec magis declinat quis ad unam partem, quam ad aliam :* ergo tam dubius vel nescius est, qui graves pro utraque parte habet rationes æquales, quam qui nullas : ergo dubium non est manifestatio, notitia, nec proinde promulgatio.

3. Duo quorum unum convenit uni tertio, et aliud ab eo discrepat, non conveniunt inter se ; atqui promulgatio convenit cum scientia, et dubium non convenit : ergo promulgatio et dubium non conveniunt inter se.

Major patet, *prob. min.* Omnis scientia certam habet conclusionem ; atqui, ex promulgatione legis certa deducitur conclusio ; nam qui certus est de legis promulgatione concludit : *ergo sum obligatus*. Ergo promulgatio convenit cum scientia ; ex dubio autem nihil concludi potest, ex supra dictis : ergo dubium non est scientia : ergo dubium et promulgatio non conveniunt inter se, et ideo lex dubia dici non potest lex promulgata.

Probatur secundus syllogismus, nempe : *Lex incerta non*

dotest certam parere obligationem; atqui lex dubia est lex in certa: ergo lex dubia non potest certam parere obligationem.

Minor patet ex dictis, *prob. maj.* Si lex incerta posset efficere certam obligationem, duo sequerentur absurda: si quidem daretur effectus sine causa, et effectus major sua causa. Etenim 1° daretur effectus sine causa; sin autem, certum oriretur ex incerto, quod pariter esset absurdum. 2° Daretur effectus major sua causa; nam major esset gradus in obligatione quam in lege ex qua procederet, quod repugnat: ergo lex incerta non potest efficere obligationem certam.

Confirmatur 1. Doctrina nostra, auctoritate Angelici dicentis : *Ad hoc quod lex virtutem obligandi obtineat, oportet quod applicetur hominibus qui secundum eam regulari debent; talis autem applicatio fit per hoc quod in notitiam (id est scientiam) eorum deducatur.*

Et iterum dicit : *Nullus ligatur per præceptum aliquod, nisi mediante scientia illius præcepti... sicut in corporalibus, corporale non agit nisi per contactum; ita in spiritualibus præceptum non ligat, nisi per scientiam* [1]; atqui dubium proprie et stricte dictum, non est scientia, ut dictum est supra: ergo lex dubia non applicatur: ergo non obligat.

Confirmatur 2. Ex Apostolo : *Si incertam vocem det tuba, quis parabit se ad bellum? ita et vos per linguam, **nisi** manifestum sermonem dederitis, quomodo scietur id quod dicitur? Eritis enim in aera loquentes* [2]. Unde sic : lex est quasi tuba et lingua voluntatem superioris manifestans; atqui, sicut nemo tenetur parare se ad bellum, si incertam vocem det tuba, aut illi acquiescere cujus lingua sermonem non dat manifestum, ita non tenetur quis aut parare se ad bellum contra suam libertatem, si lex dat vocem dubiam, aut superioris acquiescere voluntati, si lex, quæ est ejus lingua, manifestum non dat sermonem. Ergo lex

[1] *De verit.* quæst. 17 art. 3. — [2] I Cor. XIV.

dubia non obligat, neque lex incerta certam parere potest obligationem.

Ergo in concursu duarum opinionum æque probabilium, quarum una favet legi et altera libertati, licet sequi opinionem faventem libertati, non quidem eo quod sit probabilis, seu sola probabilitatis causa, sed quia tunc lex dici non potest promulgata, et ideo nequit obligare.

Confirmatur 3. In pari dubio utrum aliquid sit revelatum necne, non tenemur credere illud esse revelatum: ergo, a pari, in æquali dubio utrum aliquid sit præceptum necne, non tenemur illud ponere vel ab illo nos abstinere. Ita S. Antoninus et Gersonius [1].

Nec dicas cum Billuart, non esse paritatem, eo quod credere alicui dogmati dubie revelato sit se exponere periculo erroris; sicut enim, inquit, est error non credere esse de fide quod est revelatum, ita est error credere esse de fide quod non est revelatum; nam respondetur: si par est error errare in credendo et in non credendo, cur potius non est credere quam credere alicui dogmati dubie revelato, quod tamen potest esse vere revelatum, cum probabile sit esse revelatum, nisi ex principio nostro, scilicet, quia in causa particulari, non est Deo obediendum, nisi manifesta sit ejus voluntas per manifestam revelationem?

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objicies 1. Qui se exponit periculo peccandi, non agit prudenter; sed qui in dubiis sequitur partem minus tutam, se exponit periculo peccandi: ergo non agit prudenter.

Resp. *Nego min.* — *Prob. min.* Ille se exponit periculo peccandi, qui agit cum dubio de malitia operis; sed qui inter duas opiniones æque probabiles sequitur minus tutam etsi probabilem, agit cum dubitatione de malitia operis: ergo, etc.

[1] 1 Part., t. 3.

Resp. 1. *Retorquendo argumentum.* Ille se exponit periculo peccandi, qui agit cum dubitatione de malitia operis; sed qui inter duas opiniones sequitur partem minus tutam, etsi probabiliorem, agit cum dubitatione de malitia operis; nam tunc etiam adest tale periculum, ut patet ex dictis. Imo, nec liceret sequi opinionem probabilissimam minus tutam, relicta tutiore; nam tunc licet opinio minus tuta sit probabilissima, non tamen attingit gradus certitudinis, nec opinio contraria exit a limitibus probabilitatis et ideo adhuc est periculum peccandi; igitur confugiendum esset ad tutiorismum excessivum et erroneum qui est proscriptus in damnatione propositionis *Sinnichii : Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam.*

Resp. 2. *Nego min.* Qui enim sequitur opinionem minus tutam, sed æque probabilem, sibi conscientiam practice certam efformat, per hoc judicium reflexum : *Ubi non est lex, nec prævaricatio* [1]*; sed ubi lex non est promulgata, non est lex formaliter sumpta : ergo non est prævaricatio ;* subsumo : *ubi vero non potest esse prævaricatio, ibi non est periculum peccandi : ergo, cum in casu lex non sit promulgata, non potest esse periculum peccandi : ergo,* etc. ; vel : *lex non obligat nisi promulgata; sed lex dubia non est lex promulgata : ergo non obligat.* — Vel : *Certum ab incerto oriri non potest : ergo certa obligatio non potest oriri a lege incerta ;* subsumo : *atqui lex speculative dubia, est lex incerta : ergo,* etc. In his conclusio, seu syllogismus practicus est certus, quia ex certissimis præmitiis deducitur : ergo qui sequitur opinionem minus tutam, sed solide et vere probabilem, sibi conscientiam certam efformat de licitate suæ actionis.

Inst. 1. Qui non est certus de bonitate suæ actionis, agit cum dubitatione de malitia operis; sed qui sequitur opinionem minus tutam, licet æque probabilem, non est certus de licitate suæ actionis : ergo, etc.

[1] Rom. xiv, 15.

Resp. *Dist. maj.* Qui non est certus *moraliter* de bonitate suæ actionis, agit cum dubitatione, *conc.;* qui non est certus *metaphysice, nego maj.;* atqui, qui sequitur etc., non est certus de bonitate suæ actionis, metaphysice, *conc.;* moraliter, *nego min.* Porro certitudo moralis, quæ sola in rebus moralibus possibilis est, sufficit ut homo tute ac prudenter operetur: ergo, etc.

Inst. 2. Ille non est moraliter certus de bonitate suæ actionis, qui judicando suam actionem esse licitam, simul judicat forte esse illicitam; sed qui judicat actionem minus tutam esse honestam, simul judicat eam forte esse illicitam: ergo non est certus moraliter.

Resp. *Dist. maj* Qui judicat actionem minus tutam esse licitam, simul judicat eam forte esse illicitam, illicitate materiali invincibili, *conc. min.;* formali, vel materiali vincibili, *nego min.* Et quidem, cum opiniones contrariæ sunt æque seu fere æque ponderantes, mens non potest declinare ad unam partem potius quam ad aliam, sed hæret in suspenso, ut dictum est, circa veritatem et errorem; at, stante dubio speculativo, circa veritatem rei, seu facti, scilicet, utrum existat lex necne, bene possum efformare conscientiam practice certam de honestate actionis meæ, non quidem ex illo dubio speculativo, ex quo deduci non potest conclusio, seu syllogismus practicus, sed ex principiis reflexis certissimis, ut dictum est supra. Imo, quo majus est dubium speculativum, eo major evadit certitudo de licitate actionis, iisdem mediantibus principiis.

Objicies 2. Lex dubia est sufficienter promulgata, ut directe et vi sua obliget: ergo, etc. Resp. *Nego ant.*

Prob. ant. Prudenter præsumitur legislatores velle leges suas in dubiis obligare, nec earum observantiam pendere ex variis Casuistarum interpretationibus; alioquin innumeræ leges manerent absque effectu, et, ut plurimum, intentiones legislatorum frustrarentur: ergo lex dubia,

est sufficienter promulgata. *Ita Billuart.*

Resp. *Nego suppositum*. Nam in qualibet scholæ opinione, certum est legislatorem nec posse, nec velle obligare, nisi post debitam voluntatis suæ manifestationem; hinc principium illud universalissimum : *Non obligat lex nisi promulgata*, id est, nisi in *notitiam* et *cognitionem* subditorum deducta. Homo enim est ens rationale, intelligens, nec obligari potest nisi per scientiam et conscientiam præcepti; atqui nunquam in æternum probabunt adversarii, dubium esse scientiam, notitiam, manifestationem legis : ergo præsumi non potest legislatores velle leges suas in dubiis obligare, sed quando volunt subditos obligari, curant ut leges sufficienter promulgentur. Hinc Suetones Caligulam increpat quod, *proposuit legem, sed et minutissimis litteris, et angustissimo loco, uti ne cui describere liceret* [1]. — Ad rationem adversariorum respondetur vanum esse timorem illorum; utinam enim bene custodirentur mandata quæ sunt certa! Respublica Christiana per hoc optime componeretur, quin necesse sit dubias invocare leges.

Objicies 3. Quando est æque certo et solide probabile legem dari, ac non dari, tunc lex fit dubia, et ideo obligat, si non directe et vi sua, saltem indirecte et vi legis naturalis, scilicet, in dubio tutiorem partem esse eligendam, consequenter legem dubiam esse observandam, quia hoc est tutius. *Ita Billuart.*

Resp. *Nego conseq.* Lex enim dubia non magis obligat indirecte, seu vi legis naturalis, quam directe seu vi sua. Nam 1° si fingeretur talis lex tutius sequendi, valeret etiam contra adversarios, et in rigorismum excessivum nos duceret, ut diximus. Jam enim nobis non liceret sequi opinionem minus tutam, etsi esset probabiliorem, imo et probabilissimam, quia tunc adhuc esset tutius sequi opinionem quæ favet legi, etsi minus probabilem, quod nec adver-

[1] Suet. in *Calig.* cap. 41.

sarii admittunt. 2° Nulla lex naturalis obligat ad tutius sequendum ut vitetur periculum quod non existit; atqui ubi non est lex, et lex quæ non est promulgata, non est lex formalis, nec est prævaricatio : ergo nec periculum peccandi : ergo, etc. 3° Cum Tutioristæ dicunt nos teneri agere juxta legem dubiam, quia pars tutior tunc est eligenda, petunt principium et probant idem per idem. Etenim lex dubia est servanda, non vi legis dubiæ, quæ per se et directe non obligat, ut fatentur ipsi, sed ex vi generalis principii, propter, scilicet, periculum probabile peccandi, si forte lex dubia vere existat. Unde petunt obligationem agendi ex periculo peccandi, et repetunt periculum peccandi ex obligatione agendi, quod est aperte supponere quod est in quæstione, et probare per id quod est probandum.

SECUNDUM ARGUMENTUM

Ex auctoritate depromptum.

Ex variis capitibus constat licere in dubiis partem sequi benigniorem.

I. *Ex Sanctorum testimonio.* 1° S. Joannes Chrysostomus inquit aperte : *Melius est errare in misericordia quam in severitate; ubi enim paterfamilias largus est, dispensator non debet esse tenax. Vis apparere sanctus? circa vitam tuam esto austerus, circa alienam autem esto benignus* [1].

2° Doctor Angelicus apposite dicit ad rem : *Melius excusamur apud Dominum per nimiam misericordiam, quam per nimiam severitatem* [2].

3° S. Bernardus : *Quando diversæ sunt opiniones, cæteris paribus, humanior est præferenda* [3].

4° S. Antoninus, *Angelus conciliorum* dictus, monet confessarium quod *si non potest clare percipere utrum sit mortale, non videtur præcipitanda sententia, ut deneget propter hoc absolutionem, et faciat illi conscientiam de mortali. Cum promp-*

[1] Hom. 49 *in Matth.*— [2] Opusc. 63. — [3] Serm. 3 fer. 2 post. Dom. Quinq.

tiora sint jura ad solvendum quam ad ligandum, et melius sit Domino reddere rationem de nimia misericordia, quam de nimia severitate, potius videtur absolvendus [1].

5° S. Gregorius Nazianzenus quemdam Novatianum secundas nuptias damnantem sic insectatur : *Quo argumento id confirmas? aut rem ita se habere proba; aut si nequis, ne condemnes. Quod si lex dubia est, vincat humanitas et facilitas* [2].

6° Neque aliter sensere S. Bernardus, S. Philippus Nerius, S. Franciscus Salesius, Beatus Leonardus a Portu Mauritio, et alii, qui profecto laxitatis nequeunt esse suspecti, sed signanter S. Alphonsus de Ligorio, auctor *ingenio, eruditione, sanctitate et experientia* præstantissimus, qui *refulsit*, inquit Pius VII (in Decreto de istius virtutibus in gradu heroico approbato)... *in cathedra morum apud conscientiarum moderatores, dum doctrinæ copiam effundebat.* Ille quidem assignatis *probabilismo moderato* nativis limitibus, nostram doctrinam ex cathedra acerrime et invicte ita propugnavit, ut doctrina Ligoriana placuerit appellari.

II. *Ex consensu communiori Auctorum.* Etenim ex quo exorta est disputatio de probabilismo, nempe a medio sæculo decimo sexto, pene innumerabiles fuerunt auctores præstantissimi qui patrocinium hujus doctrinæ susceperunt, ex omni natione, statu, conditione, et ex omnibus religiosorum ordinibus, ut *Suarez, Cardinalis de Lugo, Lessius, Estius, Amort, Bonacina, Salmanticenses, Croix, Toletus,* aliique perplures quos, brevitatis causa, silentio præterimus. (Vide, si placet, nomenclaturam apud S. Ligorium in fine Oper. Moralis). Nostris vero temporibus, non paucæ sunt scholæ per totum orbem diffusæ, in quibus traditur et propugnatur *probabilismi moderati* doctrina, præsertim Romæ, quam ut centrum scientiarum theologicarum habendam esse nemo inficiari potest, et ubi nulla doctrina falsa publice, tacente Ecclesia, doceri potest.

[1] Part. 2, t. XIV, cap. 5. — [2] Orat. 39.

III. *Ex approbatione Ecclesiæ saltem implicita.* Constat 1° ex approbatione operum S. Ligorii, ad effectum ejus canonizationis. Etenim solemniter declaravit S. R. C. *nihil esse censura dignum in operibus S. Doctoris.* Iterum ex decreto *S. Pœnitentiariæ* [1] a S. P. Gregorio XVI approbato, licet cuique S. Theologiæ professori sequi et docere omnes opiniones quas in sua Theologia morali profitetur S. Ligorius, nec inquietandus est confessarius qui easdem in sacro tribunali pœnitentiæ sequitur. Constat 2° ex diversis responsis utriusque Congregationis *S. Officii et S. Pœnitentiariæ* a Summis Pontificibus Pio VIII et Gregor. XVI expresse approbatis. Circa gravem quæstionem, utrum licitum sit in mutuo auctarium accipere ex vi tituli legis civilis, vel utrum lex civilis sit titulus legitimus lucrum certum ex mutuo percipiendi, alii negant, affirmant alii, ex utraque parte acriter disputatur. Sed qualem regulam practice certam, stante dubio speculativo, constituit Ecclesia? Non *sunt inquietandi* pœnitentes, inquit, lucrum, juxta taxam legalem, ex mutuo percipientes, *modo sint parati obedire Sanctæ Sedi, cum decretorie definiverit.* Quamvis igitur res controversiæ subjecta remaneat, tamen præceptum de lucro per legem permisso non percipiendi, vel percepta restituendi imponi non potest; id est, in æquali dubio an existat lex prohibens talem contractum, vel an talis contractus sit usurarius necne, licet sequi opinionem æque probabilem quæ favet libertati, licet minus tuta, relicta tutiori quæ favet legi.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

OBJICIES. Esto: probabilismus non est error, nec eum damnavit Ecclesia; sed nec probabiliorismus est error, nec damnatus ab Ecclesia: ergo neuter *veritate, securitate* et *prudentia* secundus.

RESP. *Nego conseq.* Et 1° quidem, probabilioristæ, me-

[1] 5 jul. 1844.

liori jure *tutioristæ* appellandi, mordicus contendunt in conflictu duarum opinionum æque probabilium de honestate objectiva actionis, non *esse licitum* sequi minus probabilem, sed nos teneri sequi tutiorem : ergo *veritate* cadunt, cum revera sit licitum. Deinde 2° cum probabilismus sit licitus, videant et dicant coram Deo probabilioristæ, si securus sit simul et prudentius multiplicare peccata formalia, potiusquam materialia tantum? Si securius et prudentius sit, ultra quod justum est aggravare jugum Domini? Equidem peccatum materiale non est permittendum sine causa; sed in concursu peccati formalis, peccatum materiale pro nihilo reputari debet, quia de illo non reddemus rationem Deo : ergo probabilioristæ cadunt et *securitate* et *prudentia* Hinc Cardinalis Palavicinus scribit : *Si induceretur opinio quod semper teneremur facere actionem quæ securior est, etiam a transgressione materiali, hæc opinio non esset* TUTIOR, *sed maxime exposita periculo subsequentis transgressionis formalis : quare tutior est opposita ;* et subdit : *multa sunt quæ tutius est facere, sed simul etiam tutius est non se credere obligatum ad ea facienda, nisi moraliter constet de tali obligatione* [1].

OBJICIES 2. Est regula constans et indubitata : in dubiis tutior pars est eligenda ; atqui qui versatur inter duas opiniones æque probabiles est dubius : ergo, etc.

RESP. *Nego maj.—Prob. maj.* Prædictum effatum tanquam generale præceptum in jure naturali fundatum, agnoverunt et declararunt Pontifices Maximi, qui tanquam principium suarum decisionum illud posuerunt. 1° Innocentius III, dicens [2] : *In dubiis via est eligenda tutior.* Et Clemens III [3], respondet : *In dubiis semitam debemus eligere tutiorem.* Item Eugenius III [4] : *In his*, inquit, *quæ dubia*

[1] Apud Scavini, in nota IV. — [2] Cap. *Illud Dominus, de clerico excommunicato, deposito*, etc. — [3] Cap. *Ad audientiam, de homicidio*, lib. v, tit. 12. — [4] Cap. *Juvenis*, 3 *de sponsalibus.*

sunt, quod certius existimamus tenere debemus. Et alia plura quæ, brevitatis causa, omittimus.

Resp. *Nego maj.* Exstant enim ex adverso in jure aliæ regulæ omnino contrariæ, ut illa : *In dubio favores sunt ampliandi, et odia restringenda ;* et : *In obscuris, quod minimum est tenendum ;* et : *Nisi de mandato certus exstiteris, exequi non cogeris quod mandatur*, et signanter Cœlestinus III[1] uni conjugi dubitanti de propria coeundi potentia, licentiam fecit, ut queat ad triennium petere (etiam alteram partem cogendo) et reddere debitum conjugale : quam regulam sequuntur omnia tribunalia. Si lex dubia est semper servanda, quomodo Pontifex potuit permittere quod erat forte intrinsece malum ?

Neque dicas 1° Deus, in casu, permisit experimentum copulæ ; hoc enim gratis asseritur. — 2° Quod experimentum licet in bonum conjugii, et ad veritatem matrimonii dignoscendam ; non enim est faciendum malum certum sub incerta spe boni. — 3° Quod excusari possunt conjuges, quia copulam habent affectu maritali ; nam sola intentio non excusat a malo, nec excludit dubium de illicitate actionis. — 4° Quod eo casu possidet matrimonium in bona fide contractum. Nam respondetur quod, cognita impotentia, statim exsurgit dubium de validitate matrimonii, potest enim impotentia esse absoluta et perpetua ; atqui certum est quod in materia justitiæ, possessor bonæ fidei potest quidem superveniente dubio, retinere rem donec inquisitiones factæ fuerint, sed interdum illam debet servare integram : ergo dicendum est copulam habere cum *non sua,* vel non esse lege naturali prohibitum, (quod nemo potest admittere) vel legem naturalem, ita sentiente Ecclesia, non obligare, cùm sit dubia. Igitur ne dicamus jus sibi contradicere, objecta verba explicanda sunt ; unde

Quæres : *Quomodo accipienda sint objecta testimonia ?*

[1] In cap. ***Laudabilem***, tit. xv, cap. 5.

Resp. Illa et alia hujusmodi Summorum Pontificum responsa constituunt quidem regulas morum practice certas, sed intelligenda et accipienda sunt in sensu et de materia in quibus data sunt, spectatis omnibus rerum adjunctis. Unde dicendum est omnia illa dubia proposita, vel erant dubia *practica*, quæ nullo ex directo vel reflexo principio deponi poterant; vel erant dubia *facti*, quæ conjunctum habebant proprii, aut alterius damni periculum. Quod patebit si seorsim unumquodque eorum inspiciatur [1]. Etenim

In 1° casu agebatur de quodam Episcopo excommunicato qui, non obstante fama publica de excommunicatione adversus eum lata, et adhuc de ea dubitans, temere celebrare et sacramenta Ecclesiastica pertractare maluit; qua de re, jure Innocentius III illum deposuit; nam persistente dubio de excommunicatione et ob scandalum, a celebratione missæ abstinere debebat.

In 2° casu agebatur de quodam sacerdote qui intulit cuidam de familia sua vulnus ex quo vita dicessit. Deinde dubitabat an ille, propter hujusmodi vulnus, mortuus fuisset. Clemens III decrevit *convenire* ut sacerdos a sacrificando abstineret, tum ob scandalum, si deinde constaret illum homicidam fuisse; tum quia nondum facti veritas, utrum scilicet, ex illo vulnere vel ex alio morbo vita dicessisset, erat explorata: qua de causa subjungit textus: *Si ex alia infirmitate obierit, poterit divina ministrare.* Ergo dubium erat practicum nundum solutum, in quo casu non licet agere.

In 3° casu agebatur de quodam juvene qui, mortua prima uxore, quam septennem duxerat, postea cum ejusdem consobrina alias nuptias contraxit. Orto dubio an primum conjugium esset validum ob ætatem, Eugenius III: *Quia in his,* inquit, *quæ dubia sunt, quod certum existimamus tenere debemus; tum propter honestatem Ecclesiæ, quia conjux*

[1] Vid. apud S. Ligor., lib. I, num. 7.

ipsius fuisse dicitur; tum propter prædictam dubitationem, mandamus ut consobrinam ipsius puellam, quam postmodum duxit, dividas ab eodem. Unde adverte 1° Pontificem præcipere separationem tum ad vitanda scandala, tum ad Ecclesiæ honestatem sartam tectam servandam; 2° Pontificem non dixisse quod *tutius*, sed quod *certius* tenere debemus, nempe inforo Ecclesiastico. Certius enim Papa judicabat judicium de separatione imponenda, cum adhuc possideret dubietas valoris primi matrimonii, et vinci non poterat.

TERTIUM ARGUMENTUM

Ex ipsa ratione et humanæ libertatis conditione deductum.

In dubiis melior est conditio possidentis; atqui antecedenter ad omnem legem, quisque suam possidet libertatem: ergo cum lex est dubia, melior est conditio libertatis.

Utraque præmissa propositio acriter impugnatur ab adversariis restringendo primam *propositionem* ad solam materiam justitiæ, secundam vero ad solas leges positivas, at irrito conatu, ut patebit ex responsis ad objecta: interdum

Nota. Nihil impedit quominus in dubiis quædam lis et contentio instituatur inter hominem et legem in qua videtur homo constitui judex in sua propria causa. Quia Deus posuit hominem in manu consilii sui, ut, adjuvante gratia, sit opifex beatitudinis suæ, unde Apostolus dicit: *Probet autem seipsum homo,* et iterum: *Reddente testimonium conscientia.*

Prob. *maj.* Siquidem certum non tollitur per incertum, et adversus possessionem legitimam sola certitudo prævalet. Conveniunt in hoc omnia jura tum canonicum, tum civile, tum naturale, et decisiones omnium orbis tribunalium.

Prob. min. 1° Lex est essentialiter regula agendorum et vitandorum; atqui repugnat regulam imponere ei qui

libertatem non habet agendi vel non agendi : ergo libertas antecedit omnem legem. — 2° In materia legum prius est quod regulandum quam regula ; atqui lex est regula et libertas est illud quod regulandum : ergo libertas prior est lege. Prius enim legislator considerat subditos juxta propriam naturam et eorum statum, deinde considerat legem convenientem eis imponendam.— 3° Omnia licent, præter ea quæ prohibentur : ergo libertas possidet ante legem ; alioquin dicendum esset : omnia prohibentur, præter ea quæ permittuntur, quod repugnat ; tunc enim omnes leges essent negativæ et nulla positiva, et si quædam esset lex positiva, jam non esset lex, sed privilegium. — 4° *Deus ab initio creavit hominem et reliquit illum in manu concilii sui ; adjecit mandata et præcepta sua ; si volueris mandata servare, conservabunt te* [1]. Prius ergo liber fuit creatus homo, *potestatem habens suæ voluntatis* [2], et postea mandata quæ tenebatur servare adjecit, et imposuit ei Dominus : ergo libertas possidet ante legis obligationem. Ergo dum lex est dubia, melior est conditio libertatis.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objicies 1. Effatum illud : *In dubiis melior est conditio possidentis*, locum duntaxat habet in materia justitiæ : ergo falso extenditur ad alia dubia.

Resp. *Nego ant.* Nam illud principium est universalissimum, utpote ex quo, ut consectaria, defluunt alia omnia juris principia reflexa, ad quæ vel probabilioristæ necnon tutioristæ recurrunt, sicut et nos, ad conscientiam dubiam deponendam ut fiat moraliter certa, quod liquet sequentibus exemplis. — 1° *Non obligat lex nisi promulgata*, quia nullus ligari potest aliquo præcepto, nisi mediante scientia illius præcepti ; unde *communiter* concedunt adversarii legem dubiam non obligare *directe* et *vi sua*, sed indirecte et vi generalis istius principii : *In dubiis pars tutior est eligenda*

[1] Eccl. xv, 14. — [2] I Cor. vii, 37.

propter periculum transgrediendi legem quæ forsan existit. At, quæro, cur lex dubia non obliget *directe* et *vi sua*, nisi quia homo, cum creatus fuerit liber, *habens potestatem suæ voluntatis*, non debet sua libertate certa spoliari per legem *directe* et *vi sua*, nisi lex illa sit certa : ergo agnoscunt meliorem esse conditionem hominis possidentis quam legis dubiæ. Et quidem jure optimo : nam si quæratur ultima ratio necessitatis promulgationis ut lex vim habeat obligandi, alia dari non potest quam sequens : homo quatenus ens intelligens et rationabilis essentialiter est liber, et subjectus legis fieri non potest, nisi legem cognoscat : ergo lex illi manifestanda est, et interdum manet liber. — 2° *In dubio parendum est reo.* Cur autem? quia *in dubio melior est conditio possidentis;* cum enim homo prius possideat probitatem, plectendus non est ut malus, nisi constet de crimine; unde illa altera regula : *Nemo habetur malus, nisi probetur.* — 3° *In dubio præsumptio stat pro superiore*, non quidem propter aliam rationem, nisi quia *in dubiis melior est conditio possidentis.* Etenim, certus superior certum habet jus præcipiendi, certa quoque est obligatio illi parendi, dum non constat illum abuti suo jure, præcipiendo quod non licet; sed in dubio utrum quod præcipitur licitum sit necne, melior est conditio superioris qui prius possidet jus præcipiendi : ergo illi parendum est, et sic de cæteris.

Liquet igitur omnia juris effata, si attente inspiciantur, ex quibus conscientia dubia deponi debet et fieri practice certa, radicaliter consistere in hoc universalissimo principio : *In dubiis melior est conditio possidentis.*

Hujus suprema ratio est, quia per se ipsa possessio tribuit jus, siquidem recte creditur cum fundamento incohata. Si secus esset, possessio in nullo foro vim probationis obtinere posset. Hinc *Bolgeni : Ce qui est juste*, inquit, *devant les hommes et au for extérieur, sera-t-il donc différent de ce qui est juste devant Dieu et au for de la conscience? La jus-*

tice humaine sera-t-elle en opposition avec la justice divine? Les hommes me prescrivent-ils légitimement une chose que Dieu me défend? Quel homme de sens peut-il admettre une absurdité aussi palpable?

INST. 1. Præfatum principium non valet in materia justitiæ, nisi ex generali præsumptione meum esse, quod apud me est; unde possessio civilis est factum mere materiale, quod *per se*, ex natura sua, nullum jus constituere potest. Nam ex eo quod agnum possideam, concludi non potest eum a me titulo legitimo possideri; atqui in materia aliarum virtutum nulla possessio invocari potest cum nulla sit præsumptio quæ libertati jus quodpiam creet: ergo, etc. (Ita adversarii apud R. P. Gury).

RESP. *Nego min. et conseq.* Non enim hic agitur de possessione legali quæ definitur : *rei detentio*, etc., nec de re solum tangibili, sed de omni bono quod Deus per misericordiam suam homini concessit; atqui libertas, quomodocumque definiatur, est bonum reale; possessio igitur libertatis est quid reale. Igitur effatum illud : *In dubiis melior est conditio possidentis*, non oritur quidem in materia aliarum virtutum, ex præsumptione quod meum sit quod apud me est, cum apud me sit forte sine titulo legitimo, sed oritur ex ipsamet possessione libertatis, quam certus sum me habere; porro, si possessio materialis, conjuncta cum bona fide tantum, pro titulo legitimo parit præsumptionem, ut res ita moraliter certe reputetur mea, ut nemo possit me ab illa spoliari sine injustitia, nisi constet de suo jure, quanto magis non debeo privari libertate cujus possessio est quam maxime certa et legitima, nisi per legem certam? Ergo valet in casu illud effatum : *In dubiis melior est conditio possidentis.*

INST. 2. Libertas non potest aliud intelligi quam jus, seu potestas agendi, aliquid licite faciendi, unde sic : qui dubitat de lege, dubitat de obligatione legis, cum sit ejus proprietas; atqui qui dubitat utrum obligetur lege, du-

dubitat de sua libertate seu de jure agendi quod lex prohibet: ergo possessio libertatis in illo non est certa, sed dubia. Ergo melior non est conditio libertatis.

Resp. 1. *Retorqueo argumentum.* Auctoritas superioris non potest aliud intelligi quam jus, seu potestas præcipiendi aliquid licite faciendum, unde sic : qui dubitat de licitate rei præceptæ, dubitat de sua obligatione parendi; atqui qui dubitat de obligatione parendi, dubitat de jure præcipientis : ergo possessio auctoritatis non est certa, sed dubia. Ergo melior non est conditio superioris, seu in dubiis præsumptio non stat pro superiore.

Resp. 2. *Nego maj.* Nam qui dubitat de lege, non dubitat de obligatione legis. Certum enim est legem obligare nonnisi promulgatam ; atqui lex dubia, non est lex promulgata, ut probatum est : ergo qui dubitat de lege, non dubitat de ejus obligatione, sed certus est illam non existere, et ideo dubia non est, sed certa possessio libertatis.

In hoc graviter errant adversarii, quod ponant, sicut et nos, promulgationem esse complementum *essentiale*, vel saltem conditionem *essentialem* legis, prout *actu* et de facto obligantis ; et tamen ponant, ex adverso, legem dubiam, id est incertam et non promulgatam, habere vim obligatoriam ; non attendentes quæstionem non esse de lege in *actu primo*, prout aptitudinem habet ad obligandum, sed de lege in *actu secundo*, prout reipsa et de facto obligat : quod tamen confundere non possumus, quin in gravissimum incidamus errorem. Porro aptitudo ad obligandum nascitur, ut ita dicam, ex ipsa legislatoris auctoritate ; at realis obligatio, seu liganinis libertati applicatio oritur ex scientia seu notitia, id est ex promulgatione legis. Unde lex in actu primo, seu non promulgata, se habet ad libertatem ligandam, sicut ligamen in officina se habet ad corpus ligandum. Cum ergo lex, in actu primo, nullo modo attingat libertatem, non magis quam ligamentum in officina attingit corpus quod ligari debet,

sequitur necessario libertatem sartam tectam manere, dum constat legem non esse promulgatam. Ergo qui dubitat de lege, non dubitat de sua libertate.

Inst. 3. Ubi est certa existentia legis, ibi est certa non-existentia libertatis : ergo ubi est dubia existentia legis, ibi est dubia libertas.

Resp. *Nego conseq.* Propter rationes supra allatas. Ubi enim est certa existentia legis, lex est certe promulgata, et ideo est certa non existentia libertatis. Ubi vero est dubia existentia legis, lex est certe non promulgata, et ideo ibi non est dubia libertas, quia lex non obligat nisi promulgata. Unum ex duobus efficere debent adversarii ut non succumbant argumento : aut negare debent promulgationem esse necessariam ut lex obliget, et tunc seipsos negant ; aut probare dubiam legis esse promulgationem, manifestationem, notitiam seu scientiam legis, quod nunquam probabunt, repugnantibus ipsa rei natura, sensu communi, vel etiam ipsis terminis.

Objicies 2. Regula est prior regulato ; atqui lex est veluti regula, et libertas veluti regulatum : ergo lex prior est libertate.

Resp. *Dist. maj.* Regula prior est regulato, in materialibus, *conc.;* in materia legum, *nego.* Hinc iterum Bolgeni[1] : *Cette maxime :* regula est prior regulato, *se vérifie quand on veut donner l'existence à quelque chose de matériel, par exemple, quand on veut établir une fabrique, planter un jardin,* etc., *alors on se forme dans l'esprit l'idée de la chose qu'on veut faire, et on en trace le dessein ; ce dessein est la règle établie antérieurement et selon laquelle on façonne l'existence réelle de la chose. Mais quand il s'agit des lois, celles-ci ne sont point et ne sauraient être des règles et des desseins selon lesquels on donne une existence à l'homme et un moule à la liberté.* Unde leges sunt pro hominibus,

[1] Lib. VI, cap. 1, num. 4.

et non homines pro legibus; et ideo leges aptari debent hominibus, ut ipsi valeant eas observare.

OBJICIES 3. In dubiis melior est conditio possidentis; atqui lex æterna possidet ante libertatem : ergo in dubio existentia legis vel libertatis, melior est conditio legis, ac proinde potius pro lege standum est.

RESP. *Dist. min.* Prioritate *temporis*, quatenus Deus voluit ordinem naturalem servari, *conc.;* prioritate *rationis*, seu *ordinis*, sive *obligationis*, *nego min.* Sane lex æterna habet aptitudinem ligandi hominem, et hoc sensu dici potest obligare *in actu primo;* at sub hoc respectu non est vere et proprie lex, sed tantum aliquid quod se habet instar legis. Verum illam suam aptitudinem exercere non potest *actualiter*, id est, in *actu secundo*, nisi quando homini promulgatur, quia lex est essentialiter regula quædam practica, qua suas actiones homo mensurare et componere debet.

INST. Deus legem naturalem promulgat in habitu cum eam in animo imprimit : ergo homo ligatur a lege usque ab ipsius conceptione.

RESP. *Nego ant.* Lex enim, proprie et stricte loquendo, non promulgatur nec inseritur animæ, cum Deus animam creat, sed inseritur lumen, seu potius potentia, capacitas, sive habilitas ad legem cognoscendam, cum homo ad usum rationis pervenerit; tunc enim, cum homo legis notitiam habebit, lex ei perfecte et vere promulgabitur eumque ligabit, sed non ante.

Et ideo voluntas humana semper quidem tenetur conformari voluntati divinæ in genere et in volito formaliter; tenetur enim velle bonum divinum et commune, et velle hoc quod Deus vult eum velle, *sed in particulari*, inquit Angelicus [1], *nescimus quid Deus velit, et quantum ad hoc non tenemur conformorare voluntatem nostram divinæ voluntati.*

[1] 1 2, quæst. 19, art. 10.

QUARTUM ARGUMENTUM

Ex consectariis adversariorum depromptum.

I. Sequeretur *nimia difficultas pro confessariis*. Etenim 1° confessarius sæpe versaretur in periculo peccandi, ob defectum sufficientis diligentiæ in perpendendis variis gradibus probabilitatis; quid enim difficilius quam determinare gradus probabilioritatis, tum ab intrinseco, tum ab extrinseco, in his in quibus magistri hærent in suspenso? Ex duabus opinionibus æque seu fere æque probabilibus sequeturne benigniorem? sed peccaret agendo contra conscientiam; tenebitne rigidiorem ? sed peccaret imponendo obligationem incertam pœnitenti. 2° Insuper, licet sententia rigidior ipsi appareat probabilior, quo pacto certus erit oppositum alteri confessario probabiliorem non videri?.. *Nec dicas :* sufficit illi probabilioritas *subjectiva;* nam respondetur : erga seipsum, *trans.;* erga pœnitentem, *nego,* quando contraria sententia veram habet probabilitatem, ut dicemus infra. 3° Perpauci munus confessarii subire possent. Ad hoc enim theologia morali ita pollere deberent, ut scirent distinguere inter opiniones probabiliores et minus probabiles. Onus enim jus dicendi includit onus sciendi; paucissimi autem hoc præstare valerent. 4° Sæpe sibi contrarius esse deberet confessarius. *Primo* quidem in praxi opponet decisionem decisioni, si sua sequatur principia. Sint enim duo pœnitentes, quorum alter sit probabiliter debitor alterius. Præcipiendum erit illi debitum solvere, ne sit rei alienæ detentor, et huic prohibendum erit accipere, ne alterius boni evadat possessor... *Nec dicas,* tunc dividendum esse pro rata dubii, nam dubium cadit in totum, non in partem : vel totum, vel nihil. *Secundo* autem opponet praxim judicio speculativo ; nam haud raro confessarii dictitant se non posse principia probabiliorismi *rigorose* in administratione S. Pœnitentiæ applicare, et ideo, deflectentes a suis princi-

piis, aliud in speculatione, aliud autem omnino oppositum in praxi tenent. *Nonne præstaret,* inquit P. Gury, *principia mitiora statuere et admittere cum tot et tantis doctoribus, eaque* EXACTIUS *in praxim deducere?*

II. Sequeretur *nimia difficultas pro fidelibus.* Etenim ipsi sibi debent efformare conscientiam practice certam de honestate suæ actionis, quia *quod non est ex fide, peccatum est.* Igitur ipsis imponeretur obligatio inquirendi in dubiis quænam sit opinio probabilior et quænam minus probabilis; atqui pluribus hoc moraliter impossibile est, ut patet : ergo, aut in perpetuis angustiis versari debent, aut semper quod tutius est sequi ; quod esset jugum importabile.

III. Sequeretur *perpetua fluctuatio doctrinæ.* Etenim quotidiana experientia comprobat probabilioristas multum discrepare inter se; sed ex ipsa natura probabiliorismi oritur illa discrepantia : ergo, etc.

Prob. min. Nam 1° fatentibus adversariis, plerumque impossibile est principia probabiliorismi *rigorose* deducere in praxim, et ideo, derelictis suis principiis, ad virtutem, ut dicunt, prudentiæ et discretionis confugiunt, ad ethicæ regulas stabiliendas ; ast quam incerta sit hæc agendi ratio nemo non videt, siquidem jam tunc unusquisque sua sibi erit regula, et unusquisque, prout afficitur, judicabit.

2° Posita obligatione sequendi opinionem quæ cuique probabilior apparet, impossibile est ut in praxi conveniant probabilioristæ, siquidem quod uni probabilius, alteri minus probabile videbitur; unde quod ligabit unus, solvet alter : hinc sequentur confusio decisionum, perplexitas et scandalum fidelium, angustiæ ipsorum confessariorum qui, his principiis imbuti ac boni ministri, magnopere timent ne suo munere nunquam faciant satis, vel ex nimio rigore, gravissimas obligationes imponent, vel ex laxitate præsumpta, a debitis fideles exonerasse putabunt; sicque ab hoc sacramento ministrando deterrentur, et

alieni fiunt, cum magno Ecclesiæ Christi detrimento.

Dices : Probabilismus moderatus hujusmodi incommodis non caret : ergo nihil est quod objicere possit.

Resp. *Dist.* Non caret omnino, *conc.;* non caret ordinarie, *nego.* Duo enim tantum sunt probabilistis perpendenda, scilicet, leges certæ ex quibus oriuntur obligationes certæ, et leges incertæ ex quibus nulla oritur obligatio; atqui quamvis non semper manifesta sit probabilitas, nemo tamen non videt facilius esse, ordinarie loquendo, discernere utrum solida ratio contra legem habeatur, quam de excessu aliquo probabilitatis judicare.

Conclusio practica. Hoc pro theoria dictum sit, sed quantum ad praxim spectat deligendi opiniones, in foro præsertim Pœnitentiæ, sequentem regulam sequendam proponit S. Ligorius, nempe[1]: « *Ubi agitur de removendo pœnitente a periculo peccati formalis, confessarius debet, generaliter loquendo, et in quantum christiana prudentia suggerit, benignis opinionibus uti; ubi vero opiniones benignæ proximius reddunt periculum peccati formalis, prout sunt nonnullæ auctorum opiniones, v. gr. quoad vitandas occasiones proximas, et alia id genus, tunc semper expedit ut confessarius utatur, imo dico, quod ipse, ut medicus animarum, tenetur uti opinionibus tutioribus, quæ pœnitentes ad se servandos in statu gratiæ conducunt.* » His attentis, sciat confessarius *severitatem nimiam* maxime esse nocivam ; nam consilia in præcepta mutat, levia in gravia traducit. Nihil illi satis, ut sacramenta permittat; conscientias aggravat, omnes anxietatibus vexat, quibus fit ut ipsi animo concidant, sacramentorum desortes fiant, de salute ut nimis ardua desperent, fidem amittant, et religionem, quasi terram quæ devorat habitatores suos, deserant.

Quæres 1. *Utrum præstabilitum principium nempe :* lex dubia non obligat, *intelligatur etiam quoad extensionem legis ad casus particulares ?*

[1] Lib. I, num. 84.

Resp. *affirm.* Nam quando lex est dubia quoad suam extensionem, est quasi non existens, defectu promulgationis respective ad illum casum, et ideo remanet, quoad illum, certa et firma in sua possessione libertas hominis. Etenim *illud dicitur licitum quod nulla lege prohibetur* [1]; sed lex non prohibet nisi ligando hominis libertatem; *subsumo:* sed, ex verbis decretoriis S.Thom. quæ nunquam satis repeti possunt, *nullus ligatur per præceptum aliquod, nisi mediante scientia illius præcepti:* ergo lex, sive sit dubie condita, seu dubie promulgata, sive dubitetur an in lege comprehendatur vel non aliquod onus, non obligat pro illa parte pro qua lex est dubia : [2] ergo, etc.

Quæres 2. *Utrum præfatum principium intelligatur etiam de casu quo graviter dubitatur an legi satisfactum fuerit, aut an illa cessaverit lapsu temporis?*

Resp. *Prima sententia* quam tenent, saltem ut probabilem, auctores non pauci, nec infimæ notæ [3], *affirmat*, et sic probatur per partes.

Prob. prima pars. *Lex incerta non obligat, nec est imponenda obligatio, nisi de ea certo constet,* ut invicte probatum est supra; atqui si *probabilius* aut *æque probabile* sit me jam ante satisfecisse, lex iterum satisfaciendi est incerta; ubi enim una pars est probabilis, opposita non potest esse certa: ergo me non obligat.

Prob. secunda pars. Ex eodem principio quod exceptionem non patitur : *lex dubia non obligat*, sic ratiocinatur: quoties lex non potest suam probare existentiam, est lex dubia; atqui quoties grave dubium agitatur utrum lex quæ aliquando erat certa cessaverit necne, lapsu temporis lex non potest probare suam existentiam : ergo est lex dubia : ergo non obligat, siquidem, quemadmodum obligatio pendet a notitia certa legis, ita etiam continuatio obliga-

[1] S. Th. in 4, quæst. 2, art. 4, ad 2. — [2] S. Ligor., lib. 1, num. 27. — [3] Lugo, *de Pœnit*, Diss. 16, num. 56, Bonacina, Lacroix, lib. 1, num. 599 et Salmaticenses, *de Voto* c. 1, num. 145, Billuart *de Integrit. conf.* 84 et alii.

tionis pendet a continuatione notitiæ certæ ejusdem.

Ergo, juxta hanc sententiam, omnis lex, qualicumque de causa fiat dubia, eo ipso amittit vim obligandi, atque ut nulla habenda est.

Secunda sententia communissima *negat*, et per partes sic probatur.

PROB. PRIMA PARS. Ex illo principio communiter admisso : *non satisfit obligationi certæ per satisfactionem incertam*, nisi probilitas esset talis quæ præsumere faceret quadam certitudine morali legi satisfactum esse, et sic forte intelligunt plures ex adversariis. Sic ratiocinantur: in dubiis melior est conditio possidentis ; ad sciendum vero quis possideat, videndum est pro quo stat præsumptio; jam vero præsumptio stat pro illo qui non tenetur probare, sed alteri imponit onus probationis; atqui cum lex semel existit et imperat, jus certum possidet, et libertas ligata manet ab obligatione legis, donec probaverit se liberasse per debitam satisfactionem : ergo, etc.

PROB. SECUNDA PARS. Ex eodem principio, et simul principium ab adversariis assumptum distinguendo sic : *lex dubia non obligat*, quando legis est probare suam ipsius existentiam, ad incipiendum esse, *conc.*; secus, *nego*. Pariter : *non est imponenda obligatio, nisi de ea certo constet*, ultro conceditur; at similiter non est obligatio semel imposita tollenda, nisi de obligatione certo constet. Etenim, licet homo sit naturaliter liber et prius possideat suam libertatem, est etiam naturaliter subjectus, ut ita dicam; connaturale enim est homini subjectus esse legi. Unde lex non infert violentiam nec injuriam hominis libertati, sed quædam lis instituitur inter legem et hominem, bona fide componenda, ut dictum est..... Cum ergo lex certa possideat, exsurgente dubio, præsumptio stat pro illa, et homini incumbit onus probandi [1].

Quiquid sit de probabilitate prioris sententiæ, hæc pos-

[1] S. Ligor. lib. I, num. 27 et 28.

terior est enixe suadenda et ordinarie certo tenenda cum dubium est de satisfactione. Ordinarie enim, inquit P. Gury, cum adest dubium circa adimpletionem alicujus obligationis, negligentiæ illius qui dubitat tribuendum est, nec proinde excusari ullo modo potest.

ARTICULUS III.

De principiis seu regulis quibus conscientia dubia possit deponi, et fieri moraliter certa.

Nota. Qui conscientiam habet negative dubiam an actio hic et nunc sit licita, si omnibus, ut debet, ponderatis, nullam probabilem detegat auctoritatem qua actionem hanc illicitam esse constet, potest dubium suum quasi male fundatum deponere, et actionem hanc operari, quia nullas habet rationes non agendi, aut saltem tam leves habet, ut eas tanquam inanes scrupulos abjicere debeat.

Quæres 1. *Quænam sint principia reflexa, seu regulæ quibus conscientia dubia possit deponi, et fieri moraliter certa?*

Resp. 1. Duæ sunt regulæ generales de quibus sermonem habuimus in quæstione præcedenti, scilicet: 1° *Non est imponenda obligatio, nisi de ea certo constet*, seu : *Lex incerta non potest certam parere obligationem ;* vel: *Lex dubia, lex nulla ; Lex dubia non obligat.* 2° *In dubiis melior est conditio possidentis* [1].

Resp. 2. Præter regulas generales, recensentur etiam nonnullæ speciales quæ sunt generalium consectaria, et in rebus particularibus applicantur. Sunt autem sequentes :

I. *In dubiis pro eo standum est, pro quo stat præsumptio.*

II. *In dubiis judicandum est ex ordinarie contingentibus,* ex axioma ab omnibus receptum ; vel : *In dubiis insimicimus quod plerumque fieri consuevit* [2].

[1] Reg. 45 juris, in 6. — [2] Ibid.

III. *In dubiis factum non præsumitur, sed probatur.*

IV. *In dubio omne factum præsumitur recte factum;* vel, *In dubio præsumitur factum, quod de jure faciendum erat;* sive : *In dubio standum est pro valore actus.*

V. *In dubio nemo præsumitur malus, nisi probetur.*

VI. *In dubio favores sunt ampliandi, et odia restringenda,* seu : *In dubio odia restringi et favores convenit ampliari*[1].

VII. *In dubio favendum est reo.*

VIII. *In obcuris minimum est sequendum.*

IX. *In dubiis præsumptio stat pro superiore.*

X. *In dubiis pars tutior est eligenda.*

Explicantur prædictæ regulæ et nonnulli casus resolvuntur.

QUÆRES 2. *Quomodo intelligi debeant præcedentes regulæ generales.*

RESP. Prima regula generalis: *Lex dubia non obligat*, sic intelligitur: ubi vere et solide opinio probabilis deprehenditur contra legem, lex dici non potest sufficienter promulgata, et ideo non obligat, ut invicte probatum est. Hoc tamen intelligendum est quando dubium versatur circa existentiam legis, non vero, saltem communissime, quando dubitatur de adimpletione vel cessasione ejusdem.

Secunda regula: *In dubiis melior est conditio possidentis,* sic intelligitur : quando dubium aliquod oritur inter litigantes, possessio rei de qua litigatur est titulus certus ex quo præsumitur, morali certitudine, rem esse possessoris, eo quod illam possideat. Ille vero possidet pro quo stat præsumptio, præsumptio autem stat pro illo qui probare non tenetur, sed refundit in alium onus probandi.

Hanc regulam plures auctores ad materiam justitiæ restringunt, quia hoc statum in jure (reg. citata) habetur. At nos probavimus in præcedenti quæstione illam esse universalissimam, eo quod sit omnium principiorum

[1] Reg. 15 juris, in 6.

reflexorum ratio; nam si quæratur v.gr. cur lex dubia non obliget ? respondetur: quia homo cum natus fuerit liber possidet suam libertatem ante ortum omne dubium: ergo censetur liber donec constet de contrario. Si quæratur, cur in dubio standum sit pro superiore ? respondetur : superior ante dubium certam possidet auctoritatem, et illam pergit habere donec aliter probetur et sic de cæteris. — Adde quod ex illa regula quædam statuatur justitia, ut ita dicam, inter legem Dei et libertatem hominis. Duplicem enim distinguimus possessorem, legem scilicet et hominis libertatem. Possessio stat pro lege contra libertatem, dum constat de lege, et dubium est utrum lex desierit esse, vel fuerit impleta; possessio autem stat pro libertate contra legem, dum constat de libertate et dubium est de lege. Hinc,

1° Qui dubitat utrum votum emiserit, illud implere non tenetur, quia possessio stat pro libertate; e contra, qui dubitat utrum votum certe emissum adimpleverit, ipsum implere tenetur, quia possessio stat pro lege.

2° Qui dubitat utrum res quæpiam, v. gr. hortus quem bona fide tanquam suum possidet, sua sit vel aliena, si post sufficientem diligentiam ad cognoscendum verum ejus dominum adhibitam, remanet in eodem dubio, licite potest eam rem retinere, ex regula secunda generali, quia, cum sit in ejus possessione, melior est conditio possidentis.

3° Debitor dubitans utrum æs alienum a se contractum solverit, tenetur totum solvere, licet pecuniam solvendam possideat; ratio est quia dubium non versatur circa ipsam pecuniam cujus sit, sed circa jus exigendi debitum, an adhuc sit. Cum jus istud certo exstiterit, nec constat de ejus exstinctione. creditor possidet durationem illius juris; unde melior est ejus conditio, ex eadem regula; unde istud axioma : *Certum debitum non exstinguitur per solutionem incertam.*

4° Qui dubitat an emiserit votum, non tenetur illud implere, ex prima regula generali, quia votum est instar legis particularis, quam homo sibi imponit; unde ubi votum est dubie emissum, dubia est lex, et ideo non obligat. — E contra, si quis certus est de voto et dubitat de satisfactione, tenetur ad votum, quia votum possidet. Quod dicimus de voto, dicendum est de satisfactione Pœnitentiæ sacramentali [1]; sed, ne æquivocatione ludamur, notandum est quod hæc verba : *probabilis satisfactio*, duplicem sensum habeant. Dubium enim versari potest aut circa positionem actus præcepti vel voti, aut circa valorem actus positi, cum opus impleveris. In primo dubio, certe teneris ad implendum præceptum vel votum, cum adhuc possideat. In altero autem casu non teneris, ex regula IV.

5° Qui dubitat an annum vigesimum primum expleverit, non tenetur ad jejunium. Item qui dubitat in feria quinta an transierit hora mediæ noctis licite potest edere carnes. Item, cum lex jejunii sit prohibitiva [2], qui dubitat an aliquid deglutiverit, potest sacram synaxim sumere. Ratio horum est, quia post debitam inquisitionem, adhuc possidet libertas. E contra, qui dubitat an ad annum sexagesimum, quo probabilius dispensatur a jejunio, pervenerit, jejunare tenetur. Item, qui dubitat an ætatem requisitam expleverit ad sacros ordines, vel ad Beneficium suscipiendum, non potest suscipere. Tunc enim stat possessio pro præcepto.

Quæres 3. *Quomodo intelligitur prima regula specialis:* In dubiis pro eo standum est pro quo stat præsumptio?

Resp. Præsumptio est quasi ratio *præ assumpta* ex variis rerum adjunctis, seu ex considerationibus eorum quæ factum circumstant aut præcedunt, ex quo fit ut, stante dubio, judicium feratur in favorem ejus pro quo stat

[1] S. Ligor. lib. I, num. 28. — [2] S. Ligor. lib. I, num. 38.

præsumptio, quia præsumptio plerumque efficit certitudinem moralem, secundum illud : *in dubio melior est conditio possidentis*. Ratio hujus dispositionis juris quando applicatur ad materiam justitiæ, est, quia merito præsumitur meum esse quod apud me est ; etsi enim contrarium evenire possit, tamen communius evenit quod unusquisque non apud alios sed apud se rem suam conservet. Unde putet præsumptio stat pro illo qui non tenetur probare, sed refundit in alium onus probandi. Hinc 1° si quis dubitat an delectationi mortiferæ consenserit, judicare debet consensisse, si non sit timoratæ conscientiæ, soleatque iis tentationibus consentire, qui pro consensu stat præsumptio.— E contra si sit timoratæ conscientiæ, soleatque his tentationibus resistere, judicare debet non consensisse, quia pro resistentia stat præsumptio.

2° Si quis dubitat utrum intentionem habuerit consecrandi, baptizandi etc., præsumendum est habuisse, quia rarissime contingit eos qui serio conficiunt sacramenta, intentionem non habere. Idem dicendum de eo qui dubitat utrum formam consecrationis debitam pronuntiaverit.

Quæres 4. *Quomodo intelligitur secunda regula specialis :* In dubiis judicandum est ex ordinarie contingentibus?

Resp. Hæc regula est axioma ab omnibus receptum ; idem ac sequens regula 45 juris in 6. : *In dubiis plerumque inspicimus quod fieri consuevit*, et reincidit magna ex parte in præcedentem, siquidem in utraque præsumptio sit ratio judicandi. Sed prior latius patet, quia præsumptio non tantum eruitur *ex ordinarie* contingentibus, sed etiam ex *particularibus* circumstantiis ; sic, v. gr. licet homo peccet *ordinarie loquendo*, cum in tali occasione constituitur, visis tamen circumstantiis particularibus, præsumitur ipsum non peccasse.

Quæres 5. *Quomodo intelligitur tertia regula specialis:* In dubio factum non præsumitur sed probatur?

Resp. Hæc regula juris civilis apud omnes recepta, locum habet in dubiis facti, et intelligenda est de dubio circa actum principalem, v. gr. si dubium sit an Petrus percusserit Joannem, hoc factum non præsumitur, sed qui affirmat, debet illud positive probare.

Quæres 6 *Quomodo intelligenda sit quarta regula specialis :* In dubio omne factum præsumitur recte factum?

Resp Hæc regula ad quam accedunt hæc axiomata : *in dubio præsumitur factum, quod de jure faciendum erat,* et *in dubio standum est pro valore actus,* intelligitur quod si factum principale sit certum, et dubitetur de accessoriis, vel de aliqua circumstantia vel conditione necessaria, vel de modo debito, tunc judicatur omnia adesse in facto quæ de jure postulantur Hujus ratio est, quia, cum de actu principali constet, melior est conditio possidentis; siquidem homo qui posuit actum, intendit finem, et ideo præsumitur fecisse quidquid de jure faciendum erat ad finem obtinendum, nisi aliter probetur. Hinc

1° Si quis dubitat an cum sufficienti dolore peccatum confessus fuerit, non tenetur iterum confiteri [1].

2° Si matrimonium certo est initum, et dubitatur an rite sit initum, standum est pro valore matrimonii [2].

Nota tamen quod si factum sit in favorem libertatis, et obstet bonum commune reipublicæ vel Religionis, aliter judicandum erit.

Quæres 7. *Quid intelligatur per quintam regulam specialem :* In dubio nemo malus presumitur, nisi probetur?

Resp. Hæc regula juris civilis ab omnibus recepta, valet quoties agitur de dubio alicujus delicti; nam delicta non præsumuntur. Unde judex debet *nullum damnare, nisi comprobatum; nullum excommunicare, nisi discussum,* inquit S. Isidorus [3]. Hæc regula facile dicitur generalis; nec

[1] S. Ligor., lib. I, num 26.— [2] S. Ligor. ibid , et lib. VI, num. 505; Voigt., num. 58 ; Gury, *de conscient.*, num. 71. — [3] Ex., lib. 2. *Officium* ad S. Fulgentium, cap. 5.

enim malus quisquam haberi debet, nisi probetur: quisque enim censetur prius probitatem possidere, quam improbitatem.

QUÆRES 8. *Quomodo interpretari debeat sexta regula specialis:* In dubio favores sunt ampliandi, et odia restringenda?

RESP. Ex illa regula juris civilis, ad quam collineat regula juris canonici 15, in 6, sequitur quod in dubiis benigniora sunt præferenda, et sic interpretatur, nempe: 1° quoties odiosa et favorabilia separari possunt, odia sunt restringenda, et favores convenit ampliari, in quantum genuinus verborum sensus patitur. 2° Si odiosa et favorabilia sint indivisibilia, tunc judicandum de intentione legislatoris ex ipsius verbis, ex subjecta materia, aut ex rerum adjunctis. 3° Si intentio legislatoris clare percipi nequeat, semper ad benigniorem partem inclinare debemus [1].

QUÆRES 9. *Quid sibi vult regula septima:* In dubio favendum est reo?

RESP. Exigit illud axioma, ab omnibus in foro externo receptum, ut judex qui, spectatis rationibus intrinsecis, dubius hæret an reus sit absolvendus necne, reum absolvat. Adest ratio in regula V.

QUÆRES 10. *Quomodo interpretatur octava regula:* In dubiis minimum est sequendum?

RESP. Sic interpretanda est: ubi non constat de genuino sensu legis, et determinari non potest, neque per ipsam rei naturam, neque per contextum verborum, neque per loci consuetudinem, aliamve circumstantiam, interpretatio quæ minus apparet onerosa, seu quæ magis libertati favet, admittenda est; v. gr. si, omnibus perpensis, dubitatur an aliqua censura sit *latæ* vel *ferendæ* sententiæ, interpretandum est pro *ferenda* sententia. — Item, si dubium est, utrum in tali lege odiosa comprehendantur filiæ

[1] S. Ligor., lib. I, num. 99; Gury, *de Conscient.*, num. 72

simul ac filiifamilias, lex interpretanda est de solis filiisfamilias, etc.

Quæres 11. *Quomodo intelligatur regula nona :* In dubiis præsumptio stat pro superiore?

Resp. Ex hoc principio reflexo ab omnibus admisso, subjectus qui dubius est quoad veritatem objectivam, utrum, scilicet, quod præcipitur sit in se licitum necne, seipsum constituit in statu certitudinis quoad honestatem subjectivam, sic ratiocinando: *in dubio prius possidet præceptum superioris : ergo illi obediendum est.*

Quæres 12. *Quomodo utendum sit decima regula :* In dubiis pars tutior est sequenda?

Resp. Illa semper uti debemus in dubiis *facti*, quæ, scilicet, versantur circa rei veritatem, sive rei substantiam, hoc est, quando agitur de validitate, substantia, qualitate et conditione alicujus rei; nam in his probabilitas non juvat ad obtinendum finem quem intendere tenemur Cum igitur ignorantia invincibilis, aut probabilitas, etiam major, nihil immutet in rebus, nunquam est licitum uti opinione probabili probabilitate *facti*, cum periculo damni alterius aut sui ipsius, quia hujusmodi probabilitas non aufert periculum damni. Non facit enim si opinio illa est falsa, ut quod requiritur ad valorem actus, non requiratur, vel ut quod nocet, non noceat, vel ut quod est, non sit. Ergo in his pars tutior est sequenda, quod versiculo sequenti colligi potest:

Si damnum, finis, valor, dic tutius urget.

Hinc 1° si dubitas hunc potum esse venenatum, feram aut hominem latere in sylvam, talem contractum, cum tali pacto initum, esse validum, non potes sumere aut ministrare hunc potum, explodere in sylvam, contractum cum tali pacto inire.

2° Qui dubitat in materia fidei, aut in iis quæ ad salutem spectant necessitate medii, tenetur ad tutiora, ac

proinde amplecti debet religionem magis tutam, qualis est procul dubio nostra catholica, quamvis alia probabilior sibi appareat; cum enim quævis alia religio falsa sit, relicta tutiori, non avertitur æternæ salutis detrimentum [1].

3° Medicus tenetur adhibere medicamenta tutiora infirmis profutura. Utrum quando desperatur de salute infirmi, medicus possit applicare remedium dubium, vide suo loco tractatum *de Statibus*...

4° Judex tenetur judicare juxta sententiam probabiliorem; hinc damnata fuit ab Innocent. XI proposit. 2, dicens: *Probabiliter existimo judicem posse judicare juxta opinionem minus probabilem;* excipe casum quo reus esset in possessione rei controversæ, ex regula generali II.

5° In confectione Sacramentorum nequit minister uti opinione probabili, nec probabiliori circa eorum valorem, nisi adsit necessitas, sed tenetur sequi opinionem tutam, id est, illam quæ, vel est tuta, vel moraliter certa. Constat ex prop. 1 ab Innocent XI proscripta (vid. sup..) [2].

Dixi *nisi adsit necessitas;* etenim in extrema necessitate, non tantum potest minister, sed debet uti opinione non solum probabili, sed tenuiter probabili circa valorem Sacramenti, modo non sit evidenter falsa, et, adhibita conditione, salvetur dignitas Sacramenti, quia Sacramenta sunt propter homines, et ideo in tanta necessitate, non incongruenter exponuntur periculo nullitatis [3].

[1] S. Ligor., lib. I, num. 43. — [2] S. Ligor., lib. I, num. 48. — [3] S. Ligor., lib. I, num. 49.

TRACTATUS
DE LEGIBUS.

Nota. Hunc Tractatum in duas dissertationes distribuemus, quarum prima erit *de legibus in communi;* secunda *de legibus in particulari.*

DISSERTATIO I.

De Legibus in Communi.

Nota. Lex quæ, juxta Div. Thomam [1], *a ligando dicitur, quia obligat* (subditos) *ad agendum,* sumitur improprie et proprie.

Lex *improprie sumpta*, est quædam *mensura seu regula, secundum quam res quælibet inducitur ad operandum, et ab operando retrahitur.* Juxta hanc legis acceptionem, omnia sive rationalia, sive irrationalia et inanimata, artes quoque, etiam illicitæ, suas leges habere dicuntur; hoc sensu dicimus leges *grammatices*, *militiæ*, *mundi*, etc.

Lex *proprie sumpta*, est *regula externa morum*, ac proinde solis agentibus ratione præditis competit, et de hac quæritur: 1° quid sit; 2° an promulgatio sit de ejus essentia; 3° an lex, prout a legislatore fertur, in actu intellectus vel voluntatis formaliter consistat.

CAPUT I.

QUID SIT LEX.

Nota. Essentiam legis ab ejus definitione repetendam esse; ideo

[1] 1 2, quæst 90, art. 1 *in corp.*

Dico : Lex, proprie sumpta, definitur : *Rationis ordinatiæ stabilis, ad bonum publicum promulgata ab eo qui curam communitatis habet, cum intentione obligandi subditos.* Explicatur.

Dicitur 1° *ordinatio,* id est, præceptum regulans mores, quod tenet locum generis; omnis lex enim est præceptum, sed non omne præceptum est lex; nam præceptum dividitur in *commune* et *particulare ;* commune subdividitur in *perpetuum*, quod solum est lex proprie, et in *non perpetuum*, quod non est lex proprie, et retinet nomen præcepti, non secus ac præceptum particulare.

Dicitur 2° *ordinatio rationis,* id est, rationi consentanea et justa, secundum illud Div. Augustini : [1] *Mihi lex esse non videtur, quæ justa non fuerit.*

Quæres : *Ex quibus capitibus desumi debet justitia legis?*

Resp. Ex tribus : 1° *ex parte objecti legis*, quod debet esse : 1° honestum, vel in se, vel saltem ratione boni communis ad quod licito modo ordinatur, ut si legislator aliquid indifferens præcipiat propter bonum commune, in quo casu quod antecedenter ad legem erat indifferens, desumit honestatem a fine, quod sufficit ad justitiam legis per ordinem ad objectum. 2° Debet esse moraliter possibile, præsertim in lege humana, juxta hanc regulam juris : *Nemo ad impossibile obligatur,* quæ regula intelligitur, tum de impossibilitate physica, tum de impossibilitate morali, nisi forte in aliquo casu gravis et urgentis necessitatis, in quo propter reipublicæ conservationem, aut non mediocrem utilitatem, possent juste imperari valde difficilia : sic miles obligatur ad servandam suam stationem cum periculo vitæ.

2° *Ex parte legislatoris,* qui non debet excedere suam potestatem, quam excedit cum leges fert pro non subditis, vel cum pro subditis plus statuit quam statuere possit.

[1] *De lib. arbitr.*, lib. I, cap. 5.

3° *Ex parte subditorum,* inter quos debet servavi proportionis æqualitas in onerum distributione, quæ debet fieri pro cujuscumque virium et facultatum proportione. Si tamen lex de se utilis sit, et pauci plus æquo vexentur, non ideo lex erit cassa, sed erit valida erga eos a quibus servari poterit; qui vero injuste gravabuntur, non obligabuntur quoad excessum injustum, nisi per accidens, ratione scandali et perturbationis, quæ, etiam cum proprii boni dispendio, vitari debent. Addo tamen caute incedendum cum agitur de arguenda legis iniquitate, quia quæ privatis aliquibus duriora videntur, non raro gravissimis de causis statuuntur a Principibus.

Objicies 1. Hæc definitionis particula inducit ad seditionem; solent enim populi de legum iniquitate conqueri: ergo ex definitione legis est delenda, tanquam publicæ tranquillitatis perturbativa.

Resp. *Nego ant.* Namque 1° non ex vulgi opinione, sed ex sapientum judicio æquitas legum pensanda est. 2° In dubio sitne lex justa an injusta, servanda est lex; præsumptio enim est pro legislatore, cujus, utpote possidentis jus regendi subditos, melior est conditio, nec per inferioris dubium tolli potest; alias subditis daretur nimia licentia sese a legibus eximendi, cum periculo scandali et perturbationis Reipublicæ.

Objicies 2. Nonnullæ leges humanæ permittunt malum: ergo non est essentiale legis, ut honesta præcipiat.

Resp. *Dist. ant.* Permittunt malum, ut malum, *nego ant.;* ut majoris mali impeditivum, *conc. ant.* Est autem aliquando bonum et secundum rectam rationem, e duobus malis indeclinabilibus illud vitare quod majus est, minus tolerando et non puniendo.

Objicies 3 cum Machiavello et aliis pseudopoliticis: Publica tranquillitas et temporalis felicitas est finis politici regiminis; atqui honestatis regulæ et religionis præcepta plerumque adversantur publicæ tranquillitati et

temporali felicitati : ergo Princeps politicus hujusmodi regulis et præceptis non abstringitur.

Resp. 1. *Dist. maj.* Publica tranquillitas et temporalis felicitas est finis proximus politici regiminis, *conc. maj.*; est finis ultimus, *nego maj.* Nullum enim est regimen quod ad Dei gloriam et felicitatem æternam referri non debeat, juxta illud Div. Augustini [1] : *Felices Imperatores eos dicimus, si justa imperant, si suam potestatem, ad Dei cultum maxime dilatandum, majestatis ejus famulum faciunt.*

Resp. 2. *Nego min.* Quis enim, nisi sit atheus, dixerit veræ religionis præcepta et honestatis regulas publicæ tranquillitati obesse, cum potius ad eam valde conferant, dirigendo ac coercendo improbas hominum passiones, quæ eorum tranquillitatem et felicitatem temporalem funditus subvertunt?

Inst. 1. Si finis politici regiminis sit cultus Dei et felicitas æterna, ipsum ab Ecclesiæ regimine non differt; falsum consequens : ergo, etc.

Resp. *Nego sequelam maj.* Licet enim utrumque regimen ecclesiasticum et politicum habeat pro fine cultum Dei et felicitatem æternam, in hoc tamen differunt, quod cultus Dei et felicitas æterna sint finis proximus ecclesiastici regiminis, cum sint tantum finis remotus et ultimus politici regiminis.

Inst. 2. Ecclesia et Regnum sunt duæ Respublicæ adæquate distinctæ : ergo et fines utriusque sunt adæquate distincti.

Resp. *Dist. ant.* Sunt duæ Respublicæ distinctæ quoad finem proximum et immediatum, propriamque cujusque materiam, *conc ;* quoad omnia, *nego.* Itaque Ecclesia et Respublica sunt solum distinctæ quoad finem proximum et immediatum, et propriam cujusque materiam, seu leges, quas Respublica directe fert in materia temporali,

[1] *De Civ. Dei*, lib. v, cap. 24.

Ecclesia vero in spirituali. Sed hoc non impedit, ne in eumdem finem spiritualem utraque conspiret, qui quidem sit finis proximus Ecclesiasticæ potestatis ac legis, sed nonnisi remotus potestatis ac legis civilis. Unde licet potestas civilis, in quantum directe præceptiva, restricta sit ad propriam materiam, in propria tamen materia subditos regit in ordine ad salutem æternam, tanquam finem suum remotum.

Dicitur 3° *ordinatio stabilis*, id est, non ad tempus, sed in perpetuum duratura [1] donec abrogetur, vel, mutatis circumstantiis, noxia aut inutilis fiat; per hoc lex differt a præcepto quod ad certum tantum tempus, personæ privatæ, aut familiæ particulari imponitur, et expirat morte præcipientis, *re integra*, id est, nondum incepta. Lex vero etiam legislatore mortuo perseverat, nisi a successore vel consuetudine abrogetur; hinc, statuta Episcopi post mortem ejus obligare pergunt, nisi ab ejus successore revocentur.

Objicies 1 Lex vetus fuit vera lex, et tamen a multis sæculis desiit: ergo lex non est essentialiter perpetua.

Resp. *Nego conseq.* Hoc enim sensu dicimus legem debere esse perpetuam, quod obliget quamdiu est utilis et non abrogatur; lex autem vetus desiit esse utilis post adventum Christi, et per legem Evangelicam abrogata est

Objicies 2. Accidentale est legi, quod magis minusve duret: ergo perpetuitas non est essentialis legi.

Prob. ant. Duratio non mutat speciem : ergo, etc.

Resp. *Dist. ant.* In physicis, *conc. ant.;* in moralibus, *nego ant.* Nam major duratio notabilem inducit diversitatem in moralibus, et habet effectus longe diversos : sic Censuræ, v. gr. per modum statuti latæ, ligant omnes in territorio existentes, etsi non sint subditi; e contra, Censuræ latæ per modum præcepti, ligant tantum subditos.

[1] Cap. ultim. *de Officio Legati.*

Dicitur 4° *ad bonum publicum*, id est, non in privatum legislatoris, sed in totius communitatis commodum, quod est essentialiter finis legis; nam idem debet esse finis legis ac potestatis legislativæ; atqui potestas legislativa, sive sit a Deo, sive a communitate, habet pro fine bonum commune : ergo, etc. Hinc Div. Basilius [1] dicit in hoc differre tyrannum a Rege, quod ille propriam, hic communem utilitatem in suo regimine quærit. Per hanc particulam, lex iterum differt a præcepto, quod commodum personæ privatæ respicere potest.

Objicies 1. Samuel [2] jura Regum recensens plura enumerat quæ cedunt in commodum solius Regis, non in bonum commune : ergo non est de essentia legis, ut ad bonum commune referatur.

Resp. *Nego conseq.* Nam ea quæ ibi recenset Samuel, non sunt leges et jura legitima, sed usurpata, quæ Reges sibi arrogaturos esse prædicabat populo, ut eum a Rege poscendo deterreret.

Objicies 2. Si de essentia legis sit ut feratur propter bonum publicum, sequitur non esse obtemperandum legibus quamdiu non constiterit legislatorem commune bonum intendisse; falsum et seditiosum consequens: ergo, etc.

Resp. *Nego sequelam. ant.* Nam *operantis* intentio non pertinet ad substantiam legis, sed sufficit intentio *operis*, hoc est, ut opus a lege præceptum ex se ipso conducat ad bonum commune.

Inst. 1. Atqui sunt plurimæ leges quæ ex se ipsis non tendunt ad bonum commune, tales sunt leges tributorum: ergo, etc.

Resp. *Nego ant.* Nam leges tributorum tendunt ad bonum commune saltem *mediate*, cum de ratione boni communi sit, ut Rex ex tributis thesauros comparet, quibus

[1] Homil. 12. — [2] I Reg. VIII.

Respublica tueatur in bello, et ornetur ac conservetur in pace.

INST. 2. Lex naturalis de tuenda propria vita; item leges in gratiam minorum, Clericorum, militum, etc., non tendunt ad bonum commune: ergo, etc.

RESP. *Dist. ant.* Hæ leges non tendunt in bonum commune, si spectentur ex objecto circa quod versantur, *conc. ant.;* si spectentur ex motivo formali, propter quod versantur circa tale objectum, *nego ant.* Igitur objectum ejusmodi legum est quidem bonum particularium personarum, sed motivum earum formale est bonum commune quod per se intendunt; nam Reipublicæ plurimum interest: 1° ut quilibet tueatur propriam vitam, cum ipsa non possit subsistere nisi in individuis; 2° ut pupilli, qui, ob ætatis suæ infirmitatem, sibi satis providere non possunt, ab injuriis quibus obnoxii forent, vendicentur; 3° ut Clericis, militibus, et cæteris de Republica bene meritis, privilegia concedantur, ut ad perseverandum stimulentur, et alii ad promovendum bonum commune accendantur.

INST. 3. Cessante bono communi, non cessat lex; v. gr. cessantibus fraudibus quas Ecclesia, clandestina matrimonia irritans, præcavere voluit; item cessante scandalo, ob quod cavendum, statutum est ne Clerici in tabernis comedant extra casum peregrinationis, non desinit hujusce legis obligatio: ergo non est de essentia legis ut sit propter bonum commune.

RESP. *Dist ant.* Cessante bono communi respectu quorumdam, non cessat lex, *conc. ant.;* cessante universaliter et respectu totius communitatis, *nego ant.* Porro, licet finis legis, nempe vitatio fraudum, scandali, etc., cesset respectu quorumdam particularium, nihilominus subsistit lex respectu illorum particularium, quia rectus ordo postulat ut pars toti cohæreat, et ut privati a communi disciplina non recedant.

Dicitur 5° *promulgata*, id est, intimata ac denuntiata

subditis, qui aliter non possent legem observare.

Dicitur 6° *ab eo qui curam communitatis habet*, id est, ab eo qui in communitatem perfecta jurisdictione et auctoritate coactiva pollet. Ratio est, quia lex est essentialiter propter bonum commune : ergo non potest ferri, nisi ab eo qui præest communitati perfectæ, habetque jus illam regendi, refractarios coercendi, transgressores puniendi, etc., per quod iterum lex differt a præcepto, quod a quocumque superiore particulari imponi potest.

Porro, communitas duplex est : *perfecta* et *imperfecta*.

Communitas *perfecta* est ea quæ sibi sufficit ad conciliandam et conservandam pacem ac tranquillitatem publicam, ut Ecclesia, Regnum, Provincia sui juris, etc.

Communitas *imperfecta* est ea quæ sibi non sufficit ad prædictum finem assequendum, ut familia, parochia, etc.

Dicitur 7° *cum intentione obligandi subditos*, id est, per modum præcepti, per quod lex distinguitur a consilio, quod, etsi recta sit morum regula, per se tamen non obligat.

Resolves ; Omnes legis proprietates essentiales contineri in prædicta definitione; verum circa promulgationem controvertitur inter auctores, an, scilicet, sit de essentia legis, cui ut satisfiat, sit

CAPUT II.

AN PROMULGATIO SIT DE ESSENTIA LEGIS.

Nota 1. Promulgatio est *authentica legis notificatio eis facta, a quibus Legislator vult eam impleri*

Nota 2. Quæstionem hic moveri de legibus positivis; lex enim naturalis vel promulgatione non eget, vel per ipsam sui impressionem singulis hominum mentibus per modum habitus factam, satis promulgata esse intelligitur.

Nota 3. Quæstionem non esse de lege *in actu primo*, pro-

ut aptitudinem habet ad obligandum, sed de lege *in actu secundo*, prout reipsa et de facto obligat.

Nota 4. In qualibet scholæ opinione, promulgatio necessaria est ad hoc ut lex obliget; nam legislator non potest, nec vult obligare, nisi post debitam voluntatis suæ manifestationem; sed controversia est de modo quo promulgatio est necessaria ad legem, an per modum partis essentialis, an per modum conditionis sine qua lex non obligaret. His notatis, sit

CONCLUSIO.

Promulgatio est complementum essentiale legis, prout actu et de facto obligantis.

PROB. Voluntas legislatoris non habet completam rationem legis, nisi accedente promulgatione : ergo promulgatio est complementum essentiale legis.

Prob. ant. Tum quia voluntas illa nullam habet efficaciam donec accedat promulgatio; tum quia per promulgationem constituitur formaliter in esse regulæ, cui subditus se conformare debet, juxta illud Div. Augustini: *Leges instituuntur cum promulgantur* [1].

OBJICIES 1. Quod supponit legem jam in suo esse formali constitutam, non est de essentia legis; atqui promulgatio supponit legem jam in suo esse constitutam.

Prob. min. Lex est regula, promulgatio vero est regulæ applicatio; atqui applicatio regulæ non est de essentia regulæ : ergo, etc.

RESP. *Dist. maj.* Promulgatio est applicatio regulæ sumptæ incomplete, *conc. maj.;* sumptæ complete, *nego maj.* Atqui applicatio regulæ non est de essentia regulæ, sumptæ incomplete, *conc. min.;* sumptæ complete, *nego min.* Itaque lex et regula, incomplete sumpta, est voluntas interna legislatoris. Lex vero complete sumpta, est eadem

[1] Apud Gratianum, dist. 4. cap. 3.

voluntas rite significata et applicata per promulgationem, et ideo promulgatio est complementum essentiale legis complete sumptæ.

Inst. Promulgatio est tantum signum legis : ergo non est pars essentialis legis.

Resp. *Dist. ant.* Est signum legis sumptæ incomplete, *conc. ant.* ; sumptæ complete, *nego ant. et conseq.* Responsio patet ex superiori argumento.

Objicies 2. Lex obligat non solum eos quibus jam innotuit, sed et eos quibus est incognita (ut patet in legibus irritantibus contractus, quæ producunt effectum in iis qui nullam legis notitiam habuerunt) : ergo promulgatio non est necessaria ut lex obliget.

Resp. *Nego conseq.* Aliud est enim legis divulgatio, aliud promulgatio, ut notant Salmanticenses [1]. Ad divulgationem enim requiritur ut lex cuilibet subdito in particulari innotescat; ad promulgationem vero satis est, si lex communiter promulgata fuerit, ita ut cuilibet particulari facile innotescere possit. Porro, ad valorem legis non requiritur divulgatio, sed sufficit promulgatio, qua posita, omnes lege constringuntur, sive qui eam norunt, sive qui eam ignorant invincibiliter, licet contra eam agentes non peccent formaliter, propter ignorantiam invincibilem qua supponuntur laborare, et quæ eos excusat a peccato, sed non eos reddit habiles ad actus ad quos per legem sunt inhabiles facti.

Quæres 1. *An lex prioris legis revocatoria debeat promulgari?*

Nota. Lex alia est *favorabilis*, alia *odiosa*.

Lex *favorabilis* est ea quæ est præter jus commune, et nulli affert præjudicium, v. gr. privilegium audiendi Missam tempore interdicto.

Lex *odiosa* est ea quæ juri communi adversatur, aut alteri nocet, tale est privilegium habendi plura Beneficia. Itaque

[1] Cap 1, num. 74.

Resp. Lex revocatoria prioris legis debet promulgari nisi lex prior fuerit odiosa. Ratio est, quia lex revocatoria est vera lex habens vim regulandi et obligandi subditos; atqui vera lex debet promulgari : ergo, etc.

Dixi *nisi lex prior fuerit odiosa*, quia lex revocatoria legis odiosæ, est favorabilis; atqui, ex juris axiomate : *In favorabilibus necessaria non est promulgatio* : ergo, etc.

Resolves 1. Promulgationem non requiri in privilegii odiosi revocatione, cum talis revocatio sit favorabilis; bene vero in revocatione privilegii favorabilis, cum talis revocatio sit odiosa; odiosum enim videtur alicui subtrahere beneficium quod nulli nocet.

Resolves 2. Plurimas facultates quæ in Concilio Tridentino Episcopis largiuntur, esse ubique terrarum validas, licet in singulis provinciis Concilium non sit promulgatum; quia subtractio harum facultatum quæ jure communi Episcopis competunt, ipsis erat oneri.

Quæres 2. *Quomodo leges promulgentur ?*

Resp. Leges diversimode promulgantur juxta ipsarum diversitatem; namque

1° Lex divina promulgatur totidem modis, quot Deus voluntatem suam nobis potest manifestare, quod fit tripliciter ; 1° *per internam revelationem ;* sic Spiritus Jesu segregari jussit Saulum et Barnabam ad opus, ad quod assumpserat eos ; 2° *per externam locutionem absque solemnitate ;* sic Christus mandata sua tradidit Apostolis ; 3° *per externam locutionem cum solemnitate ;* sic lex Mosaica in monte Sinai [1], et lex Evangelica in die Pentecostes [2], nobis promulgata est.

2° Lex humana debet solemniter promulgari, ut vim obligandi obtineat. Unde, licet omnes subditi certo scirent legem e se conditam, imo et sigillo publico munitam, ad eam tamen non tenerentur, donec ritu solemni, juxta morem patriæ, promulgaretur.

[1] Exod. xviii 20. — [2] Act. ii, 2 et 3.

QUÆRES 3. *Cur lex humana solemnitatem promulgationis requirat, non vero divina ?*

RESP. Ratio est, quia legislator humanus duplicem sustinet personam : unam privatam, qua par est aliis hominibus; aliam publicam, qua superior est aliis, et secundum quam solam leges condendi auctoritate pollet; ut ergo constet certo quod ex publica potestate velit obligare subditos, debet id per aliquam cæremoniam testari : e contra, Deus cum summam atque independentem in nos potestatem habeat, sufficit quod de ejus voluntate constet, ut ad eam implendam districte adstringamur.

CAPUT III.

AN LEX, PROUT IN LEGISLATORE SPECTATUR, IN ACTU INTELLECTUS VEL VOLUNTATIS FORMALITER CONSISTAT.

Nota. In superiore legem ferente duo sunt actus :

Primus est *actus intellectus*, seu judicium dictans legislatori conducere ad bonum commune, ut hoc vel illud præcipiat, aut vetet subditis. *Secundus* est *actus voluntatis* quo legislator, pro jure suo, vult, statuit ac præcipit aliquid fieri vel omitti a subditis. Circa quod quæritur in quo actu proprie sita sit legis essentia. Unde

CONCLUSIO.

Lex præsuppositive consistit in actu intellectus, et formaliter in actu voluntatis.

PROB. PRIMA PARS. In illo actu lex præsuppositive consistit, qui prævie requiritur ex parte legislatoris; atqui actus intellectus prævie requiritur ex parte legislatoris; debet enim legislator varia media et eorum cum fine proportionem cognoscere : ergo in actu intellectus lex præsuppositive consistit.

PROB SECUNDA PARS. 1. Ex scriptura, ubi lex divina sæpe dicitur voluntas Dei : sic Psalm. XXXIX : *In capite libri scriptum est, ut facerem voluntatem tuam,* id est, legem, ut ex his verbis immediate sequentibus manifestum est : *Deus meus volui, et legem tuam in medio cordis mei ;* et Psalm. CII : *Notas fecit vias suas Moysi, et filiis Israël voluntates suas*, id est, leges et præcepta.

PROB. 2. Lex consistit essentialiter in eo actu, per quem legislator subditos ad agendum vel omittendum aliquid obligat; atqui per solum actum voluntatis obligat subditos : ergo, etc. *Prob. min* Eatenus legislator subditos obligat, quatenus imperat, præcipit et vult aliquid fieri vel vitari, non quatenus judicat melius esse ad commune bonum ut hoc fiat, quam istud, alias lex non differret a consilio; atqui imperium, præceptum, volitio, actus voluntatis evidenter arguunt : ergo legislator per solum actum voluntatis obligat subditos; unde Princeps, dum leges fert, his utitur verbis : *sic volo, sic jubeo*, etc.

OBJICIES 1. Lex in Scriptura sæpe vocatur *lumen*, *lux, lucerna illuminans oculos ;* atqui hæc soli intellectui conveniunt : ergo, etc.

RESP. *Dist. maj.* Lex est *lux*, *lucerna*, etc., si consideretur relative ad hominem cui imponitur, *conc. maj.;* per legem enim quisque intelligit quid faciendum sit, aut omittendum : si consideretur prout est actus legislatoris eam sancientis, *subdist :* est lumen præsuppositive, *conc. maj.;* est lumen formaliter, *nego maj.*, et sic distincto consequente, *nego consequentiam.*

INST. 1. Atqui lex, prout est actus legislatoris, est actus intellectus formaliter : ergo, etc.

Prob. subsumpt. Lex definitur : *ordinatio rationis ;* atqui ordinatio rationis est actus intellectus, non voluntatis : ergo lex est formaliter actus intellectus.

RESP. *Nego min.* Nam illa definitionis particula, *ordinatio rationis*, importat actum voluntatis formaliter, et actum

intellectus præsuppositive, ita ut τὸ *ordinatio* significet formaliter actum voluntatis statuentis et imperantis, et ideo ponitur *in recto;* et τὸ *rationis* significet actum intellectus prærequisitum ad hoc ut voluntas recte ordinet et imperet, et ideo ponitur *in obliquo,* habetque rationem connotati. Unde apparet legem ne partialiter quidem consistere in actu intellectus.

Inst. 2. Lex est essentialiter regula agendorum et vitandorum; sed regula est actus solius intellectus : ergo.

Resp. *Nego min.* Regula enim non minus est actus voluntatis quam intellectus ; nam subditus in tantum regulatur et dirigitur, in quantum vult et facit quod superior vult fieri; sicut ergo voluntas divina est regula voluntatis creaturarum, ut docet Div. Thom.[1] dicens : *Ad hoc quod voluntas hominis sit bona, requiritur quod conformetur voluntati divinæ;* ita voluntas recta aliorum legislatorum est regula secunda participata a prima, cui proinde subditi tenentur se conformare.

Inst. 3. Lex est idea, cui actus nostri conformes esse debent; sed idea est actus intellectus, non voluntatis: ergo, etc.

Resp. *Dist. maj.* Lex in mente subditorum est idea, *conc. maj ;* lex ex parte legislatoris, *subdist.:* est idea *præsuppositive,* quatenus in legislatore præsupponitur mentis actus quo concipit aliquid bono communitatis congruere, *conc.; formaliter,* quatenus id quod conveniens esse concepit, observari mandat, *nego maj.* Sic enim est imperium, sed voluntatis est imperare : ergo, etc.

Objicies 2. Lex naturalis non est actus voluntatis; ergo.

Resp. 1. *Transeat ant., nego conseq.* Neque enim hic agimus de regulis internis actuum humanorum, prout est lex naturalis ; sed de externis, lege scilicet positiva divina et humana.

Resp. 2. *Dist. ant.* Lex naturalis non est actus voluntа-

[1] 1 2, quæst. 19, art. 9 *in fine corp.*

dis prout est in homine, *conc. ant.*; sic enim potius est natura ipsa rationalis, quam actus voluntatis aut intellectus. Lex naturalis prout est in Deo legislatore, qui mandat ut huic legi menti nostræ inditæ nos conformemus, *nego ant.* Unde dixi *transeat.*

DISSERTATIO II.

De legibus in particulari.

Nota. Cum lex communiter dividatur in legem *æternam, naturalem, positivam divinam* et *positivam humanam*, hanc dissertationem in totidem capita distribuemus.

CAPUT I.

DE LEGE ÆTERNA.

Nota. De lege æterna multa hic congerunt Theologi non minus obscura, quam ad praxim inutilia; unde pauca de ipsa variis quæstiunculis elucidabimus. Itaque

QUÆRES I. *Quid sit lex æterna?*

RESP. Recte definitur a Div. Augustino[1]: *Ratio divina, vel voluntas ordinem naturalem servari jubens, et perturbari vetans.*

Dicitur 1° *ratio divina*, id est, in mente divina existens: per quod differt a lege naturali quæ menti humanæ est insita, quæ consequenter legi æternæ superaddit promulgationem per lumen naturale factam.

Dicitur 2° *vel voluntas*; per quod differt ab ideis divinis, quæ ad intellectum pertinent: lex æterna vero pertinet formaliter ad voluntatem. Ratio diversitatis est, quod ideæ versantur circa res ut repræsentandas; lex vero æterna circa easdem ut gubernandas.

Dicitur 3° *ordinem naturalem jubens*, etc., id est, ordinem generalem ad quem res sunt institutæ, v. gr. quod ignis

[1] Lib. XXII *contra Faust.*, cap. 37.

sursum, lapis deorsum inclinetur; unde versatur circa bonum universi, per quod differt a providentia quæ versatur circa bonum singulare uniuscujusque creaturæ, quam ad finem sibi proprium ordinat, juxta dictamen legis æternæ, proindeque lex æterna est veluti regula providentiæ.

Quæres 2. *An omnia subjiciantur legi æternæ?*

Resp. Omnes motus et operationes creaturarum, sive rationalium, sive irrationalium, subjiciuntur legi æternæ, sed diverso modo.

Prob. *quoad actus et motus irrationalium.* Illa legi æternæ subjiciuntur, quæ fiunt ex instinctu et naturali inclinatione a Deo creaturis irrationalibus impresso, per quem in fines sibi convenientes feruntur; atqui taliter fiunt actus et motiones creaturarum irrationalium : ergo, etc. Unde Psalm. cxlviii : *Ignis grando, nix, glacies, spiritus procellarum quæ faciunt verbum ejus,* id est, voluntatem.

Prob. *quoad actiones creaturarum rationalium.* Actiones rationalium vel sunt bonæ vel malæ : si sint bonæ, fiunt ex Dei directione et motu; si sint malæ, ab æterna lege prohibentur; permittuntur tamen, ut in pœnis quibus postea puniendæ sunt, justum Dei judicium elucescat, ait Div. August.[1] : ergo subjiciuntur legi æternæ.

Dixi 1° *creaturarum,* quia nec natura, nec voluntas divina legi æternæ subjiciuntur, sed inter eas et legem æternam est perfecta identitas; nihil autem sibi ipsi potest subjici : ergo, etc.

Dixi 2° *licet diverso modo*, quia creaturæ rationales subjiciuntur legi æternæ ut præcipienti et obliganti; irrationales vero illi subjiciuntur tantum ut ordinanti et moventi illas ad fines suos, non vero ut præcipienti, quia non sunt capaces præcepti et obedientiæ : ex quo constat legem æternam non habere rationem legis proprie dictæ respectu creaturarum irrationalium. Sed

[1] Lib. III. *Confess.*, cap. 2.

QUÆRES 3. *An lex æterna sit lex proprie dicta respectu creaturarum rationalium?*

RESP. Etiam respectu earum non fuit lex proprie et complete, donec transiit in legem naturalem; ratio est, quia ipsi decrat promulgatio, quem ostendimus esse complementum essentiale legis.

QUÆRES 4. *An omnes leges a lege æterna deriventur?*

RESP. *affirm. et prob.* ex Prov. VIII, ubi de lege æterna dicitur: *Per me Reges regnant*, id est, accipiunt potestatem leges condendi; *et legum conditores justa decernunt*, id est, in tantum justa præcipiunt, in quantum legi meæ sese conformant.

Ratio est, quia in omnibus moventibus ordinatis, virtus secundi moventis derivatur a primo; atqui lex æterna est ratio gubernationis in supremo gubernante: ergo necesse est quod omnes rationes gubernationis quæ sunt in inferioribus gubernantibus, a lege æterna deriventur.

QUÆRES 5. *Quomodo leges ab æterna deriventur?*

RESP. Derivantur diversimode; nam lex divina ab æterna immediate profluit: lex naturalis, mediante lumine rationis; lex humana vero, mediante potestate Principibus communicata vel ab ipso Deo immediate, vel mediante Reipublicæ consensu.

DICES 1. Lex æterna non est causa exemplaris aliarum legum: ergo aliæ leges non derivantur ab illa.

Prob. ant. Legislatores inferiores non possunt legem æternam intueri: ergo, etc.

RESP. *Nego ant.* Nam intuentur legem æternam in lumine naturali; Deus enim impressit hominum mentibus non obscura legis æternæ vestigia; sic, per lumen naturale, cognoscimus legem æternam statuentem v.gr. *Deum esse colendum, nemini faciendam esse injuriam.*

DICES 2. Lex humana non derivatur a lege æterna: ergo non omnis lex derivatur ab æterna.

Prob. ant. Si lex humana derivaretur ab æterna, obli-

garet jure divino; atqui falsum consequens : ergo et antecedens.

Resp. *Nego sequel. maj.* Eæ enim solum leges jure divino obligant, quas Deus per se et immediate tulit; eæ vero quas homines per potestatem a Deo acceptam ferunt, obligant solum jure humano, licet *mediate* obligent ex parte Dei, propter potestatem ab ipso legislatoribus inferioribus traditam.

Inst. Leges humanæ sunt mutabiles : ergo non derivantur a lege immutabili.

Resp. *Nego conseq.* Imo lex æterna præcipit ut leges humanæ sint mutabiles pro variis temporum, locorum et personarum circumstantiis.

Nota. Ex Div. August. [1], nomine legis æternæ intelligi veritatem incommutabilem; quare hæc vox, *æterna*, non tam durationem legis, quam ejus necessitatem et immobilitatem ex usu significat : et ideo, quamvis divinæ voluntatis decretum, in quo lex divina positiva consistit, extiterit ab æterno, non propterea lex illa dicitur *æterna*.

CAPUT II.

DE LEGE NATURALI.

De hac lege quærimus : 1° an sit et quid sit; 2° quodnam sit ejus objectum; 3° an possit pati mutationem; 4° an possit admittere dispensationem, quadruplici articulo.

ARTICULUS I.

AN ET QUID SIT LEX NATURALIS.

Quæres 1. *An detur aliqua lex naturalis?*

Resp. *affirm.* et Prob. 1. *Ex Apost.* dicente [2] : *Gentes quæ legem*, (scriptam scilicet Mosaicam, aut Evangeli-

[1] *De vera relig.*, cap. 13. — [2] Rom. II.

cam), *non habent, naturaliter ea quæ legis sunt,* (id est, ea quæ lex scripta præscribit) *faciunt.*

PROB. 2 *Ratione.* Lex, cum sit regula et mensura, ut dictum est supra.., dupliciter potest esse in aliquo : uno modo sicut in regulante, et alio modo, sicut in regulato et mensurato; quia in quantum aliquid regulatur et mensuratur, in quantum participat de regula et mensura : unde cum omnia quæ divinæ providentiæ subduntur, a lege æterna regulentur et mensurentur, manifestum est quod omnia participant aliqualiter legem æternam, in quantum, scilicet, ex impressione ejus, habent inclinationem in proprios actus et fines. Atqui, inter cætera, rationalis creatura excellentiori quodam modo divinæ providentiæ subjacet, in quantum et ipsa fit providentiæ particeps, sibi ipsi et aliis providens : ergo in ea est specialis participatio rationis seu legis æternæ, per quam habet inclinationem ad debitum actum et finem. Talis autem participatio legis æternæ, in creatura rationali dicitur lex naturalis. Ita S. Thom. [1]

Confirmatur ab intimo cujusque sensu et testimonio. Sicut enim natura est in omnibus hominibus eadem, ita nemo est qui in se non experiatur hanc naturæ legem, præsertim quoad universalia illius prænuntiata, ut est illud : *Bonum est faciendum, malum est vitandum; quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris,* et juxta sententiam Christi [2] : *Omnia quæcumq e vultis ut f.ciant vobis homines, et vos facite illis.* Item : *Deus est colendus ; parentes sunt honorandi,* et alia id genus.

Dari ergo legem naturalem nemini non notum est. quid sit autem, non ita patet. Unde

QUÆRES 2. *Quid sit lex naturalis ?*

RESP. Plures sunt sententiæ.

1° Quidam ponunt esse ipsam naturam rationalem secundum se, prout ipsi, ratione suæ essentiæ, aliqui actus

[1] 1 2. quæst. 91, art. 2. — [2] Matth. VII.

conveniunt vel disconveniunt. Verum natura rationalis est id cui lex imponitur, lex autem distinguitur ab eo cui datur: ergo, etc.

2° Quidam volunt esse habitum. Sed habitus est id quo agitur, lex autem id quod agitur; porro aliud est id per quod quis agit, et aliud id quod quis agit. Ergo, stricte loquendo, lex naturalis non est habitus; improprie tamen nominari potest habitus, quatenus ejus præcepta, seu dictamina, sunt quandoque in intellectu non in actu, sed solum potentia et habitu primorum principiorum legis, qui est synderesis.

3° Quidam existimant legem naturalem nihil aliud esse quam lumen naturale, ut impressum et participatum a ratione seu lege æterna, quod nobiscum innascitur, reperiturque formaliter in pueris et amentibus. Verum sat difficulter intelligitur quid sit lumen quod non lucet nec percipitur, lumen impressum quod non videtur, ut in pueris et amentibus. Itaque

4° Aliis verius videtur legem naturalem esse *quamdam intimationem legis æternæ creaturæ rationali, et lumen ostensivum boni, principio intellectivo affulgens.*

Prob. 1° Ex refutatione aliarum sententiarum ut supra; 2° quia, ex S. Thoma, anima humana est quasi *tabula rasa* in qua nihil scriptum est : ergo lex æterna non est scripta in ea; 3° quia lex naturalis, ut dictum est supra [1] cum S. Ligorio, proprie et stricte loquendo, non promulgatur nec inseritur animæ cum Deus animam creat, sed inseritur potentia, capacitas, sive habilitas ad legem percipiendam et cognoscendam, cum homo ad usum rationis pervenerit.

Prob. 2. Quamvis anima secundum suam essentiam sit actus, ut dicit Angelicus [2], eo quod sit principium intellectivum, non est tamen actus ordinatus ad ulteriorem

[1] Tract. *de Conscientia.* — [2] 2 Part., quæst. 77, art. 1.

actum; sed quod sit in potentia adhuc ad alium actum, hoc non competit ei secundum suam essentiam, sed secundum suam potentiam. Unde sic: si lex naturalis inseritur animæ cum animam Deus creat, inseritur in potentia vel ut habitus, vel ut actus; atqui non inseritur ut habitus, propter rationem superius datam in expositione secundæ sententiæ; neque inseritur in potentia ut actus; nihil enim est in potentia secundum actum, in quantum est actus, ut ibidem dicit Angelicus: ergo lex naturalis non inseritur animæ cum Deus animam creat, sed inseritur tantum potentia capacitas, seu habilitas legem percipiendi. Ergo lex naturalis nihil aliud est quam intimatio legis æternæ facta creaturæ rationali, seu principio intellectivo.

Dices 1. Lex naturalis differt a lege æterna; atqui si lex naturalis nihil aliud est quam legis æternæ intimatio, seu manifestatio, ab illa non differt: ergo, etc.

Resp. *Dist. ant.* Lex naturalis differt a lege æterna ratione legis, *nego.*; ratione subjecti, et ut participans a participato, *conc.* Etenim lex naturalis est lex æterna, non ut est in legislatore regulante, sed ut est in subjecto regulato; non minus ac scientia aliqua quæ est in magistro docente et in discipulo audiente. Vel sicut radius solis fulgentis et radius ejusdem in oculo videntis; ad hoc autem non est necesse ut sit quid homini intrinsecum aut innatum, sed sufficit quod lex æterna manifestetur animæ intellectivæ, cum homo factus est capax ut lex inseratur animæ, sicut lumen recipitur oculo corporeo, et percipitur ab illo.

Dices 2. S. August.[1] dicit: *Lex tua Domine in cordibus hominum scripta est;* et[2]: *Quis legem naturalem in cordibus hominum scripsit, nisi Deus?* Ergo lex naturalis est nobis innata.

Resp. *Nego conseq.* Etenim lex naturalis dicitur a Deo scripta in cordibus nostris, quia rationali creaturæ ab auc-

[1] Lib. II *Confess.*, cap. 4. — [2] Lib. II *De serm. Dom. in monte.*

tore naturæ manifestatur et imprimitur, cum ipsa rationalis creatura capax est rationis, per quod lex naturalis differt a legibus positivis quæ in libris inscribuntur, et quarum nullum vestigium in cordibus nostris reperitur. Porro, ex eo quod in cordibus scripta dicatur, non sequitur illam esse homini innatam; nam legitur in Proverbiis [1]: *Custodi sermones meos... serva legem meam, quasi pupillam oculi tui..., scribe illam in tabulis cordis tui;* et apud Jeremiam [2]: *Dabo legem meam in visceribus eorum; et in corde eorum scribam eam.* Hic agitur de alia lege quam naturali, et tamen inscribitur in cordibus hominum: aut si agitur de lege naturæ, peto quomodo iterum scribatur in corde quod nobis est innatum?

Dices 3. Propheta regius interrogantibus [3]: *Quis ostendet nobis bona?* respondet: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Quibus verbis indicavit dictamen a naturali rationis lumine profectum, eatenus nobis esse normam rectarum actionum, quatenus est nobis divinitus inditum: ergo lex naturalis est nobis innata.

Resp. *Nego conseq.* Nam ex illa luce æterna quæ est in mente divina, qua omnia in suos fines dirigit, derivatur ad nos quoddam lumen, seu fulgor et radius, quod ita passive per potentiam animæ intellectivæ recipitur, ut simul active dirigat nos, et ostendat quodnam bonum faciendum sit, et quodnam malum fugiendum. Unde Propheta non dicit signatum est *in nobis*, sed *super nos*, quasi ab hac luce cœlesti derivatur in nos quoddam lumen, cujus splendore illustratur intellectus humanus. Ergo ex illo textu concludi non potest legem naturalem esse lumen innatum, seu ingenitum.

Dices 4. Ergo homo nascitur liber et independens.

Resp. *negat.* Nascitur, inquit S. Ligor. [4], potestati divinæ subjectus, et consequenter obligatus omnibus pa-

[1] Cap. VII. — [2] Cap. XXXII. 33. — [3] Psalm. IV. — [4] Lib. I, num. 77.

rendi præceptis, quæ Deus illi imposuerit. Igitur cum homo, sicut omnia, providentiæ divinæ subjiciatur, aliqualiter participat legem divinam, in quantum, scilicet, ex impressione ejus, habet inclinationem in proprios actus et fines, et sic lex naturalis est in pueris et in amentibus. At præceptis divinis formaliter obligari non potest, nisi cum illi notificata fuerint; notificantur autem cum homo pervenit ad usum rationis. Interdum anima intellectiva est ut *tabula rasa* in qua nihil scriptum est, at mirabili potentia, habilitate, seu capacitate donata, ad percipiendum naturaliter legem divinam sibi intimandam. Porro, tunc solummodo intelligi potest quomodo lex divina, seu lumen vultus Dei, inseratur animæ, et lex naturalis sit lex æterna, non ut est in legislatore regulante, sed ut participata in subjecto regulato.

Quidquid sit hac de gravi quæstione quam hic enucleare non intendimus, ad eumdem scopum omnes pervenire contendere debent. Unde in decursu quæstionis, ne systematum remoremur difficultatibus, de lege naturali dicemus quasi nobis sit innata.

Quæres 3. *Utrum sit aliquod discrimen inter legem naturalem, synderesim, et conscientiam?*

Resp. *affirm.* Nam *lex naturalis* est ipsa ordinatio et intimatio divinæ voluntatis nobis impressa: *synderesis* vero est habitualis cognitio, et conservatio illius ordinis: et *conscientia* ejusdem ordinationis applicatio actualis alicui particulari hic et nunc agibili. Porro, cum hæc discrimina sint satis metaphysica, non impediunt quominus lex naturæ, synderesis et conscientia sæpe confundantur a Theologis.

Quæres 4. *Utrum lex naturalis contineat plura præcepta, vel unum tantum?*

Resp. Lex naturalis continet plura præcepta, ut dicemus in quæstione sequenti, quæ tamen præcepta fundantur in uno.

Prob. ultima pars. Præcepta legis naturæ eo modo se habent ad operabilia, sicut prima principia in demonstrativis; atqui in demonstrativis, seu speculativis, sur plurima principia demonstrationum, quæ tamen omn' fundantur in uno, scilicet: *impossibile est idem esse et no esse*, vel *de eodem non est affirmare et negare*, ex eo quoc. istud fundetur super rationem entis et non entis : ergo similiter omnia principia legis naturæ fundantur in eo quod *bonum est faciendum et prosequendum, et malum fugiendum;* sicut enim, inquit Angelicus [1], ens est primum quod cadit in apprehensione simpliciter, ita bonum est primum quod cadit in apprehensione practicæ rationis, quæ ordinatur ad opus. Ergo omnia præcepta legis naturæ fundantur in uno.

Quæres 5. *Quomodo et quosnam obliget lex naturalis?*

Resp. 1. Nullum dubium esse potest quin lex naturalis obliget; dicit enim Apostolus [2]: *Gentes quæ legem* (scriptam) *non habent, naturaliter quæ legis sunt, faciunt; ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex;* et: *Quicumque enim sine lege* (scripta) *peccaverunt, sine lege peribunt;* nemo autem peccare aut perire potest, nisi contra legem agendo : ergo.

Resp 2. Lex naturalis non dicit illud imperium practice practicum, ita ut infallibiter sequatur operis executio, sed quoddam imperium politicum, seu præceptum, quod licet moveat et inclinet ad id quod jubet, potest tamen creatura contra illud, vel præter illud operari. Unde dicitur lumen ostensivum, simul et præceptivum boni, seu dictamen intellectus practici, seu synderesis, seu conscientia.

Resp 3. Obligat autem lex naturalis omnes homines ratione utentes, quacumque ætate sint, ubicumque agant. Ratio, quia tunc lex illa hominibus promulgatur cum incipiunt ratione uti, discernentes, ope hujus luminis, inter bonum et malum, ita ut peccent, si contra illam agant.

[1] 1 2, quæst. 94, art. 2. — [2] Rom. II.

Pueri autem et amentes non obligantur lege naturali, ita ut si eam transgrediantur, peccent et incurrant reatum pœnæ; sed a peccato et pœna excusantur, quatenus ista lex non est ipsis promulgata. Est tamen in iis potentialiter, quatenus sunt creaturæ rationales, excellentiorique quodam modo divinæ providentiæ subjacent, et ad fines suos per eam dirigantur, ut supra dictum est. Hinc, illud quod pueri et amentes agunt contra naturalem legem, est turpe et indecens, nec cuiquam licet eos ad hæc inducere.

Quæres 6. *In quo lex naturalis differat a jure gentium?*

Resp. In hoc differt, quod lex naturalis sit quid inditum sive secundum se, sive supposita societate et communicatione politica cum aliis hominibus; *jus vero gentium sit communi gentium consensu et usu introductum.*

Ex quo apparet jus gentium ad jus positivum esse reducendum, non vero ad jus naturale; licet enim ad illud natura vehementer inclinet, est tamen præter jus naturale; v. gr. secundum jus naturale possunt dividi agri quos natura exposuit in communi; e contra, jus gentium statuit, ut de facto dividantur ad vitandam negligentiam in colendis agris, ac Reipublicæ perturbationem. Item jus naturale permittit, ut inter homines sint libera commercia; jus gentium vero id statuit, ita ut illorum impeditio sit violatio juris gentium, et signum inimicitiæ.

ARTICULUS II.

QUODNAM SIT OBJECTUM JURIS NATURALIS.

Quæres 1. *Quænam pertineant ad legem naturæ?*

Resp. Ad legem naturæ pertinent omnia præcepta ad quæ ex natura rei obligamur, et independenter a quacumque lege positiva. Talia sunt:

1° Universalissima principia practica cuilibet natura-

liter nota, qualia sunt ista: *Bonum est faciendum, malum est fugiendum; Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris.* Quæ non tam dicenda sunt præcepta, quam præceptorum omnium principia.

2° Ea præcepta quæ ex primis principiis, per facilem et evidentem discursum, deducuntur: sic, ex hoc principio: *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris*, ista concluduntur: *ergo non est occidendum, non est furandum,* et cætera præcepta Decalogi, excepto tertio de Sabbati sanctificatione, quod, licet sit legis naturalis, quatenus cultum Dei præcipit, est tamen legis divinæ positivæ, quatenus ad talem cultum determinat certum diem potius quam alterum. Porro, Decalogus duabus constat tabulis. *Prima* continet ea præcepta quæ relationem dicunt *de homine ad Deum; secunda* vero ea præcepta quæ relationem dicunt *de homine ad hominem*, si excipias octavum quod etiam ad Deum refertur, quem in testem adducit veritatis.

3° Ea præcepta quæ ex primis principiis nonnisi difficili, nec statim obvio discursu deducuntur, quomodo ex hoc principio: *Quod tibi fieri non vis*, etc., concluditur: *ergo ne divitibus quidem danda est pecunia ad usuram.*

Dices: Conclusiones remotæ a primis principiis non pertinent ad legem naturæ: ergo, etc.

Prob. ant. Quod non est omnibus notum, non pertinet ad legem naturæ; atqui conclusiones a primis principiis remotæ non sunt omnibus notæ: ergo, etc.

Resp. *Nego maj.* Neque enim necesse est præcepta legis naturæ esse omnibus nota, sed sufficit ut tam necessariam habeant cum primis principiis connexionem, ut independenter ab omni lege positiva, et ex natura rei vera sint, sive interim eorum veritas facile aut difficile cognoscatur.

Prob. maj. Quod non est inditum, non pertinet ad legem naturæ; sed quod non est omnibus notum, non est

inditum: ergo quod non est omnibus notum, non pertinet ad legem naturæ.

Resp. *Dist. maj.* Quod nullo modo est inditum, *conc. maj.;* quod non est inditum formaliter et in se, sed est inditum radicaliter, *nego maj.* Atqui quod non est omnibus notum, non est inditum formaliter et in se, *conc. min.;* radicaliter, *nego min.* Porro, cognitio præceptorum naturalium est indita in primis principiis, quatenus per vim quamdam nobis a natura inditam, a primorum principiorum cognitione, ad conclusionum ex iis dimanantium notitiam assurgimus. Ex qua responsione

Colliges : Legem naturalem esse in se simpliciter unam; quia, licet præcepta legis naturæ sint plura, omnia tamen radicaliter continentur in primo illo et universalissimo principio : *Bonum est faciendum, et malum fugiendum,* quod est unum ; unde ab unitate radicis ac primi principii, lex ipsa naturalis simpliciter dicitur una.

Quæres 2. *An actus virtutum moralium pertineant ad legem naturæ?*

Resp. *affirm.* Si spectentur secundum rationem genericam qua sunt virtuosi ; *negative* vero, si spectentur secundum proprias suas species. Ita Div. Thomas [1].

Prob. *et declaratur* responsio hoc exemplo. Actus temperantiæ, v. gr. secundum suam rationem genericam, talis est, ut ad eum natura inclinet, sicque ad legem naturæ dicitur pertinere; quod autem per abstinentiam a carnibus, et per jejunium quadragesimale debeat exerceri, hoc non est a lege naturali, sed positiva, pendet enim ex voluntate et præcepto Ecclesiæ : ergo, etc.

Dices : Omnia peccata non sunt contra naturam : ergo nec omnes actus virtutum moralium ad legem naturæ pertinent.

Resp. *Dist. ant.* Non sunt contra naturam animalem, seu omnibus animalibus communem, *conc.;* contra naturam

[1] 2 2, quæst. 94, art. 3.

rationalem, seu contra rationem quæ est natura hominis, *nego ant.* Porro, licet nefanda carnis peccata, ut sodomia, bestialitas, mollities, dicantur per antonomasiam, peccata contra naturam, quia contra inclinationem naturalem omnibus animalibus insitam, pugnant; tamen omnia peccata sunt contra naturam hominis, quia omnia contrariantur rationi, quæ est natura hominis.

Quæres 3. *An pertineat ad legem naturalem ut actus virtutis fiat ex motivo honesto et virtuoso?*

Resp. *affirm.* Cum Div. Thoma [1]. Ratio est, quia lex naturalis præcipit ut hominis actus sint semper rectæ rationi consentanei; atqui actus virtutum facti ex motivo pravo, non sunt rectæ rationi consentanei, cum recta ratio dictet eum solum actum esse bonum et laudabilem, qui habet objectum legitimum, finem honestum et circumstantias objecto debitas : ergo pertinet ad legem naturæ, ut actus virtutum fiant ex fine honesto.

Dices : Potest quis restituere debitum ex malo fine, facere eleemosynam ob vanam gloriam, etc., et tamen servavit reipsa præceptum restitutionis et eleemosynæ : ergo lex naturalis non obligat ut restitutio et eleemosyna fiant ex motivo honesto.

Resp. *Dist. conseq.* Lex naturalis particularis de restitutione et eleemosyna, non obligat, etc., *conc.;* intendit enim duntaxat honestatem propriam sui motivi formalis : sic præceptum de eleemosyna intendit sublevationem pauperis; lex naturalis generalis non obligat ad semper agendum conformiter rectæ rationi, id est, ad facienda bona bene, *nego conseq.*

[1] 1 2, quæst. 94, art. 3.

ARTICULUS III.

AN LEX NATURALIS POSSIT PATI MUTATIONEM AUT INTERPRETATIONEM.

CONCLUSIO I.

Lex naturalis non potest mutari proprie, sed solum improprie.

PROB. PRIMA PARS. Legem mutari proprie, est legem desinere vel *per se ipsam,* vel per *abrogationem, derogationem* et *irritationem;* atqui lex naturalis neutro modo potest desinere: ergo, etc. Nam

1° Non potest desinere *per seipsam.* Lex enim desinit per se ipsam: 1° cum lata est pro certo tantum tempore; 2° cum de justa fit injusta; atqui lex naturalis nec est lata pro certo tantum tempore, sed in perpetuum; nec potest de justa fieri injusta, cum nihil præcipiat quod non sit intrinsece et ex natura rei bonum, nihilque prohibeat quod non sit intrinsece malum: ergo non potest desinere per se ipsam.

2° Non potest desinere *per abrogationem,* etc. Nam Deus legem naturæ voluit sancitam et constitutam hominibus, quatenus illis naturam rationis participem indidit, et voluit ipsos parere dictamini naturali rationis, quando et quomodo oportet: ergo fieri non potest, ut per se abrogetur sic ut nullos obliget, quod esset proprie mutari.

PROB. SECUNDA PARS. Mutatio improprie dicta fit: 1° *per additionem,* cum nempe legi nova lex superadditur; 2° *per subtractionem materiæ,* cum nempe id quod erat materia legis naturæ, desinit esse ejusdem legis materia, ob quamdam circumstantiam advenientem. Atqui lex naturalis potest mutari: 1° *per additionem,* quia de facto multa præcepta illi addita sunt per leges positivas divinam et

humanam; 2° *per materiæ subtractionem*, quia materia legis naturalis interdum mutari potest, maxime in iis quæ pendent a supremo Dei dominio et a libera hominum voluntate: sic v. gr. alienum retinere invito domino, es materia legis naturalis prohibentis; at per legitimam præscriptionem desinit esse materia illius legis, quia desinit esse alienum, proindeque potest invito domino retineri.

DICES CONTRA PRIMAM PARTEM: Lex naturalis in multis fuit mutata: ergo, etc. RESP. *Nego ant.*

Prob. ant. Jure naturali homo erat liber, omnia erant communia, et tamen jure gentium est producta bonorum divisio, et servitus; item jure naturæ valebat matrimonium solo consensu contrahentium, ac testamentum sola donatione testatoris sine solemnitatibus, et tamen lex humana ista irritat: ergo lex naturalis in multis fuit mutata.

RESP. *Dist. ant.* Prædicta sunt de jure naturali permissivo, *conc. ant.*, præceptivo, *nego ant.*; id est, jus naturale permittit quidem ut homo sit liber, ut bona sint communia, ut matrimonium clandestinum et testamentum sine solemnitatibus valeant; non tamen præcipit ut hæc ita se habeant, ideoque non prohibet quin oppositum possit statui, ubi exigit bonum commune, cumque statuitur, lex naturalis non mutatur proprie, sed tantum *per additionem*

CONCLUSIO II.

Simplex interpretatio locum habet in lege naturali, non vero epikeia; idem dic de lege divina positiva.

PROB. PRIMA PARS. Interpretatio simplex, est simplex legis terminorum expositio; atqui legis naturalis termini quandoque exponi debent: sic hoc præceptum: *non occides*, exponi debet de occisione facta *auctoritate privata*,

vel *extra casum justæ defensionis*, cum hi casus in universalitate legis naturalis non comprehendantur: ergo, etc.

PROB. SECUNDA PARS. Epikeia est benigna et rationabilis declaratio qua decernitur casum aliquem particularem, ob suas circumstantias, non comprehendi lege, quamvis per verba generalia lata; sed epikeia locum non habet in lege, quæ non fertur per verba generalia, sed excipit omnes casus excipiendos; atqui lex naturalis non est lata per verba generalia, et excipit omnes casus excipiendos; est enim ordinatio divina quæ præcipit omnia et singula quæ sunt rectæ rationi consentanea, et prohibet quæ ipsi sunt dissentanea: ergo epikeia locum non habet in lege naturali.

Ut autem intelligatur quomodo jus naturale sit immutabile, notandum est duplicis generis distingui principia juris naturæ. Alia sunt *principia primaria*, alia *secundaria*.

Principia primaria sunt ea quæ ordinem dicunt ad Deum, v. gr. Deus est colendus, amandus; non est mentiendum; malum fugiendum est, bonum prosequendum; hæc sunt immutabilia, etiam respectu ad Deum, quia nihil aliud sunt quam ipsa ratio divina et æterna. *Principia secundaria* sunt ea quæ ordinem dicunt de homine ad hominem, quatenus Deus, ut auctor naturæ, ea indidit naturæ humanæ, tum ut jura sua a Deo condita, illæsa cuique serventur; tum ut individuus aliis individuis, seu societati, vinculis devinciatur; qualia sunt: *Parentes sunt honorandi, alteri ne feceris quod tibi fieri non vis; unitas et indissolubilitas matrimonii est servanda; non furtum facies; non mœchaberis*, et alia hujus generis quæ continentur in secunda tabula Decalogi. Hæc quidem non sunt *immutabilia* respectu ad Deum, cum ipse libere ea constituerit, nec facienda aut fugienda sunt, nisi quia Deus jusserit vel prohibuerit; non dicuntur tamen *positiva divina*, quia Deus ea condidit in principio, non quatenus legislator,

sed quatenus creator, vel naturæ conditor; sunt tamen *positiva* respectu ad Deum, quia ea libere potuit ponere vel non ponere, aut aliter.

Dices: Principia *secundaria*, prout exponuntur, non minus sunt immutabilia quam principia *primaria*: ergo nec Deus in istis dispensare potest. — *Prob. ant.* Furtum v. gr. et homicidium intrinsecam malitiam, sicut virtutes quibus opponuntur, intrinsecam bonitatem, in se continent, et consequenter veram causam ob quam sint necessario fugienda, sicut istæ necessario amplectandæ: ergo non minus sunt immutabilia quam principia *primaria*.

Resp. *Dist. ant.* Sunt immutabilia respectu ad nos, propter rationes allatas, *conc.*; respectu ad Deum *nego*. Etenim omnes homines coram Deo sunt æquales, et ab invicem ex se independentes: nulla ergo essent inter homines jura, nulla in invicem obligatio, nisi Deus, in quo sunt omnia jura, illa constituisset. Porro, sicut Deus libera et positiva voluntate hominem condidit, ita libera et positiva voluntate jura hominum constituit, in hisque valet dispensare, quia aliter constituere potuit. Homicidium igitur aliaque hujus generis, quæ relationem dicuntde homine ad hominem sunt tantum mala, quia prohibita, ratione scilicet inobedientiæ erga ordinationem divinam. Unde non valet ratio supra objecta; nam hæc ratio inobedientiæ reperitur inom ni transgressione alicujus præcepti, tum naturalis, tum positivi; posito enim præcepto, intrinsece malum est illud prætergredi. Ergo ipsa sola principia *primaria* sunt essentialiter immutabilia, quia ipsa sola sunt Dei ratio et justitia æterna.

Colliges ex dictis: 1° cum præcepta præcipua primaria juris naturæ in se continent intresecam bonitatem, et eorum opposita, intrinsecam, malitiam malaque occurit circumstantia quæ immutationem inducere posset, ideo non datur ut simul concurrant duo præcepta primaria quorum alio unum alio esset anteponendum.

2° Principia *secundaria* eatenus sunt mutabilia, quatenus non salvatur semper in eis ratio primorum principiorum, et ideo simul duo concurrere possunt, quorum unus alio est præferendum, in quo casu primum cessat obligare; v. gr. præceptum *non occides*, cessat obligare si debes vim repellere, ex alio principio, de vita propria servanda. Item, *depositum est petenti reddendum*, desinit obligare, si petat in sui vel alterius perniciem, quia justitia exigit duntaxat ut reddatur depositum rationabiliter petenti, tuncque præceptum charitatis prohibet reddi-tionem; quod præceptum, iterum desinit obligare, si tu non potes reddere depositum, nisi cum tuo majori vel æquali damno, ut dicetur infra.

ARTICULUS IV.

AN LEX NATURALIS POSSIT ADMITTERE DISPENSATIONEM.

Nota 1. Hic non quæritur utrum homo a præceptis legis naturalis dispensare possit: certum est enim, inferiorem non posse dispensare in lege superioris.

Nota 2. Nec quæritur utrum Deus possit improprie dispensare ab iis legis naturæ præceptis, quorum materia pendet ab ejus dominio: certum est enim, quod possit materiæ legis apponere vel tollere circumstantias quas dam, quibus positis aut sublatis, actiones jam non sunt lege naturali prohibitæ vel præceptæ. Sed

Questio est, utrum Deus, pro suo absoluto in omnia dominio, possit aliquem ad obligatione legis naturalis eximere, in casu in quo, manentibus iisdem circumstantiis et eadem materia, lex alioquin vigeret, et de facto eos omnes obligat, qui in iisdem sunt circumstantiis; circa quod plures sunt opiniones, quæ revocantur ad tres.

Prima est Ockam [1], qui contendit actum etiam odii Dei

[1] In 2 Sent., quæst. 19.

posse fieri bene et præcipi a Deo. Quæ opinio quam absurda sit, nemo non videt.

Secunda dicit Deum non posse dispensare in præceptis primæ tabulæ Decalogi, id est in iis quæ ordinantur ad ipsum Deum; posse autem in præceptis secundæ tabulæ, id est, in illis quæ ordinantur ad proximum. Ita graves Theologi cum S. Bonaventura [1] et S. Bernardo. [2]

Tertia docet quod Deus in nullo legis naturalis præcepto potest proprie et directe dispensare.

Prob. Dispensare in lege naturæ, est facere ut persona aliqua non teneatur servare legem naturalem, in iisdem circumstantiis, in quibus eam servandi obligatio incumbebat; atqui Deus eo modo nequit legis naturalis obligationem tollere, ita ut v. gr. alicui licitum sit propria auctoritate hostem occidere, bona aliena quamdiu sunt aliena, invito rationabiliter domino, subripere et retinere : ergo, etc.

Prob. min. Deus non potest facere, ut quod est intrinsece contra rectam rationem, sit honestum et licitum; atqui propria auctoritate hominem occidere, bona aliena furari, etc., est intrinsece contra rectam rationem : ergo Deus non potest facere ut sit honestum et licitum, cum non possit mutare naturam rerum : ergo non potest illud permittere.

Objicies 1. Lex naturalis vetat innocentis occisionem, furtum, fornicationem, polygamiam, dissolutionem matrimonii, usuram, mendacium, matrimonium fratris cum sorore; atqui in his omnibus Deus dispensavit. Nam

1° Dispensavit cum Abrahamo, ut ei liceret filium occidere.

2° Cum Israelitis, ut Ægyptiorum vasa aurea furarentur.

3° Cum Osea, ut fornicarie ad meretricem accederet

4° Cum veteribus Patriarchis, ut plures haberent uxores

[1] In 1 Sent., dist. 47, quæst. ultima.—[2] In lib. *De disp. et præcepto*, non longe ab initio.

5° Cum Judæis, ut secundas inirent nuptias.

6° Cum iisdem, ut ab alienis sumerent usuras.

7° Cum obstetricibus Ægyptiacis, ut mentirentur.

8° Cum primis hominibus, ut proprias sorores in uxores ducerent. Ergo, etc.

Resp. *Dist. min.* Dispensavit improprie, subtracta legis materia, *conc. min.;* proprie, manente legis materia, *nego min.*, et distincto consequente, *nego conseq.* Quoad facta allata

Resp. *ad primum*, Deum, ut supremum vitæ et necis Dominum, prius dedisse Abrahamo jus in vitam filii, quam illi præceptum de interimendo filio imponeret, et sic subtracta est materia legis naturalis, qua ea solum vetatur homicidii species, quæ fit auctoritate privata.

Resp. *ad secundum*, Deum, ut supremum rerum omnium Dominum, transtulisse in Israelitas dominium eorum quæ abstulerunt ab Ægypto; unde quod rapuerunt, non erat alienum, sed suum, sive titulo *donationis divinæ*, sive titulo *mercedis*, continuis laboribus quibus oppressi fuerant, *debitæ*, nec hactenus redditæ ab Ægyptiis.

Resp. *ad tertium*, Deum non concessisse Oseæ, ut accederet ad mulierem ante matrimonium initum, sed præcepisse ut eam, quæ prius fornicaria fuerat, uxorem duceret, et ad eam affectu maritali accederet; in quo nihil est alienum a jure naturali.

Nec obstat Quod Deus dixerit Oseæ: *Fac tibi filios fornicationum;* hoc est enim hebraismus, quo designantur filii progeniti ex matre, quæ antea tota fuerat fornicationibus dedita, quomodo Exod. VII, virga Moysis, in serpentem conversa, nihilominus vocatur virga.

Resp. *ad quartum*, Deum permisisse veteribus Patriarchis plures habere uxores, in quantum dominium corporis ad unam uxorem in plures divisit, et sic fuit tantum mutatio materiæ, non autem proprie dicta dispensatio a lege naturali, quæ non prohibet matrimonium unius cum

pluribus, quando Deus disponit de jure matrimonii in bonum universi, et impedit incommoda quæ ex uxorum pluralitate sequi possent.

Resp. *ad quintum*, Deum non permisisse Judæis ut secundas inirent nuptias, nisi post irritum vinculum prioris matrimonii; quod non est amplius contrarium juri naturali.

Resp. *ad sextum*, Deum non concessisse Judæis, ut ab omnibus alienis acciperent usuras, sed ab illis, quibuscum justum bellum gerebant, quibus non fortunas modo, sed et vitam eripere potuissent; unde quod exigebant, erat suum jure belli, non alienum.

Resp. *ad septimum*, Deum cum obstetricibus non dispensasse in mendacio, easque vero peccasse mentiendo; neque Deum eas remunerasse propter mendacium, sed propter bonam intentionem, qua volebant prodesse Hæbræis mulieribus, licet medium esset vitiosum.

Resp. *ad octavum*, Matrimonium fratrum cum sorore, inter filios Adami non fuisse prohibitum jure naturæ, *compellente necessitate*[1] propagandi genus humanum; cum enim unicus mas et femina unica a Deo conditi fuissent, necesse fuit ut sorores fratribus commiscerentur.

Inst. Quando proprie dispensatur a lege aliqua, fit necessario mutatio materiæ: ergo, ex eo quod materia mutatur, non sequitur quod dispensatio sit impropria.

Resp. *Nego ant.* Nam, in lege positiva, dispensatio fit sine mutatione materiæ; sed, manente eadem materia, legislator pure et simpliciter restringit legem eadem potestate qua eam tulit, et unice personam subditi subducit obligationi legis, ita ut legislator, utendo potestate sua, rebus iisdem manentibus, faciat id licere quod antea non licebat; Deus autem, in allatis casibus, non usus est potestate legislatoris, sed supremi Domini qui potest dominia mutare et transferre; unde fit, ut quando materia præ-

[1] S. August., lib. xv *de Civit. Dei*, cap. 16

cepti talis est, ut ejus bonitas, vel turpitudo non pendeat a supremo Dei dominio, non possit Deus, nequidem improprie, dispensare, sic ut patet in odio Dei, idololatria et mendacio.

OBJICIES 2. Votum et juramentum sunt juris naturalis; atqui Deus per Summum Pontificem in iis dispensat proprie: ergo, etc.

RESP. *Nego min.* Dispensat enim tantum improprie, votum et juramentum relaxando et tollendo, qua relaxatione facta, tollitur obligatio juris naturalis de reddendo promisso.

Verum hæc disputationis difficultas magis videtur esse in verbis quam in reipsa. Unde sapienter dicit Valentia: *Quidquid sit de vocabulo dispensationis, quod ad rem attinet, sentiendum est hoc quidem modo improprie posse Deum dispensare in omnibus legibus naturalibus, excepto illo universalissimo principio:* BONUM EST FACIENDUM, ET VITANDUM MALUM. *Item exceptis præceptis negativis primæ tabulæ proprie dictis, id est, quæ vetant actum per se pravum circa Deum.*

Nota. 1. An dari possit ignorantia juris naturalis diximus in tractatu *de Actibus humanis.*

Nota 2. Lex divina dividitur in Veterem, seu Mosaicam, et Novam, seu Evangelicam. De quibus sit

QUÆSTIO I.

DE LEGE VETERI SEU MOSAICA.

Nota. Per legem stricte Veterem, intelligimus eam quæ populo Israelitico data est, et per Moysen in Pentateucho promulgata; late vero intelligimus totam Scripturam veteris Testamenti. De hac lege multa compendiose a nobis sunt expedienda; unde

QUÆRES 1. *An lex Vetus fuerit bona et Deo data?*

Nota. Utrumque negarunt Simon Magus et Marcionitæ, Manichæi et Priscillianistæ, docentes duo esse prima

rerum principia : alterum malum, quod fuit auctor legis Veteris, quæ proinde fuit mala; alterum bonum, quod fuit auctor legis Evangelicæ, quæ proinde est bona : hos ferit hic Concilii Toletani canon : *Si quis dixerit esse alterum auctorem priscæ legis, alterum Evangeliorum, anathema sit ;* et contra quos

Resp. *affirm.* quoad utramque partem.

Prob. prima pars. *Ex Apost.* [1] dicente : *Lex quidem sancta, et mandatum sanctum et justum et bonum.* Ratio est, quia illa lex fuit regula morum, quam Christus executioni mandavit; atqui lex Vetus fuit regula morum, omne bonum præcipiens, et omne malum prohibens, ipsam executioni mandavit Christus, qui de seipso dicit [2]: *Non veni solvere legem, sed adimplere.*

Prob. secunda pars : *Ex Matth.* I, ubi Christus Scribis et Pharisæis dicit : *Quare transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram ? nam Deus dixit : Honora patrem et matrem*, etc. : ergo, etc.

Objicies contra primam partem 1. Illa lex erat mala, cujus præcepta non erant bona; atqui præcepta legis Veteris non erant bona, juxta illud [3]: *Dedi eis præcepta non bona, et judicia in quibus non vivent :* ergo, etc.

Resp. *Nego min.* Ad textum, dico illum non debere intelligi de legi Veteri, alias non diceretur *ibid.*, vers. 11 : *Dedi eis præcepta mea, quæ faciens homo vivet in eis :* sed debet intelligi de tyrannicis Gentilium præceptis colendi Moloch per mactationem primogenitorum, quibus subdi Israelitas permisit Deus, in pœnam suæ idololatriæ ; unde addit Propheta, vers. 26 : *Et pollui eos in muneribus suis, cum offerrent omne quod aperit vulvam :* id est, permisi eos pollui in oblationibus quas, per combustionem primogenitorum suorum, offerebant in sacrificium Moloch, de quo sacrificio Psalmista [4] dicit : *Immolaverunt filios suos et*

[1] Rom. VII, 12. — [2] Matth. V, 17. — [3] Ezech. XX, 25. [4] — Psalm. CV, 37.

filias suas dæmoniis, puta Moloch. Porro, præcepta illa non erant bona, sed pessima et difficillima, *in quibus non vivebant* Israelitæ, quia, per ea, eorum potestas, eorumque nomen succidebatur.

OBJICIES 2. Ex Apost. [1], *Lex culpa non vacavit :* ergo, etc.

RESP. *Dist. ant.* Lex non vacavit culpa, sumpta pro infirmitate et imperfectione, *conc. ant.;* sumpta pro peccato, quasi aliquid mali contineret, *nego ant.* Alias non vocaretur *lex sancta* ab eodem Apostolo [2] Porro, lex Vetus in hoc erat infirma, quod per se homines justificare et salvare non poterat.

INST. 1. II ad Cor. II, lex dicitur : *ministratio mortis, et ministratio damnationis :* ergo non vacavit peccato.

RESP. *Dist. ant.* Lex est ministratio mortis occasionaliter, *conc. ant.;* per se, *nego ant.* Itaque lex Vetus per accidens fuit occasio mortis, non quidem data ex fine legis aut legislatoris, quasi cupiditati fomenta præberet, sed sumpta ex parte hominis nitentis in vetitum.

INST. 2. Atqui lex Vetus per se ex fine suo erat ministratio mortis; nam, ex eodem Apost. [3], *Lex subintravit ut abundaret delictum :* ergo, etc.

RESP. *Nego conseq.* Particula enim *ut*, non significat causam, sed consequentiam et occasionem, ita ut sensus sit : *lex subintravit ; unde factum est,* propter depravationem naturæ nitentis in vetitum, *ut abundaret delictum ;* sic interpretatur Corn. a Lapide, juxta illud Apostoli [4]. *Occasione autem accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam,* id est, homo in statu peccati, peccatum ipsum occasione legis auxit.

OBJICIES 3. Lex Vetus multa præcipiebat, aut permittebat rectæ rationi contraria. Ergo, etc.

Prob. ant. Lex Vetus 1° permittebat odium inimicorum :

[1] Hebr. VIII, 7.— [2] Rom. V, 12.— [3] Rom. V.— [4] Rom. VII.

Odio habebis inimicum tuum [1]; 2° permittebat legem talionis [2] : ergo, etc.

Resp. *ad primum*, *Nego ant.* Nullibi enim in lege permittitur odium inimicorum ; e contra Lev. IX, dicitur : *Non oderis fratrem tuum in corde tuo ;* unde hæc verba : *odio habebis inimicum tuum,* dicta sunt a Scribis legem interpretantibus, et ex hoc textu Lev. IX : *Diliges proximum tuum,* concludentibus : ergo *odio habebis inimicum tuum,* in quo redarguuntur a Christo [3].

Resp. *ad secundum.* Nego legem talionis esse rectæ rationi contrariam ; illud enim non est contrarium rectæ rationi, quod non est fomes, sed limes vindictæ ; atqui, ex Div. August., lex talionis *vindictæ et furoris non fomes, sed limes est justus ;* prohibebat enim ne qui ab alio læsus fuerit, asperiori uteretur vindicta ; sicque per eam rudi populo constitutus est primus lenitatis gradus, nobis vero sancta est perfectio, ut nullo modo vindicemus.

Objicies 4 cum Jansenio et Quesnello [4] : Illa lex non est bona quæ caret gratia ad illius observationem necessaria ; atqui talis erat lex Vetus : ergo, etc.

Resp. *Nego min.* Hominibus enim sub lege Veteri constitutis non deerat gratia, quæ, licet per legem non daretur, una tamen cum lege conferebatur, ut docet Div. Thom. [5] his verbis : *Dicendum quod, quamvis lex Vetus non sufficeret ad salvandum hominem, tamen aderat aliud auxilium a Deo hominibus simul cum lege datum, per quod salvari poterant, scilicet fides mediatoris, per quem justificati sunt antiqui Patres, sicut etiam nos justificamur : et sic Deus non deficiebat hominibus quin daret eis salutis auxilia.*

Inst. Div. August. distinguit, esse sub lege, et esse sub gratia : ergo lex excludit gratiam.

Resp. *Nego conseq.* Nam esse sub lege, est habere qui-

[1] Deuteron. 38. —[2] Matth. v, 59.—[3] Lib XII *contra Faust.*, cap. 25. — [4] Prop. 6 et 7.— [5] 1 2, quæst. 98, art. 2. ad 4.

dem gratiam ad legem implendam, sed hanc non habere ex vi ipsius legis; esse autem sub gratia, est habere gratiam, et quidem uberiorem, idque vi ipsius legis gratiæ, seu legis Christi.

OBJICIES CONTRA SECUNDUM PARTEM. Lex Vetus est a Moysi : ergo non est a Deo.

RESP. *Dist. ant.* Est a Moyse ut legis promulgatore, *conc. ant.*; ut auctore, *nego ant.* Colligitur ex Malach. IX, ubi Deus ait : *Mementote legis Moysis, servi mei, quam mandavi et in Oreb.*

QUÆRES 2. *An lex Vetus fuerit imperfecta?*

RESP. *Fuit imperfecta negative.* Illud enim est imperfectum negative, quod est alio minus perfectum; atqui lex Vetus fuit lege Nova minus perfecta; nam lex Nova per se hominem justificare potest; Vetus vero non potuit hominem justificare, nisi per fidem et merita Christi venturi : ergo, etc. Unde Hebr. VII, lex Vetus dicitur reprobata *propter infirmitatem ejus et inutilitatem.*

QUÆRES 3. *Quot genera præceptorum complectebatur lex Vetus.*

RESP. *Tria,* nimirum : moralia, cæremonialia et judicialia, juxta illud[1] : *Loquar tibi mandata mea, et cæremonias et judicia.*

Præcepta moralia sunt ea quæ ordinantur ad mores juxta rectæ rationis normam componendos, continenturque in duabus Decalogi tabulis : in prima tabula scripta sunt præcepta quæ Deum respiciunt, in secunda quæ proximum spectant; quæ omnia, licet sint juris naturalis (excepta determinatione dici Sabbati), legi tamen Veteri tribuuntur, eo quod in ea renovata fuerint et exterius promulgata.

Præcepta cæremonalia sunt ea quibus certi ritus, ad Dei cultum ordinati, præscribuntur : tales sunt sacrificiorum, Sacramentorum et festivitatum leges.

[1] Deuteron. VI, 31.

Præcepta judicialia sunt ea quibus præscribitur modus justitiæ et æquitatis inter Judæos servandæ.

QUÆRES 4. *An lex Vetus directe præceperit actus internos?*

RESP. *affirm.* Nam amor Dei ex toto corde, ex tota anima, pœnitentia interna, rerum alienarum concupiscentia, sunt actus interni; atqui lex Vetus præcipit amorem Dei *ex toto corde*[1], pœnitentiam internam, juxta illud[2]: *Affligeritis animam vestram;* prohibet ne quis concupiscat ea quæ sunt alterius : ergo, etc.

DICES. Lex Vetus Rom. III, dicitur lex *factorum;* atqui non est lex factorum, nisi quia præcipit actiones tantum modo externas : ergo, etc.

RESP. *Nego min.* Ibi enim Apostolus opponit legem Veterem legi Novæ, non in quantum Nova internos, Vetus vero externos tantum actus prohibet; sed in quantum lex Vetus continet præcepta, lex autem Nova auxilium et vires ad implenda præcepta; lex Vetus dat lucem ut sciamus, lex Nova dat virtutem ut faciamus.

INST. Si lex Vetus actus internos fidei, spei et charitatis præcepisset, ex operibus legis homines potuissent justificari; falsum consequens, ex Apost. dicente[3] : *Ex operibus legis non justificabitur omnis caro :* ergo, etc.

RESP. *Nego maj.* Nam, licet Vetus imperaret actus internos, non tamen dabat vires ad illos eliciendos; gratiæ enim quæ dabantur in illa lege, non dabantur vi illius legis, sed ex fide in Christum venturum.

QUÆRES 5. *Quosnam obligaverit lex Vetus?*

RESP. Solos Judæos; nam illos solos obligabat lex Vetus, quibus data est; atqui solis Judæis data est, juxta illud[4]: *Quæ est alia gens sic inclyta, ut habeat cæremonias et justa judicia?* et[5]: *Non fecit taliter omni nationi.* Potuerunt tamen Gentiles illam legem amplecti et adjungere se

[1] Deuteron. VI, 5. — [2] Levit. XVI, 28. — [3] Rom. II, 20. — [4] Deuteron. IV, 8. — [5] Ps. CXLVII, 8.

populo Judaico per susceptionem circumcisionis, ut expresse concedebatur in Scripturis,[1] quamvis sine ea absolute potuissent salvari.

Nota tamen Gentiles præceptis moralibus fuisse subditos, non tamen vi legis scriptæ, sed vi solius legis naturalis, et ideo non subjiciebantur pœnis temporalibus a lege scripta latis contra prævaricatores, puta idololatras, blasphemos, adulteros, etc.

Objicies. Si lex Vetus solos obligaverit Judæos, pejor eorum fuit conditio quam Gentilium, qui sine intolerabili legis jugo salvari poterant; falsum conseq.: ergo, etc.

Resp. *Nego sequel. maj.* Pejor enim conditio non est repetenda a præceptorum multitudine, sed ab impedimentis salutis, quæ longe majora fuere in Gentilibus, quam in Judæis, quos lex arctius conjungebat Deo, et ad Christum uti pædagogus conducebat.

Quæres 6. *Quis fuerit finis legis Veteris?*

Resp. 1. Finis proximus legis Veteris fuit institutio populi Israelitici, circa seipsum, per præcepta moralia; circa Deum, per præcepta cæremonialia; circa proximum, per præcepta judicialia.

Resp. 2. Finis legis remotus et a Deo principaliter intentus, fuit et spiritualis et supernaturalis felicitas populi Israelitici, tum in hac vita per morum sanctitatem, tum in altera per beatitudinem æternam: est contra Jansenium.[2]

Prob. *Ex Script.* [3]. *Lex Domini immaculata convertens animas;* et infra de mandatis dicitur: *In custodiendis illis retributio multa,* eaque non temporalis tantum, sed æterna, juxta illud Christi [4]: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata:* ergo, etc.

Quæres 7. *An lex Vetus abrogata sit?*

Resp. Legem Veterem esse abrogatam quoad omnia

[1] Exod. xii, 48. — Lib. i *de Gratia,* cap. 8, et lib. iv, cap. 5. — [2] Ps. xviii. — [4] Matth. xix, 17.

præcepta, tum cæremonialia, tum judicialia, tum moralia. Est 1° contra Cerinthum et Ebionem, qui legem Mosaicam perpetuo duraturam docuerunt; 2° contra quosdam Scholasticos, qui docent ipsam non abrogatam esse quoad præcepta moralia.

Probat nostram responsionem Apostolus [1] hoc textu Jerem. xxxi: *Ecce dies venient, dicit Dominus, et feriam domui Israel et domui Juda fœdus novum, non secundum pactum quod pepigi cum patribus eorum.... Dicendo autem novum,* addit Apostolus, *veteravit prius; quod autem antiquatur et senescit, prope interitum est.* Atqui pactum quod Deus pepigerat cum patribus Judæorum, præcepta moralia maxime complectitur; dicit enim : *Ego sum Dominus Deus tuus qui eduxi te de terra Ægypti : non habebis Deos alienos,* etc.

Confirmatur ex eodem Apostolo dicente [2] : *Translato sacerdotio, necesse est ut legis translatio fiat.* Atqui sacerdotium Aaronicum penitus et absolute translatum fuit et abrogatum : ergo et lex Mosaica. Unde Apostolus Romanis dicit absolute et sine ulla exceptione : *Non enim sub lege estis, sed sub gratia* [3].

Dices 1 Lex Vetus fuit in æternum duratura : ergo, etc.

Prob. ant. Baruch. iv : *Hic liber mandatorum Dei, et lex quæ est in æternum* : ergo, etc.

Resp. *Nego conseq.* Nam, ex Apostolo [4], lex Mosaica lata erat tantum *donec veniret semen,* id est, Christus. Unde eodem sensu lex vocatur æterna, quo omnes leges dicuntur perpetuæ, quia sunt latæ : 1° ad longum tempus; 2° sine certo termino in ipsa legis promulgatione definito.

Inst. Christus Matth. v, dicit : *Non veni solvere legem, sed adimplere :* ergo legem Mosaicam non abrogavit.

Resp. *Nego conseq.* Sensus enim textus est hic : *non veni*

[1] Hebr. viii, 8. — [2] Hebr. vii, 13. — [3] Rom. vi, 14. — [4] Galat. iii, 19.

solvere, id est, violare *legem*, quam tamen abrogavit, suam legem ei substituendo.

DICES 2. Præcepta judicialia non præfigurabant Christum : ergo per adventum Christi non sunt abrogata.

RESP. *Nego conseq.* Nam, ex Apostolo [1], obligatio legis oritur ex circumcisione : ergo obligatione circumcisionis cessante, cessat obligatio totius legis. Non nego tamen multa potuisse ab Ecclesia sumi ex præceptis judicialibus quæ imposuit Christianis, et quæ nunc obligant, sed vi legis Ecclesiasticæ, non Mosaicæ.

DICES 3. Tenemur adhuc observare præcepta Decalogi : ergo lex Vetus non fuit abrogata quoad præcepta moralia.

RESP. *Dist. ant.* Tenemur vi legis naturalis et Evangelicæ, *conc. ant.;* vi legis Mosaicæ, *nego ant.* Sicut ergo Judæi qui violabant præcepta Decalogi, prævaricatores erant in legem naturalem et Mosaicam, ita Christiani qui ea transgrediuntur, prævaricatores sunt in legem naturalem et Evangelicam.

QUÆRES 8. *Utrum lex Vetus abrogata ac mortua fuerit ante mortem Christi ?*

RESP. *negat.* Nam illa lex non fuit abrogata ante mortem Christi, quam Christus servavit et servari usque ad mortem præcepit ; atqui Christus : 1° legem servavit, circumcisus est, Pascha comedit, et omnia Judæorum festa celebravit ; 2° legem servari præcepit, nam Matth. VIII, leproso sanato præcepit adire sacerdotem, et munus lege Moysis præscriptum offerre ; et Matth. XXIII, dixit : *Super cathedram Moysis sederunt Scribæ et Pharisæi ; omnia ergo quæcumque dixerint vobis, servate et facite :* ergo, etc.

DICES 1. Matth. XI, dicitur : *Omnes Prophetæ et lex usque ad Joannem prophetaverunt* Ergo lex Vetus cessavit, quando Joannes Baptista prædicare cœpit.

[1] Galat. V, 13.

Resp. *Nego conseq.* Sensus enim textus est, vel quod lex et Prophetæ usque ad Joannem prædixerint Christum esse venturum; Joannes vero ipsum præsentem ostenderit, dicens: *Ecce agnus Dei,* etc.; vel quod lex usque ad Joannem fuerit sana; ex quo autem venit Joannes, ægrotare cœperit paulo post moritura.

Dices 2. Ex Apostolo [1], *Lex posita est donec veniret semen,* id est Christus: ergo desiit in adventu Christi.

Resp. *Dist. conseq.* Desiit esse sana in adventu Christi, *conc.;* desiit esse vivens et obligatoria, *nego conseq.* Porro, lex usque ad Christi adventum in robore fuit, Christo adveniente ægrotavit, non tamen ante Christi mortem mortua fuit.

Inst. Atqui adveniente Christo lex mortua fuit: ergo.

Prob. subsumpt. Lex cujus præcepta sunt falsa et superstitiosa, est mortua et abrogata; atqui legis Mosaicæ præcepta post adventum Christi erant falsa ac superstitiosa: ergo, etc.

Resp. *Nego min.* Alias non tantum mortua, sed mortifera fuisset.

Prob. min. Præcepta legis significabant Christum venturum: ergo statim atque Christus venit, præcepta legis cœperunt esse falsa et superstitiosa.

Resp. *Dist. ant.* Significabant Christum absolute venturum, *nego ant.;* significabant Christum Redemptorem venturum, *conc. ant.* Quapropter non simul atque Christus advenit, abolita fuerunt, sed simul atque Christus per mortem complevit Redemptoris officium.

Dices 3. Baptismus fuit præceptus ante mortem Christi: ergo inutilis tunc fuit circumcisio, et consequenter lex ipsa, quæ non potuit legitime observari, nisi a circumcisis. Resp. *Nego ant.*

Prob. ant. Baptismus fuit ante mortem Christi institutus: ergo et præceptus.

[1] Rom III, 20

Resp. *Nego conseq.* Cum Div. Thoma dicente[1]: *Necessitas utendi hoc Sacramento indicta fuit homini post Passionem et Resurrectionem, tum quia in passione Christi terminata sunt figuralia Sacramenta quibus succedit Baptismus et alia Sacramenta Novæ legis; tum etiam quia per Baptismum configuratur homo passioni et resurrectioni Christi, in quantum moritur peccato, et incipit novæ justitiæ vitam; ei ideo oportuit Christum prius pati et resurgere, quam hominibus indiceretur necessitas se configurandi morti et resurrectioni Christi.* Hinc, licet post institutum Baptismum circumcisio non fuerit amplius necessaria necessitate medii ad salutem, erat tamen necessaria necessitate præcepti, et utilis ad consignandum populum Dei, quæ consignatio erat proprius circumcisionis effectus, ut dicitur infra[2].

Quæres 9. *Quandonam ergo lex Vetus fuerit abrogata?*

Nota. Div. Thom., Vasquez, Gonet, Paulus a Lugduno, censent legem Veterem fuisse abolitam in ipsa Christi morte; e contra Scotus, Gabriel, Suarez, etc., docent ipsam non fuisse abrogatam ante festum Pentecostes, in quo lex Evangelica solemniter promulgata est; quam utramque sententiam ut conciliemus,

Resp. Lex Vetus abrogata est secundum se in ipsa Christi morte; at non fuit abrogata quoad vim obligandi nisi in festo Pentecostes, in quo lex Evangelica sufficienter fuit promulgata.

Prob. prima pars. Tunc lex fuit abrogata, cum sacerdotium Aaronicum translatum fuit et novum conditum, juxta illud Apost.[3]: *Translato sacerdotio, necesse est ut et legis translatio fiat;* atqui sacerdotium Aaronicum fuit translatum et novum conditum, cum Christus, novus Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, seipsum Patri in cruce obtulit, juxta illud[4]: *Aufert primum*, (sacerdotium, seu sacrificium) *ut sequens statuat:* ergo, etc.

Confirmatur. Ex Sanctis Patribus in hanc vocem Christi

[1] 3 part., quæst. 66, art. 2. — [2] Tract. *de Sacram.*, cap. 6, art. 1, sect. 4. — [3] Hebr. IX. — [4] Hebr. X.

mox spiritum emissuri : *Consummatum est*, de legis Veteris abrogatione interpretantur. *Dominus dixit :* Consummatum est, ait Div.Thom.[1], *et ideo tunc totaliter debuerunt cessare legalia, quasi jam veritate eorum consummata, in cujus signum in passione Christi, velum templi legitur esse scissum* [2], ut docet Div. August.[3] his verbis : *Velum templi scinditur quia Synagoga honore nudatur, observatio antiqua dissolvitur.*

PROB. SECUNDA PARS. Lex Vetus non prius desiit obligare, quam lex Nova cœperit obligare, juxta illud : *Legem mandatorum decretis* (Evangelicis) *evacuans;* atqui lex Nova non cœpit obligare, nisi in die Pentecostes : ergo, etc.

Prob. min. Lex Nova non prius cœpit obligare, quam fuerit sufficienter promulgata, promulgatio enim est de essentia legis; atqui lex Nova non fuit sufficienter promulgata, nisi in die Pentecostes, quando *Petrus, stans cum undecim, levavit vocem suam et locutus est eis : Viri Judæi et qui habitatis Jerusalem universi, hoc vobis notum sit, et auribus percipite verba mea... pœnitentiam agite, et baptizetur unusquique vestrum in nomine Jesus Christi in remissionem peccatorum vestrorum, et accipietis donum Spiritus Sancti... et qui receperunt ejus sermones, baptizati sunt :* ergo lex Nova non cœpit obligare, nisi in die Pentecostes.

DICES : Lex quæ abrogata est, non obligat : ergo, si lex Vetus in ipsa Christi morte abrogata sit, non potuit deinceps obligare.

RESP. *Nego ant.* Cujus falsitas patet ex civilibus; nam, licet lex in consilio Principis sit secundum se, seu radicaliter, abrogata, servat tamen vim obligandi et eosdem parit effectus donec abrogatio promulgata sit; ac proinde viguit remedium contra peccatum originale, quamdiu no-

[1] Quæst. 103. art. 3. ad 2. — [2] Matth. XXVII, 31. — [3] Serm. 124 *de Temp.* — [4] Ephes. II.

vum Testamentum non fuit promulgatum; testamentum enim prius per promulgationem aperiri debet, quam operetur.

INST. CUM GONET. [1] Communis est Sanctorum Patrum, et præcipue DD. Hieronymi et Augustini, legem Veterem in ipsa Christi morte, mortuam esse : atqui si non desiisset obligare, non posset dici mortua : ergo in ipsa Christi morte lex desiit obligare.

RESP. *Dist. min.* Non posset dici mortua quoad obligationem et effectum, *conc. min.* Et certe illa lex penitus mortua dici nequit, per cujus operationem justificabantur infantes : atqui, ex ipso Goneto, *quamdiu permansit bonitas legis Veteris, et non fuit mortifera, pueri Judæorum recipientes circumcisionem a peccato originali justificabantur, illique qui bona fide legem illam observabant, salvabantur :* ergo nec ipse Gonetus stricte et ad litteram urgere debet Patres, sed tantum ad sensum nostræ responsionis, alioquin et ipsi nocerent.

QUÆRES 10. *An lex Vetus statim atque inutilis ac mortua evasit, evasit etiam mortifera?*

Nota 1. Aliud est legem esse mortuam, aliud esse mortiferam. Dicitur *mortua* eo ipso præcise quod tollitur ejus vis et obligatio, ita ut licitum sit eam non observare. Dicitur vero *mortifera* eo quod non possit amplius absque peccato observari ; circa quod

Certum est 1° Præcepta moralia non esse mortua nec mortifera, cum teneamur ea observare, non quidem vi legis Mosaicæ quæ cessavit obligare, sed vi legis naturalis quæ semper durat.

Certum est 2° Præcepta judicialia Veteris legis esse quidem mortua, non tamen mortifera ; unde *si quis Princeps*, ait Div. Thomas [2], *ordinaret in regno suo illa judicialia observari, non peccaret.* Ratio est, quia præcepta judicialia

[1] *De Lege veteri*, cap. 9, § 3. — [2] In suis de legibus *epist.* — [3] 1 2, quæst. 104, art. 3 *in corp.*

non ordinantur nisi ad politicam utilitatem : ergo ad eumdem usum acceptari possunt ab iis qui potestatem habent condendarum legum.

Quæstio ergo unice movetur de præceptis cæremonialibus, quæ ut solvatur,

Nota 2. Acrem fuisse S. Hieronymum inter et Augustinum circa legalia contentionem, in eo quod S. Hieronymus contenderet legalia fuisse mortifera statim atque fuere mortua, ac proinde nemini licuisse serio ac sincere, noc est, ad Dei cultum et honorem, legis cæremonialia observare ; ex quo

Inferebat 1° Apostolos cæremonias legis ficte tantum et simulatorie usurpasse, ut per talem simulationem Judæos facilius ad legem Evangelicam adducerent.

Inferebat 2° Nec Petrum peccasse simulando Judaismum, nec a Paulo sincere, sed simulatorie tantum fuisse reprehensum, utrumque autem per suam simulationem voluisse aliis prodesse : Petrum quidem Judæis, quorum cæremonias usurpabat ; Paulum vero Gentilibus, ne putarent cæremonias legis ad salutem esse necessarias [1].

S. Augustinus, e contra, legalia post passionem Christi mortua quidem fatebatur ; sed negabat mortifera fuisse. Unde

Inferebat 1° Apostolos ex animo pio ac sincero post mortem Christi, legalibus cæremoniis usos fuisse.

Inferebat 2° Petrum vere et sincere a Paulo fuisse reprehensum, quia vere reprehensibilis erat ; imo asserit Petrum vere peccasse, non quidem mortaliter, cum esset confirmatus in gratia, sed venialiter, ex defectu attentionis debitæ ad scandalum quod prævidere debuit oriturum esse ex suo legalium usu, et ex sua præpostera in Judæos conversos œconomia [2]. His expositis,

[1] Ita S. Hieronym., *Epist.* 11 *inter Aug.* — [2] Vid. Aug., epist. 13 *ad Hieronym.*

CONCLUSIO.

Lex Vetus ante fuit mortua quam mortifera; unde licitum fuit aliquandiu post ejus abrogationem, eam observare, quamvis non fuerit necessaria.

Prob. Efficaciter ex facto Apostolorum qui cæremonialia usurparunt iis in locis ubi jam lex Mosaica desierat obligare, facta jam sufficienti legis Evangelicæ promulgatione : sic Div. Petrus [1] testatur se *nunquam* manducasse *omne commune et immundum :* ergo hactenus abstinuerat a vetitis per legem ; sic Div. Paulus [2] Thimotheum ex matre Judæa et patre Gentili *circumcidit propter Judæos qui erant in illis locis :* item observavit cæremonias Nazaræorum ex voto [3]; et de consilio Jacobi Apostoli et seniorum sese purificavit cum Judæis, et cum iis in templum ingressus est juxta legis præscriptum, ut eos sibi conciliaret [4]. Tandem in Concilio Jerosolymitano Apostoli congregati statuerunt ut Christiani abstinerent a sanguine et suffocato, quæ abstinentia erat una e cæremoniis legalibus [5]: ergo Apostoli non judicarunt mortiferam tunc fuisse observantiam legis antiquæ statim ac mortua fuit.

Dices 1 cum divo Hieronymo : Apostoli ficte tantum et simulatorie usurparunt legalia : ergo ex eorum agendi ratione non potest colligi ea non fuisse mortifera.

Resp. *Nego ant.* 1° Quia nunquam licet mentiri, etiam ad honestum finem ; atqui illa simulatio fuisset verum mendacium : ergo, etc. 2° Quia nunquam licet superstitioso cultu, etiam simulatorie, uti : sic non licet coram idolo thus incendere, etiam sine animo colendi idolum. Atqui illa simulatio fuisset superstitiosus cultus, nec minus peccassent Apostoli cultum Judæorum adhibendo, quam si ritus Gentilium simulatorie observassent, ut eos facilius lucrarentur. 3° Quia per se malum est alios suo exemplo

[1] Act. x, 14.— [2] Act. xvi, 3. — [3] Act. xviii, 12. — [4] Act. xxi, 26. — [5] Act. xv, 29.

inducere ad peccandum; atqui si Apostoli simulatorie legalia, alioquin in se mortifera, servassent, alios suo exemplo ad peccandum induxissent, quod de iis in gratia confirmatis dicere nefas est.

Inst. 1. Div. Petrus simulatorie tantum a Gentilium mensa recessit : ergo, etc. Resp. *Nego ant.*

Prob. ant. Ex Paulo qui factum Petri vocat simulationem : *et simulationi ejus,* inquit, *consenserunt cæteri Judæi, ita ut Barnabas duceretur ab eis in illam simulationem :* ergo, etc.

Resp. *Dist. ant.* Vocat simulationem formalem, quasi Petrus observaverit legalia animo simulandi, *nego ant.;* vocat simulationem materialem, hoc sensu, quod Petri ratio agendi minus cauta, Gentilibus suspicionem injiceret legalia esse ad salutem necessaria, *conc. ant.*, et *nego conseq.* Solutio est Div. Thomæ. [1].

Inst. 2. Apostoli non potuerunt observare serio ritus falsos; atqui post promulgatum Evangelium legalia erant falsa : ergo, etc.

Prob. min. Ritus qui significabant Christum venturum, fuerunt falsi post promulgatum Evangelium; atqui legalia significabant Christum venturum : ergo, etc.

Resp. *Dist. maj.* Fuerunt falsi, si eo fine ut Christum præfigurarent, usurpati fuerint, *conc. maj.;* si alio fine legitimo, *nego maj.;* atqui legalia significabant Christum venturum, et ea ad hunc finem usurparunt Apostoli, *nego min.;* ad alium legitimum, *conc. min.*

Porro, finis Apostolorum erat ut Synagoga cum honore sepeliretur, et ne, si subito reprobarentur legis cæremoniæ, viderentur damnari ut malæ, et quasi ejusdem generis cum superstitionibus Gentilium.

Inst. 3. Ergo, si olim legalia bona fide post Christi mortem observari potuerunt, nunc quoque possunt observari, falsum consequens : ergo, etc.

[1] 1 2, quæst. 103, art. 4, ad 2.

Resp. *Nego sequel. ant.* Nunc enim Synagoga, dilatato Evangelio, cum honore sepulta est, et nulla necessitas exigit ut ritus ejus observentur : ergo nunc sunt mortiferi.

Dices 2. Quod tollit fructum passionis Christi, est mortiferum ; atqui legalium observatio tollit fructum passionis Christi, juxta illud Apostoli[1] : *Ecce ego Paulus dico vobis, quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit :* ergo, etc.

Resp. 1. *Dist min.* Legalium observatio quæ adhibetur tanquam necesaria ad salutem, *conc. min.;* quæ adhibetur tanquam licita, *nego min.*, et sic ad consequens. Itaque Apostolus hic insurgit adversus Galatas, qui a Judaisantibus seducti, existimabant circumcisionem et alia legalia non tantum esse licita, sed et necessaria ad salutem, ita ut lex Evangelica sine illis non sufficeret ad justificationem, quod est hæreticum.

Resp. 2. *Dist. min.* Legalium observatio tollit fructum passionis Christi, si a Gentilibus ad fidem conversis usurpetur, *conc.;* a Judæis, *nego.* Itaque observatio legalium per aliquod tempus post Christi passionem solis Judæis vel Judæorum filiis ad fidem Christianam conversis, non autem Gentilibus, qui fidem complexi fuerunt, indulta est. Quare Apostolus ipse, qui [2] ut vitaret scandalum Judæorum circumcidit Thimotheum, qui erat filius mulieris Judeæ, non circumcidit Titum, qui erat filius patris et matris Gentilium.

Quæres 11. *Quo ergo præcise tempore lex Vetus evaserit mortifera?*

Resp. Evasit mortifera quadragesimo circiter post Christi mortem anno, cum eversum fuit a Tito et Vespaiano, Imperatoribus Romanis, templum Jerosolymitanum.

Ratio est, 1° quia jam sufficienter Evangelium toto orbe erat promulgatum, ut docet Apostolus : *Pervenit ad*

[1] Ad Galat. v, 2. — [2] Act. x. — [3] Coloss. i, 6.

vos Evangelium, sicut et in universo mundo est.

2° Quia tunc non erat amplius necessarium deferre honorem Synagogæ penitus sepultæ et exstinctæ, aut uti diuturniori œconomia cum Judæis tamdiu divinæ vocationi rebellibus.

DICES : Diutissime post templi Jerosolymitani eversionem, abstinentia *ab immolatis simulacrorum, et sanguine, et suffocato*, observata fuit : ergo, etc.

RESP. *Dist. ant.* Fuit observata vi legis Mosaicæ, *nego ant.;* vi Apostolicæ seu ecclesiasticæ constitutionis, *conc. ant.* Non potuit quidem Ecclesia eas cæremonias servare, quibus servatis, ipsam Moysis religionem servari necesse erat, ut sunt sacrificia, Sacramenta, etc.; sed potuit quosdam leviores ritus legis, propter graves rationes, adoptare in legè Nova, ritusque legis Novæ servandos, v. gr. vestes, vasa, abstinentiam ab idolothitis et suffocato, etc.

QUÆSTIO II.

DE LEGE EVANGELICA.

Nota 1. Lex Nova describi potest: *Lex per se justificativa, a Christo condita, ab Apostolis promulgata, et ad finem mundi duratura.*

Dicitur 1° *lex*, quia est ordinatio facta a Deo, summa ratione, ad finem ultimum supernaturalem, cum intentione obligandi, ita ut quisquis ab ipsa deficit, prævaricationis reus constituatur.

Dicitur 2° *per se justificativa* : tum formaliter per gratiam sanctificantem, tum causaliter dispositive per gratias actuales prævenientes et adjuvantes, quibus possibilia et suavia redduntur ea, quæ de se dura et supra naturæ vires essent.

Dicitur 3° *a Christo condita*, ut designetur causa effi-

ciens, juxta illud : *Lex Vetus per Moysen data est, gratia et veritas Evangelii, per Jesum Christum facta est,* non uno et eodem tempore, sed successive; nam Baptismus institutus est initio prædicationis Christi ; Eucharistia pridie quam pateretur ; Pœnitentia et plura alia post Resurrectionem, unde non fuit integre condita nisi circa Christi Ascensionem.

Dicitur 4° *ab Apostolis promulgata*, scilicet in die Pentecostes, a quo cœpit obligare, non quidem omnes simul, sed primum eos qui audierunt ejus authenticam promulgationem, et deinde successive alios ad quos pervenit per prædicationem Apostolorum, ita ut, communiter loquendo, Judæis prius, deinde Gentiles obligaverit, juxta illud Pauli ad Judæos Synagogæ Antiochenæ [2] : *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei : sed quoniam repellitis illud, et indignos vos judicatis vitæ æternæ, ecce convertimur ad Gentes, sic enim præcepit nobis Dominus,* etc.

Dicitur 5° *ad finem mundi duratura,* juxta illud Matth. XXIV : *Prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe in testimonium omnibus Gentibus, et tunc veniet consummatio,* nempe sæculi.

Nota 2. De lege Evangelica sic exposita quæritur : 1° an sit vera lex ; 2° in quo conveniat et differat a lege Veteri.

§ I

An lex Evangelica sit vera lex.

Negat Lutherus [3], dicens : *Nullo opere, nulla lege homini Christiano opus est, cum per fidem sit liber omni lege.* Negat Calvinus [4] sic exclamans : *O miserabilem inscitiam ! O perniciosum errorem prædicantium Christum tanquam novum legislatorem ! quasi Veterem Judæorum legem abrogaverit, ut Novam Christianis hominibus imponeret !* Contra quos sit

[1] Joan. I, 17. — [2] Act. XIII, 46. — [3] Lib. *de Libertate Christiana* [4] *In cap. 2. Epist. ad Galat.*

CONCLUSIO.

Lex Evangelica est vera lex.

Prob. Illa lex est vera, quæ continet præcepta ad bonum communitatis ordinata, et in perpetuum servanda; atqui lex Evangelica est talis, dicente Christo [1]: *Qui habet mandata mea et servat ea, ille est qui diligit me;* et: [2] *Euntes docete omnes Gentes, baptizantes eos... docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis.* Ergo, etc. Unde Christus [3] promittitur ut *Dominus judex noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster.*

Hinc, jure merito errorem Novatorum proscripsit Concilium Tridentinum [4], tribus sequentibus canonibus:

Canon 19. *Si quis dixerit nihil præceptum esse in Evangelio præter fidem, cætera esse indifferentia, neque præcepta, neque prohibita, sed libera; aut decem præcepta nihil pertinere ad Christianos, anathema sit.*

Canon 20. *Si quis hominem justificatum et quantumlibet perfectum dixerit non teneri ad observandum mandata Dei et Ecclesiæ, sed tantum ad credendum, etc., anathema sit.*

Canon 21. *Si quis dixerit Christum Jesum a Deo hominibus datum fuisse ut Redemptorem cui fidant, non etiam ut Legislatorem cui obediant, anathema sit.*

Objicies 1. Illud Joan. 1: *Lex per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est:* ergo lex non est data per Christum.

Resp. *Nego conseq.* Non enim ideo gratia dicitur per Christum facta, lex vero per Moysen data, quod Christus nullam legem tulerit; sed quia Moyses dedit Judæis nudam legem sine gratia, id est, legem præcipientem, sed non juvantem: Christus vero dedit nobis legem cum

[1] Joan. xiv. — [2] Matth. xxviii. — [3] Is. xxxiii, 11. — [4] Sess. 6.

gratia, id est, legem præcipientem et adjuvantem, quam ob rem vocatur ab Apostolo : *lex fidei* [1], *lex spiritus* [2], et a Christo : *jugum suave et onus leve* [3].

INST. Rom. VI, dicitur : *Non estis sub lege, sed sub gratia :* ergo lex non est data per Christum.

RESP. *Dist. ant.* Non estis sub lege Mosaica, quæ præcipiebat : *non concupisces,* et non juvabat ad vincendam concupiscentiam, *conc. ant.;* sub lege Christi, quæ, cum sit gratia ipsa, juvat interius et corroborat ad præstandum id quod lex jubet, *nego ant.* Hinc Apostolus concludit peccatum nobis non dominaturum, quia nempe non sumus *sub lege, sed sub gratia.*

OBJICIES 2. Ex Apostolo [4] : *Ubi spiritus Domini, ibi libertas :* ergo lex Evangelica est lex libertatis a lege.

RESP. *Dist. ant.* Ibi libertas a timore servi et a jugo legis Veteris, *conc. ant.;* ab omni præcepto, *nego ant.* Hic enim Apostolus libertatem et spiritum amoris Christianorum opponit servituti et timori servili Judæorum.

INST. 1. Atqui, ubi spiritus Domini, ibi libertas a lege : ergo, etc.

Prob. subsumpt. Ex eodem Apostolo [5] : *Si spiritu ducimini, non estis sub lege :* ergo, etc.

RESP. *Dist. ant.* Non estis sub lege cogente et terrente, *conc. ant.;* sub lege obligante et suaviter movente ad implenda ea quæ jubet, *nego ant.;* nam *non sumus sub lege bonum quidem jubente, non tamen dante : sed sumus sub gratia quæ, id quod lex jubet faciens nos amare, potest liberis imperare,* ait. Div. Augustinus. [6]

INST. 2. I ad Timoth. I, dicitur : *Lex justo non est posita, sed injustis :* ergo saltem justi sunt immunes ab omni lege.

RESP. *Nego conseq.* Alias idem Apost. non hortaretur fideles ad obedientiam his verbis [7] : *Admone illos Princi-*

[1] Rom. III, 27.—[2] Rom. VIII, 2.—[3] Matth. XI, 30.—[4] II, Cor. III, 17. — [5] Gal. V, 18. — [6] Lib. *de Continentia,* cap. 3—[7] Tit. V, 1.

pibus et Potestatibus subesse; et: *Obedite præpositis vestris et subjacete eis*[1]. Sensus ergo est : lege minaci et pœnas intentante non opus est justo, qui sponte facit bonum et honestum quod lex imperat.

Colliges : Libertatem Evangelicam consistere in immunitate tum a peccato per spiritum gratiæ; tum ab erroribus et ignorantiæ tenebris; tum ab onerosa servitute legalium cæremoniarum et jugo legis Mosaicæ; nullatenus vero consistit in immunitate a lege, quam utique commendat.

Quæres : *Quotuplicis generis sint præcepta Novæ legis?*

Resp. Triplicis : *moralia* scilicet, *sacramentalia* et *fidei*, inter quæ illud est discrimen,

1° Quod præcepta moralia, cum sint de lege naturæ, non sunt a Christo instituta, sed tantum confirmata, explicata, et ab erroribus, quibus ex malitia hominum obvoluta fuerant, vindicata.

2° Quod præcepta fidei non sunt etiam de novo instituta, cum antiqui non salvarentur, nisi per fidem in Christum venturum; sed tantum clarius explicata, ita ut explicite teneamur credere fidei mysteria, quæ in lege Veteri solum implicite credebantur.

3° Quod præcepta sacramentalia sunt a Christo de novo instituta, ut sint loco veterum, quæ sunt ab ipso abrogata; unde ab iis solus potest dispensare Christus.

Dices : Lex Nova debet etiam continere præcepta judicialia : ergo allata divisio non est adæquata.

Resp. *Nego ant.* Christus nec voluit temporalem exercere jurisdictionem, cum dicat[2]: *Regnum meum non est de hoc mundo;* nec civilem Rempublicam condidit, sed spiritualem, cujus regimen spirituale est, et ad finem spiritualem et supernaturalem conducit.

Inst. Ecclesia, cum sit visibilis, indiget regimine politico visibili : ergo et præceptis judicialibus.

[1] Hebr. XIII, 17 — [2] Joan. XVIII, 36.

Resp. *Dist. conseq.* Indiget præceptis judicialibus, quæ Christus ipse per se immediate statueret, *nego conseq.*; quæ vicariis suis Episcopis statuenda permitteret, *conc. conseq.* Ratio est, quia cum Ecclesia constet ex omni natione quæ sub cœlo est, et fuerit diversa diversis temporibus illius conditio, debuit quoque pro diversitate nationum et temporum diversas leges politicas singulis imponere; quod facilius et connaturalius fieri poterat ab Episcopis, illuminante ac dirigente interius Spiritus Sancti gratia; et ideo illis Christus, pro sua infinita sapientia, hanc curam commisit.

§ II.

In quo lex Evangelica conveniat et differat a lege veteri.

Quæres 1. *In quo lex Vetus et Nova conveniant?*

Resp. Conveniunt 1° in eo quod utraque fuerit promulgata in die Pentecostes, Mosaica quidem in monte Sina, Evangelica vero in monte Sion, juxta illud [1]: *de Sion exibit lex*, etc.

2° In eo quod in neutra possit fieri dispensatio, nisi per auctoritatem a Deo acceptam, quam potestatem nemini mortalium contulit, ut constat ex alto Scripturæ et Traditionis circa hanc potestatem silentio.

Quæres 2. *In quo lex Vetus et Nova differant?*

Resp. In hoc differunt 1° quod lex Mosaica fuerit scripta in tabulis lapideis, Evangelica vero non fuerit *per se* scripta, sed viva voce denunciata exterius, et interius, per abundantem Spiritus sancti gratiam, alte insculpta cordibus audientium, ut testatur Apost. dicens [2]: *Epistola estis Christi ministrata a nobis, et scripta non atramento, sed spiritu Dei vivi, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus*, juxta hanc Jeremiæ prophetiam[3]:

[1] Is. II, 3. — [2] II Cor. III, 3. — [3] Jerem. XXXI, 33.

Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam.

Dixi *non est scripta per se*, id est, causa promulgationis, quia quoad unam sui partem, nempe quoad præcepta, fuit scripta *per accidens*, nimirum ex occasione vel describendi Christi vitam et acta Apostolorum, vel instruendi fideles per Epistolas, vel errores hæreticorum refellendi.

2° Quod lex Mosaica fuerit lex timoris et servorum; Evangelica vero sit lex amoris et filiorum, ut ait Div. August. [1]: *Hæc est apertissima differentia duorum Testamentorum, timor et amor.*

3° Quod lex Vetus fuerit umbra legis Novæ, Nova autem Veteris perfectio et complementum.

4° Quod lex Nova habeat vim justificandi, non vero lex Vetus, quæ non justificabat, nisi per fidem Christi qui est auctor Novi Testamenti, juxta illud Apost. [2]: *Bibebant autem de spiritali, consequente eos petra; petra autem erat Christus.* Unde Div. Thomas [3] asserit illos *qui in Veteri Testamento habuerunt gratiam Spiritus Sancti et charitatem, secundum hoc pertinuisse ad legem Novam.*

CAPUT III.

DE LEGE HUMANA.

Quæres : *An detur, et quid sit lex humana?*

Resp. Dari præter legem naturalem, humanam positivam probat recte Div. Thom. [4] hac ratione : sic se habent præcepta legis naturalis in practicis et moralibus, sicut prima principia in speculabilibus; sed ex primis principiis, per industriam et discursum humanum, deducuntur aliquæ conclusiones quæ non sunt naturaliter inditæ, et pertinent ad scientiam quæ est habitus per demonstratio-

[1] Lib. *adversus Adamant.* cap. 17.—[2] I ad Cor. x, 4.—[3] 1 2, quæst. 107, art 1, ad. 2. — [4] 1 2, quæst. 91, art. 3.

nem acquisitus : ergo, ex præceptis naturalibus, quasi ex generalibus principiis, potest ratio humana procedere ad aliqua magis particularia disponenda; et hæc particularis dispositio insdustria humana inventa, lex humana dicitur, et definitur : *Rationis ordinatio stabilis, ad bonum publicum condita, et promulgata ab homine qui curam communitatis politicæ vel ecclesiaticæ habet, cum intentione obligandi subditos.* Hujus definitionis explicatio repetenda est ex dictis supra [1], ubi definitionem legis in communi exposuimus.

Nota. Hic agendum habemus : 1° de natura; 2° de variis speciebus; 3° de cessatione legum humanorum, triplici quæstione.

QUÆSTIO I.

DE NATURA LEGUM HUMANARUM.

In hac quæstione expendemus : 1° an et quibus hominibus competat potestas condendi leges; 2° quæ sit materia legum humanarum ; 3° qualis esse debeat illarum promulgatio; 4° an ad illarum valorem requiratur acceptatio; 5° quinam humanis legibus teneantur; 6° quæ sit formalis legum humanarum obligatio.

ARTICULUS I.

AN ET QUIBUS HOMINIBUS COMPETAT POTESTAS FERENDI LEGES.

Nota. Homines potestatem legislativam habere negavit olim Wicleffus, et post ipsum Lutherus [2]; contra quos

[1] Diss. I, cap. 1. — [2] Lib. *de captivitate Babylon.*

CONCLUSIO I.

Principes sæculares, sive boni, sive mali, habent potestatem condendi leges civiles. Est de fide definitum in Concilio Constantiensi [1].

Prob. 1. Ex Christo qui legem de tributis ab ethnico Principe latam servari mandat, dicens Luc. xx: *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari.*

Prob. 2. Ex I Petri II: *Subditi estote, sive regi, quasi præcellenti, sive ducibus, tanquam ab eo missis.* Et ne quis dicat Apostolum loqui de bonis regibus tantum, subdit: *Servi subditi estote in omni timore Dominis, non tantum bonis et modestis, sed etiam discolis.* Et Paulus *Rom.* XIII, indefinite dicit: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non enim est potestas, nisi a Deo.*

Prob. 3. *Ratione.* Rectores communitatis perfectæ gaudent potestate legislativa, omnino necessaria ad ea permanenter statuenda, quæ bonum commune promovere possunt, et ad omnes in officio continendos, juxta illud [2]: *Ubi non est gubernator, corruet populus.* Atqui Principes sæculares sunt rectores communitatis perfectæ: ergo, etc. Hinc omnes gentes, vel etiam rudiores et efferæ, proprias semper habuerunt constitutiones et leges, quod Tullius testatur his verbis: *Constat profecto ad salutem civium civitatumque incolumitatem, vitamque hominum et quietam et beatam, inventas esse leges* [3].

Objicies 1. Illud Jacob. IV: *Unus est legislator et judex*, nempe Deus: ergo, etc.

Resp. *Dist. ant.* Deus unus est legislator primarius et per propriam auctoritatem, *conc. ant.*; secundarius, et per auctoritatem a Deo participatam, *nego ant.* Ait enim Sapiens [4]: *Per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt.*

[1] Sess. 8 et 15, contra Wiclef — [2] Prov. XI, 14. — [3] Lib. II *de Legibus.* — [4] Prov. VIII, 15.

Objicies 2. Potestas legislativa non potest esse in Principibus sæcularibus, nisi ex speciali concessione Dei; atqui non est in illis ex speciali Dei concessione, nam de eo nullam habemus revelationem : ergo, etc.

Resp. *Nego maj.* Sufficit enim ut illam habeant ex concessione communitatis perfectæ, quæ, cum habeat jus sibi providendi de mediis necessariis ad societatem civilem, ad quam alligatur a natura, aliquam regiminis formam constituit diversam, prout illi commodius visum est; unde existunt variæ politici regiminis formæ : monarchica scilicet, aristocratica, democratica, et ex his mixta, quarum optima est monarchica, cum nempe summum imperium uni est translatum, vel per electionem solum, vel per electionem cum jure successionis.

Inst. Ex Apost. [1] : *Non est potestas, nisi a Deo;* et: *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit:* ergo potestas legislativa est a Deo specialiter illam concedente.

Resp. *Nego conseq.* Ex hoc enim textu et similibus sequitur tantum, quod potestas legislativa sit a Deo virtualiter et implicite, sive a Deo, ut auctore naturæ, in quantum Deus creavit homines idoneos ad civilem societatem, quæ ex natura rei exigit talem potestatem. Cum itaque Deus permittat usum illius potestatis, non mirum est eum qui ei resistit, Dei ordinationi resistere, quippe qui obedire illi potestati præcipiat.

Quæres : *Quis leges civiles ferre possit?*

Resp. Id possunt Imperatores, Reges, Principes supremi, qui superiorem non agnoscunt, quocumque jure, vel hæreditario, vel electivo, regnum aut imperium obtineant; idem dicendum de Regina quæ jure hæreditario talis est; de comitiis generalibus cujuslibet regionis, vel civitatis quæ est sui juris. Ratio est, quia omnes supradicti habent curam communitatis perfectæ.

[1] Rom. XIII, 1.

CONCLUSIO II.

Prælati Ecclesiæ habent potestatem ferendi leges Ecclesiasticas. Est de fide definitum in Concilio Tridentino contra Lutherum [1].

Prob. *Ex Script.* Illi habent potestatem ferendi leges ecclesiasticas, qui a Deo acceperunt potestatem regendi fideles ad finem supernaturalem; atqui Prælati Ecclesiæ acceperunt a Deo potestatem regendi fideles; de Petro enim dicitur [2]: *Tibi dabo claves Regni cœlorum, et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis* etc., et de omnibus Apostolis eorumque successoribus Episcopis dicitur [3]: *Spiritus Sanctus posuit vos Episcopos regere Ecclesiam Dei;* et [4]: *Quæcumque alligaveritis super terram,* etc. Ergo, etc.

Confirmatur. Ex traditione et praxi Ecclesiæ quæ ab Apostolorum tempore ad nos usque, tali potestate semper usa est; sic in Concilio Jerosolymitano [5] edita est lex, qua Gentes ad finem conversæ, jussæ sunt abstinere a suffocato, et idolothitis; sic Apostolus legem condidit, qua vetitum est ne bigami et neophiti ad Episcopatum assumerentur [6]. Sic in omnibus Conciliis generalibus et provincialibus constitutæ sunt leges, ad componendos fidelium mores, ad fidem et ecclesiasticam disciplinam conservandam.

Dices. Deuteron. xii, dicitur: *Quod præcipio tibi, hoc tantum facito, nec addas quidquam aut minuas.* Ergo non licet aliqua addere præcepta præceptis divinis.

Resp. *Dist. conseq.* Non licet præceptis divinis alia præcepta, præceptis divinis contraria, addere, *conc. conseq.;* alia præcepta, divinis præceptis non contraria, *nego conseq.* Alias Christus, Prophetæ, Judæi qui quasdam leges divinæ legi addiderunt, peccassent, quod nemo dicet.

[1] Sess. 7, can. 8 *de Baptismo.* — [2] Matth. xvi, 19. — [3] Act. xx, 28. — [4] Matth. xviii, 18. — [5] Act. xv, 29. — [6] I ad Tim. iii.

QUÆRES 1. *Quinam possint ferre leges ecclesiasticas?*

RESP. Multi leges ecclesiasticas ferre possunt, et quidem :

1° S. Pontifex, tanquam caput universale, Christi vicarius, et successor S. Petri qui immediate a Christo potestatem ferendi leges Ecclesiasticas pro universa Ecclesia accepit, independenter a Conciliis, juxta illud Joann. XXI : *Pasce agnos meos, pasce oves meas;* quibus verbis Petro subjiciunt omnes Fideles etiam Apostoli et Episcopi per τὸ *oves* designati. Non potest vero ferre leges civiles quæ obligent in provincias supremo Principi sæculari subditas : poterit tamen illas abrogare vel corrigere, si sint rationi et æquitati contrariæ.

Hinc, turpiter errant quidam affirmantes œcumenici Concilii leges seu definitiones robur habere modo concensus accesserit S. Pontificis Legatorum. Legati namque non alia gaudent facultate, quam illa qua a Pontifice conceditur, sed Legatis nulla tribuitur facultas confirmandi Synodorum statuta : ergo, etc.

Confirmatur. Usu ac praxi Conciliorum quæ semper petunt confirmationem a SS. Pontificibus, ut statuta seu definitiones Concilii ab illis roborata, vim habeant obligandi ; ut fecit Concilium Nicænum ad Sylvestrem papam dicens : *Quidquid constituimus in Concilio Nicæno, precamur, vestri oris consortio confirmetur.* Jam vero non confirmatur quod in suo robore consistit. Et ultimo Concil. Trid., sess. 25, in fine. Ita S. Thom. cum communi [1].

Hinc, merito ab Alexandro VIII proscripta fuit prop. 29, quæ dicebat : *Futilis et toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra Concilium œcumenicum auctoritate, atque in fidei quæstionibus decernendis infallibilitate.* Porro, tenendum est de fide quod propositiones semel damnatæ a Summo Pontifice, illa inficiantur nota, quam ipsas

[1] *De potentia*, quæst. 10, art. 4, ad 13.

pati Pontifex declaravit, et ideo esset quidem hæreticus, qui easdem tanquam veras et licitas sequeretur aut propugnaret [1].

Verum ut capitalis hæc veritas clarius luce pateat, cum de infallibilitate summi Pontificis jam in Theologia Dogmatica disseruerimus, hic de ejusdem suprema auctoritate supra Concilium œcumenicum pauca subnectimus.

Prob. 1. Illud certo tenendum est, quod Christus sua voluntate instituit ac declaravit; atqui Christus voluit et declaravit Summum Pontificem suprema fungi auctoritate supra Concilium: ergo, etc.

Prob. min. Ex Scripturis. 1° Ex S. Luca [2]: *Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum; ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides* TUA; *et tu, aliquando conversus,* CONFIRMA *fratres tuos.* Nota hic modum loquendi Christi: primo solum alloquitur Petrum, deinde periculum indigitat omnibus esse commune, postea rogat pro Petro tantum ut ejus fides non deficiat, et tandem illi committit officium confirmandi fratres suos; unde sic: ille est super omnes fratres suos, sive congregatos, sive dispersos, qui solus eos confirmare potest et debet; atqui solus Petrus, ex mandato Christi, potest et debet confirmare fratres suos, sive dispersos, sive congregatos: ergo Petrus est supra Concilium. Hinc S. Leo dicit [3]: *In Petro ergo omnium fortitudo munitur, ut firmitas quæ Petro tribuitur, per Petrum Apostolis conferatur.*

Prob. 2. Ex Joan [4]: *Pasce agnos meos, pasce oves meas*; hinc Div. Cyprianus: *Ecclesia est plebs sacerdoti adunata, et grex pastori suo adhærens.* Et Eusebius dicit [6]: *Prius agnos, deinde oves commisit, quia non solum pastorem, sed principem pastorum eum constituit.* Item S. Bernard. ait [7]: *Habent illi* (Episcopi) *assignatos greges, tibi universi cre-*

[1] S. Ligor., lib. I, num. 104. — [2] Cap. XXII, 31. — [3] In serm. 4 *Assumpt. ad pontif.* — [4] Cap. XXI, 16 et 17. — [5] In serm. *nativ. S. Joan.* — [6] Epist. 9, — [7] Lib. II *de Consid.*

diti uni unus. Unde sic : Petrus debet pascere agnos et oves Christi, scilicet, fideles et sacerdotes, quod facere non posset, si has per leges dirigere non valeret; sed Episcopi congregati non desinunt esse oves subjectæ suo pastori, a fortiori oves in Pontificis pastores commutari non possunt : ergo Pontifex est supra Concilium.

Prob. 3. Ex Matth. xviii, Christus dixit Petro : *Tibi dabo claves regni cœlorum; quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis*. Hic per claves intelligitur suprema potestas gubernandi, regendi, judicandi et leges ferendi; porro si Petrus recepit a Christo claves regni cœlorum, et potestatem ligandi et solvendi, quo pacto fieri potest, ut illa amittat in Concilio? Quomodo Episcopi qui clavibus Petri sunt subjecti quando sunt dispersi, fierent in Concilio clavigeri, et qui ligantur a Petro, Petrum ligare possent? Ubi in Scripturis aut in Traditione habeatur, quod ordo divinus, a Christo constitutus, in Concilio susdeque immutetur? — Hinc Concil. Lateran. V sub Leone X recepit Constitutionem ejusdem sancti Leonis (Const. *Pastor æternus*) in qua perspicuis verbis fuit declaratum : *Solum Romanum Pontificem, tanquam super omnia Concilia auctoritatem habentem, nedum ex Scripturæ testimonio, dictis SS. Patrum ac aliorum Romanorum Pontificum, sed propria eorumdem Conciliorum confessione manifesta constat* [1]. Ergo Christus voluit et declaravit S. Pontificem suprema fungi auctoritate supra Concilium.

Confirmatur 1° Quia Christus constituit in Ecclesia regimen *monarchicum*, ut omnium perfectissimum ; atqui regimen monarchicum in eo consistit quod in uno, tanquam in supremo capite et Principe, potestas gubernandi universalis et semper et ubique inveniatur. —

Concil. Nicæn., can. 18, et Calcedon. apud S. Thomam, Sum. *contra Gentes*; concil. Constantinop. IV, sess. 5, et concil. Constant. Vide etiam S. Ligor., lib. I, num. 125.

2° Quia si Christus in terra degeret, certe haberet supra Concilium auctoritatem [1]; atqui Papa est vicarius Christi in terris : ergo [2]. — 3° Quia Ecclesia, ex Scripturis, est *domus, ovile, corpus,* et Papa domus *fundamentum,* ovilis *pastor*, corporis *caput;* atqui tum ratione collectionis, tum ratione individui, lapides ædificii a fundamento sustentantur, oves a pastore reguntur, membra capite superantur. E contra, nunquam collectio lapidum fundamentum sustentat, nec ovile pastorem regit, nec membra simul sumpta caput gubernant : ergo.—4° Quia, ex Concilio Nicæno [3], *Ille qui tenet Sedem Romæ caput est omnium Patriarcharum, sicut Petrus, ut sit vicarius Christi super cunctam Ecclesiam Christianam;* sed Concilium representat Ecclesiam : ergo Papa est supra Concilium.—5° Quia *Papa judicat omnes Episcopos, eorumque causas* [4], idque ex Apostolorum traditione, ob potestatem acceptam a Christo; idque clamat totum jus canonicum, ita ut soli Dei judicio subjaceat [5] : ergo non subjacet Concilio. — 6° Quia quod non habent Episcopi dispersi, id habere non possunt in unum congregati, nisi Christus id expresse concesserit; atqui Episcopi dispersi non habent potestatem in Papam, nec legitur Christum talem potestatem ipsis in unam congregatis concessione : ergo, etc.

Si autem Papa Concilii congregat, aut Cardinales consulit, id non facit ex necessitate, inquiunt Salmanticenses [6] cum Bellarm. et aliis, sed ex congruitate et decentia.

Possunt ferre leges 2° Concilium generale de licentia S. Pontificis congregatum, pro loco et tempore ab ipso assignatis, et ab ipso expresse confirmatum, sive sit personaliter præsens, sive absens.

[1] Salmant., *de Legibus*, cap. 3, num. 14; Bellarm., lib. IV *de Rom. Pontificie*, cap. 23; Cajet.. etc. et recole quæ duximus tract. *de Ecclesia*, diss. II, cap. 1. — [2] Apud Fagnan., cap. *Nullus, de Electione*, num. 49. — [3] Anaclet. I, epist. 2. — [4] Vid. *Annales de Philosophie Chrét.*, 4e Série, tom. V, page 36, verbo *Pape*. — [5] Leo IX, epist. 1, cap. 35. — Dist. 25. cap. *nomine*; Concil. Rom. III et IV sub Symmacho. — [6] Tr ct. XI, cap. 3, part. 2 num. 1

3° Cardinalium Collegium, Sede Apostolica vacante, potest condere leges tantummodo provisionaliter, dum nempe disciplinam tuendi gravis urget necessitas: sic, post mortem Fabiani Papæ, Clerus Romanus provisionaliter statuit, ut lapsi in mortis periculo Eucharistia donarentur, etsi necdum totum pœnitentiæ suæ cursum explevissent.

4° Concilia nationalia pro tota natione, provincialia pro tota provincia, et diœcesana pro diœcesi[1].

5° Episcopus pro sua diœcesi, licet nondum consecratus, et quidem sine consensu Capituli, ex cap. *De majorit.;* exceptis rebus quæ cedere possunt in præjudicium Capituli vel Cleri[2]. Insuper requiritur in Gallia ut Episcopatus sui possessionem, sive per se, sive per procuratorem, inierit, alioquin perseverat jurisdictio Capituli, ut sede adhuc vacante.

6° Legati S. Pontificis in territorio suæ legationis; Cardinales in Ecclesiis suorum titulorum; Generales, Provinciales Ordinum, et Abbates pro suis subditis; ratio est, quia gaudent jurisdictione quasi-episcopali cui annexa est potestas condendi leges. Hæc certa sunt. Verum

Quæres 2. *An Episcopi habeant immediate a Christo potestatem condendi leges Ecclesiasticas?*

Resp. Duplex est sententia.

Prima sententia affirmat et sic probat : Episcopi, supposita electione et confirmatione Summi Pontificis, habent, vi promissionis Christi, potestatem gubernandi diœceses suas : ergo potestatem ferendi leges habent immediate a Christo.

Prob. ant. Ex Script. Joan. xx, ubi Christus dixit Apostolis et eorum successoribus : *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.* Et Matth. xvii : *Quæcumque alligaveritis,* etc.

[1] Archiepiscopi, Primates, Patriarchæ, non possunt ferre leges in provinciis aut regnis suffraganeorum, nisi ipsis tribuat consuetudo, vel S. Pontifex, ex cap. *fi*, C. *conquest,* et cap. *Nullus Primas,* 9, q. 5, et cap. *Duo simul, de off. Ordinarii.* — [2] Cap. *Quanto, de his quæ fiunt a Prælato.*

Hinc, cum Apostolus *majores natu Ecclesiæ* vocasset[1], sic ipsos monuit : *Attendite vobis et universo gregi in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*[2] : Ita Thomas ex Charmes, Martinez, Vasquez apud Salmant.[3].

Secunda sententia asserit hanc potestatem a Summo Pontifice immediate, a Christo autem mediate recepisse. 1° Quia regimen Ecclesiæ est perfecte monarchicum ; atqui regimen monarchicum postulat ut omnis jurisdictio quæ est in inferioribus, derivetur ab uno supremo Principe : ergo, etc.

2° Summus Pontifex diœceses distribuit, conjungit, dividit ; item Episcoporum potestatem extendit, limitat, causas graviores sibi reservat et subtrahit Episcoporum jurisdictioni, ut constat ex usu et praxi Ecclesiæ ; quod non fieret, nisi omnis potestas manaret a Papa : ergo, etc.

3° Probatur ex Leone Papa, a quo videtur ita definitum in capit. *Ita Dominus*, dist. 19, et a Gregorio[4], qui dicit : *Romanæ Ecclesiæ vices suas ita aliis impertivit Ecclesiis, ut in partem sint vocatæ sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis.* Et Angelicus[5] : *Papa*, inquit, *habet plenitudinem potestatis pontificalis, quasi rex in regno ; Episcopi autem assumuntur in partem sollicitudinis, quasi judices singulis civitatibus præpositi.* Idem sentit Div. Antoninus[6], Cajetanus, Soto et plures alii.

Cæterum hæc quæstio, inquit S. Ligorius post Salmanticenses, est tantum de nomine, et parum conducit ad nostrum institutum, quia duo receptissima sunt inter Catholicos :

1° Scilicet, quod sive Episcopi immediate a Christo, sive a Summo Pontifice, hanc potestatem receperint, eam tamen susceperunt cum subordinatione ad Papam, tanquam ad primum pastorem et caput, cui omnia membra subjiciun-

[1] Act. v, 18. — [2] Ibid., 28. — [3] *De Legib.*, cap. 3, num. 28. — [4] Cap. *Decreto*, 2, dist. 6. — [5] In 4, dist. 20, quæst. 1, art. 4. — [6] 3 p. tit. 22, cap. 4, § 1.

tur, et a quo omnis jurisdictio et potestas Ecclesiastica dependet.

2° Quod sive Episcopi immediate a Christo, sive a Summo Pontifice prædictam jurisdictionem et potestatem receperint, possunt leges ferre absque positiva et expressa licentia Summi Pontificis, ut habetur in jure[1], dummodo nihil constituant contra jus commune, contra leges pontificias, et modo non fuerit circa res quas sibi Papa reservavit, vel quæ spectant totam Ecclesiam universalem.

Unde non possunt : 1° quæ ad fidei declarationem pertinent statuere; 2° impedimenta matrimonii assignare; 3° Officium divinum mutare; 4° duos Episcopatus unire, vel duos ex uno facere; 5° Clericis tributum imponere[2]; 6° Quadragesimale jejunium mutare; 7° viros præclaros canonizare[3], et alia id genus. Cum his limitationibus intelligendum est illud effatum Canonistarum : *Quod potest Pontifex in sua Ecclesia, id potest Episcopus in sua diœcesi.* Ita Suarez, Salmant., Laym., et communiter.

Quæres 3. *An in Ecclesia, præter legislativam, adsit potestas judiciaria?*

Nota. Potestas judiciaria est illa species jurisdictionis qua controversiæ definiuntur pro tribunali et per sententias, ut fieri solet apud magistratus civiles, ut ad actus scilicet a lege præscriptos implendos cogantur subditi per pœnas, et refractores puniantur.

Resp. *affirm.* Adest in Ecclesia potestas legislativa, ut probatum est supra (et in tract. *de Ecclesia*); atqui potestas legislativa non potest esse sine potestate judiciaria : ergo pariter adest in Ecclesia potestas udiciaria.

Prob. min. Christus Ecclesiam fundavit ad instar societatis hominum visibilis, a Republica civili plane distincta; atqui de ratione veræ societatis est, ut quos imperat actus per leges, ad eos implendos cogere valeat per pœnas, dissi-

[1] Cap. 2 *de Majorit. et obedient.*, et cap. 2 *de Constitutionibus*, in 6. — [2] Cap. *Prohibemus, de Censibus.* — [3] Cap. *de Religiosis domibus.*

dia componere, nocentes mulctis plectere, et alia similia. Ergo, etc.

Præterea, qui vere sunt superiores, pastores superintendentes, necesse est ut habeant auctoritatem dirigendi et coercendi subditos, ut sufficienter et efficaciter eos dirigant ad gubernationis finem; sed constat ex Scriptura Ecclesiæ prælatos esse vere pastores superintendentes, etc. Ergo, etc.

Confirmatur. Ex perpetua consuetudine Ecclesiæ, quæ utraque semper usa est potestate, ut patet ex historiis[1], Balmès[2], Bouvier[3], Bergier[4]. Hinc Joannes XXII, in Bulla *Dudum volentes,* anno 1327, contrariam sententiam profligavit his verbis : *Ad fidei catholicæ fundamentum, de Fratrum nostrorum consilio, Dei nomine invocato,* articulos *prædictos quod..... Papa vel tota Ecclesia simul sumpta nullum hominem quantumcumque sceleratum potest punire punitione coactiva, nisi Imperator daret eis auctoritatem, velut sacræ Scripturæ contrarios, et fidei catholicæ inimicos hæreticos seu hæreticales..... sententialiter declaramus.*

Quæres 4. *Ubinam contineantur leges Ecclesiasticæ generales?*

Resp. 1° Jus Ecclesiasticum, quod vocant *novum,* et incipit a sæculo XII et extenditur ad Concil. Tridentinum continetur in corpore Juris canonici. 2° Jus quod vocant *novissimum,* quodque extenditur a Tridentina ad nostram ætatem, continetur in ipso Tridentino, in Bullis, Brevibus et Rescriptis Summorum Pontificum, in Declarationibus SS. Congregationum, ac Regulis Cancellariæ Apostolicæ, quibus addendum est Jus non scriptum, seu traditiones[5], de quibus dicemus in quæst. 2, et consuetudines[6].

[1] Devoti, *Inst. can.*, lib. III. — [2] *Le Protestantisme comparé ou Catholicisme,* etc. — [3] *De Legibus,* part. 2, cap. 3. — [4] *Diction.*, verbo *Inquisition.* — [5] Devoti, *Inst. can.* Prolegom., cap. 4. — [6] Cap. 1 *de Const.*, in 6.

ARTICULUS II.

UÆNAM SIT MATERIA LEGUM HUMANARUM.

Nota. Certum est 1° Materiam legum humanarum debere esse quid honestum, vel saltem quid indifferens referibile ad bonum commune, ut delatio vel depositio armorum.

Certum est 2° Propriam legum civilium materiam esse bonum communitatis temporale : propriam vero legis canonicæ materiam esse bonum communitatis spirituale; quia nec Principibus laicis concessa est potestas Ecclesiam regendi, licet eam omni ope tueri et protegere debeant; nec Ecclesiæ Pastoribus præcise sumptis datum est a Christo regna moderari.

Certum est 3° Legem non se extendere ad actus præteritos, neque ratione culpæ, cum non sit prævaricatio, ubi non est lex; neque ratione pœnæ, cum nulla debeat esse pœna, ubi non est culpa; neque ratione rescissionis, nisi in aliquo casu a lege expresso. Unde illud adagium : *Lex non respicit retro : (La loi n'a pas d'effet rétroactif.)*

His tanquam certis præsuppositis, duo hic disputari solent : 1° an lex humana possit præcipere actus internos; 2° an modus et finis legis cadant sub præcepto.

§ I.

An lex humana possit præcipere actus internos.

Nota 1. Actus internus potest spectari vel ut *pure internus*, talis est oratio pure mentalis; vel ut *conjunctus cum actu externo.*

Porro, actus internus potest esse conjunctus cum actu externo duobus modis : 1° *per se et intrinsece,* seu tanquam forma constituens actum externum in esse morali cum

nempe necessarius est ut actus externus sit humanus, id est, ut fiat voluntarie et deliberate ut consensus in Matrimonio; vel tanquam causa cum effectu ut sit moralis, id est, bonus vel malus, ut est voluntas occidendi in homicidio voluntario : 2° *per accidens et extrinsece*, cum nempe actus externus, ab interno separatus, non desinit esse humanus vel moralis; sic in oratione facta ad obtinendam peccatorum remissionem, intentio remissionis peccatorum est accidentaliter conjuncta cum oratione.

Nota 2. Præcipere actum internum *directe*, est illum præcipere ratione sui; præcipere actum internum *indirecte*, est illum præcipere ratione actus externi cui conjungitur. His positis, sit

CONCLUSIO I.

Lex humana civilis potest indirecte præcipere actus internos per se conjunctos cum actibus externis; non potest vero præcipere actus mere internos, nec eos qui per accidens tantum sunt conjuncti cum actibus externis.

Prob. prima pars. Qui habet potestatem præcipiendi directe aliquid, habet etiam potestatem indirecte præcipiendi illud sine quo non potest subsistere; atqui lex civilis habet potestatem directe præcipiendi actum externum, qui absque actu interno subsistere non potest : ergo, etc.

Prob. min. Princeps civilis potest directe præcipere juramenti præstationem, bonorum venditionem; atqui juramentum et venditio non possunt subsistere absque interno actu voluntatis consentientis et intendentis : ergo Princeps civilis habet potestatem præcipiendi actum externum, qui absque interno actu subsistere non potest.

Prob. secunda pars. Nulla potestas præcipere potest, nisi ea quæ necessaria sunt ad finem ad quem instituta est, assequendum; atqui finis potestatis civilis est conservatio pacis et tranquillitatis Reipublicæ : ergo potestas civilis non

potest præcipere, nisi ea quæ necessaria sunt ad pacem et tranquillitatem Reipublicæ conservandam; atqui actus mere interni, aut illi qui accidentaliter tantum cum exterioribus sunt connexi, non sunt necessarii ad pacem aut tranquillitatem Reipublicæ conservandam : ergo. Ita omnes.

CONCLUSIO II.

Lex Ecclesiastica : 1° potest præcipere actus internos per se conjunctos cum exterioribus, 2° non potest præcipere actus mere internos; 3° nec probabilius actus internos per accidens cum exterioribus conjunctos.

Prima pars probata manet ex superiori propositione, et ex damnatione harum propositionum : 1° *Qui facit confessionem voluntarie nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.* 2° *Præcepto communionis annuæ satisfit per sacrilegam Dominici corporis manducationem.* Prima damnata est ab Alexand. VII, secunda ab Innocentio XI. Ergo vere ab Ecclesia præcipi possunt actus interni, nimirum attentio, contritio, etc., sine quibus actus externi non possunt esse moraliter boni.

Horum ratio est, quia tunc actus internus cum actu exteriori conjungitur, vel tanquam forma cum actu exteriori: sic intentio ministri requiritur ad baptizandum; vel tanquam causa cum effectu : sic qui prohibet furtum, prohibet etiam voluntatem furti; unde peccaret qui vellet furari. In hoc sensu obligatur Clericus ad resignationem Beneficii et restitutionem fructus illius anni, si recipit cum animo non se ordinandi intra annum, quia talis est conditio legis, quam implere debet velle Beneficiarius.

Prob. secunda pars. De iis Ecclesia non potest ferre leges, de quibus non potest judicare; atqui non potest judicare de actibus mere internis, quia sunt per se occulti, omnino insensibiles, et sic nullo modo probabiles : ergo, etc.

Prob. maj. Vis directiva legis non potest separari ab ejus vi coactiva, alioquin potestas legislativa redderetur inutilis; ad quid enim præciperet actus de quibus judicare non potest in foro contentioso? Atqui lex inutilis non est vera lex : ergo, etc.

Confirmatur 1. Mensura debet esse conformis mensurato; atqui lex est mensura actuum quos præcipit : ergo, sicut lex est actus sensibilis exterior, sic etiam actus imperati per ipsam debent esse exteriores et sensibiles. Ita Salmant.

Confirmatur 2. Ex Innocentio III[1] sic decernente : Ecclesia *non judicat de occultis*, et cap. 34[2] ubi dicit : *Nobis datum est de manifestis tantummodo judicare.*

Confirmatur 3. Ex S. Thom.[3] qui dicit : *De his potest homo legem ferre, de quibus potest judicare : judicium autem hominis esse non potest de interioribus motibus, qui latent, sed solum de exterioribus actibus, qui patent :* ergo, juxta doctrinam Angelici, homo non potest præcipere actus internos.

Objicies 1. Judices Ecclesiastici recipiunt potestatem judicativam a Christo Domino, qui procul dubio in actus internos etiam habet jurisdictionem; atqui Christus talem jurisdictionem concessit judicibus Ecclesiasticis, ut indicare videntur hæc verba · *Quodcumque ligaveritis super terram, erit ligatum et in cœlis.* Sunt enim verba nulli nociva, proindeque late interpretanda . ergo, etc.

Resp. Ex hoc argumento probatur potuisse Christum talem potestatem suis ministris tribuere. Quod autem de facto non tribuerit in ordine ad externam gubernationem, ad quam pertinet legislativa potestas, patet : 1° quia talis potestas, etsi spiritualis, in foro tantum contentioso exercetur, et sic in ordine ad sensibilia duntaxat debet exerceri; 2° quia necessaria non est ad rectam Ecclesiæ gubernationem, ad quam pertinet potestas legislativa.

Inst. 1. Christus tribuit suis ministris potestatem præ-

[1] Cap. 32 *de Simonia.* — [2] Eod. tit. — [3] 1 2, quæst. 19, art. 4.

cipiendi quidquid conducit ad finem ad quem instituta est eorum lex; atqui actus mere interni maxime conducunt ad salutem æternam, quæ est finis proprius legis Ecclesiasticæ: ergo Christus illis talem potestatem concessit.

Resp. *Neg. conseq.* Etenim eo quod ex una parte superiores Ecclesiastici possint præcipere quidquid ad finem conducit ad quem lex instituta est, et ex alia parte, actus mere interni maxime conducant ad vitam æternam, non sequitur propterea superiores Ecclesiasticos potestatem habere in actus mere internos; nam proprius et proximus finis legis Ecclesiasticæ non est vita æterna, sed bonum, pax et ordo Christianæ Reipublicæ, quibus obtentis, coluntur virtutes, acquiruntur merita, et sic operatur vita æterna. Hinc Angelicus[1]: *In iis quæ pertinent ad interiorem motum voluntatis, homo non tenetur homini obedire, sed solum Deo. Tenetur autem homo homini obedire in iis quæ exterius per corpus suum sunt agenda.*

Inst. 2. Concil. Trident.[2] exponit doctrinam de justificatione, districtius inhibendo ne deinceps audeat quisquam aliter credere, prædicare, aut docere, quam præsenti decreto statuitur ac declaratur.

Et Clemens XI, in Bulla *Vineam Domini Sabaoth*, definit quemlibet distincte teneri damnatum in quinque propositionibus Jansenianis sensum, non ore duntaxat, sed et corde ac interius rejicere, nec aliter posse satisfieri Apostolicis contra Jansenium Constitutionibus : ergo, etc.

Resp. *Nego conseq.* Nam Ecclesia prohibet *aliter sentire* aut *credere*, quia jam a lege divina vetitum est : unde non suo, sed Christi nomine, cujus est vicaria prohibet; suo autem nomine prohibet aliter *docere et prædicare*, quia sunt illi actus exteriores et sensibiles; sicut enim Ecclesia fidem non facit, sed infallibiliter eam docet et explicat, sic etiam obligationem non facit circa eam, sed magistraliter ostendit qualis sit divina lex credendi.

[1] 2 2, quæst. 104, art. 5. — [2] In proœmio sess. 6.

Prob. tertia pars : Nempe *lex Ecclesiastica probabilius actus internos*, per accidens *cum exterioribus conjunctos, præcipere non potest*. Est contra Angelum Cajetanum, Charmes et alios, et sic probatur : Illud ab Ecclesia non præcipitur, sine quo finis legis obtinetur; atqui finis legis obtinetur quin actus interior conjunctus tantum *per accidens* cum exteriori præcipiatur : ergo. Etenim, cum actus exterior per accidens duntaxat cum exteriori conjungitur, nullam habet connexionem cum illo ut sit actus virtutis, vel artificiatum morale, sed mere concomitanter se habet : ergo finis legis obtinetur. Ita Bened. XIV[1], S. Thomas, Salmant., et communiter.

Confirmatur. Actus interior duntaxat per accidens cum exteriore conjunctus, nullam habet connexionem cum illo, neque tanquam forma cum formato, neque tanquam causa cum suo effectu : ergo, si caderet sub præcepto, jam directe caderet, et ratione sui : præciperetur vel prohiberetur, non indirecte propter aliud, sed secundum suam substantiam, quod esset contra primam partem hujus propositionis : ergo.

Objicies 2. In *Clement. I*, § *Verum de hæreticis*, excommunicantur inquisitores qui, ex odio, vel amore turpis lucri, omittunt contra aliquem procedere in causa fidei; et *Clement. I, De statu monachorum*, excommunicantur Religiosi Benedictini accedentes ad curiam animo accusandi prælatum; atqui tales actus sunt interni et per accidens duntaxat cum exterioribus conjuncti : ergo, etc.

Resp. *Nego conseq.* Nam Ecclesia potuisset illos actus sub pœna excommunicationis punire ex quoquo motivo ferent; sed pro sua consueta benignitate restrinxit potestatem ad casum ex odio vel turpi lucro positum, ut similiter facit, cum dicit : *Si quis, suadente diabolo, si quis scienter, si quis ex contemptu, vel temerario ausu, hoc vel illud operatur, sit excommunicatus.*

Ergo nulla datur hic in actum interiorem extensio legis,

[1] *De Synod.*, lib. IX, cap. 4.

sed potius restrictio; aliunde, si valeret adversariorum inductio, inferendum esset etiam leges civiles posse præcipere aut prohibere actus internos cum exterioribus per accidens duntaxat conjunctos, siquidem tales actus plerumque puniuntur a lege civili.

QUÆRES 1. *An actus exteriores, sed omnino occulti, qui nullo modo probari possunt, possint per legem humanam prohiberi?*

RESP. *affirm.* Et ratio est, quia tales actus, licet per accidens non possint probari, defectu testium, cadunt tamen sub lege, cum ab intrinseco sint manifesti et sensibiles, et ideo probabiles. Ita S. Thom.[1], Salmant.[2], S. Ligor.[3], et communiter.

Hinc, lex Ecclesiastica prohibet sub excommunicatione hæresim externam, quamtumvis occultam, et homicidium punitur per irregularitatem, quamvis occultum. S. Ligor., Salmant., ibidem.

QUÆRES 2. *An lex humana possit obligare ad virtutum actus heroicos?*

Nota 1. Virtutes ratione exercitii distinguntur in *communes* et *heroicas*. Virtutes *communes* sunt eæ quorum exercitium vires communes non excedit, et ab omnibus possunt coli, quin extraordinarium exerent conatum. — *Heroicæ* vero illæ sunt quorum exercitium, attentis circumstantiis, arduitatem præ se fert, et admirationem parit, magnamque promptitudinem exigit[4].

Nota 2. Quæstio non procedit de legibus quæ quosdam respiciunt homines, qui ad ardua vel ex voto, vel ex officio, vel statu peculiari voluntarie se obligaverint, quem propterea statum vocant *hypotheticum, adventitium,* sive *electivum*. Hos certe lex peculiaris obligare potest ad actus heroicos, cum ad perfectiora teneantur, et tales virtutes profiteri spoponderint. His notatis,

[1] *Quodl.* 4, art. 12. — [2] Tract. IX, cap. 1, part. 6, num. 72. — [3] Lib. I, num. 99, quær. 9. — [4] Bened. XIV, *de Canonisat. SS.*, lib. III, cap. 21.

Resp. *negat.* Nam lex humana debet esse possibilis et communi hominum conditioni accommodata, ut omnibus sit utilis; atqui exercere actus virtutum heroicos non est nisi paucorum : ergo, etc.

Hinc sequitur legem humanam nec posse omnia omnino vitia vetare, etiam levia, in generali, quia solum perfectorum, id est, paucorum, est ea vitare, *siquidem turba non sequitur ad excelsa, non ascendit ad sublimia*[1].

§ II.

Utrum modus finisque legis cadant sub præcepto.

Nota 1. *Per modum legis,* intelligimus ea quæ actui sunt necessaria, ut per eum vere lex adimpleatur, v. gr. ut actus fiat : 1° scienter et voluntarie; 2° ex intentione legis implendæ; 3° propter finem honestum.

Nota 2. *Per finem legis*, intelligimus finem extrinsecum, seu finem a legislatore intentum; nulli enim dubium est quin finis intrinsecus, cum sit ipsa res præcepta, cadat sub præcepto et debeat intendi. Unde

Quæres 1. *An modus legis, ut quis agat scienter et voluntarie, cadat sub præcepto?*

Resp. *affirm.* Nam quod per legem præcipitur, non potest impleri nisi per actum humanum; atqui actus non est humanus, nisi fiat scienter et deliberate : ergo, etc. Hinc

Resolves : Præcepto audiendi Sacrum non satisfacit qui ebrius aut dormiens Sacro interest; sicut nec qui ipsi interest omnino invitus, ita ut nolit attendere et reipsa non attendat ad Sacrum; sicut qui percurrit divinum officium anima discendi, non vero animo orandi, non satisfacit præcepto.

Quæres 2. *An modus legis, ut quis agat cum intentione implendæ legis, cadat sub præcepto?*

Resp. Vel lex est negativa, vel affirmativa : si sit nega-

[1] S. Gregor., cap. 6, post initium.

tiva, talis modus non cadit sub præcepto, fatentibus omnibus, quia per legem negativam prohibetur unice ne quis sciens aut volens faciat id quod est prohibitum, v. gr. ne quis furetur; atqui sine intentione legis implendæ, potest quis non facere sciens et volens id quod per legem prohibetur : ergo, etc. Sic, qui non furatur, quia non cogitat de furto, tam implet præceptum non furandi, quam qui non furatur, quia cogitat furtum esse prohibitum.

Si vero lex sit affirmativa, quidam requirunt intentionem, saltem interpretativam, ex axiomate : *Actus hominis ultra intentionem ejus non operantur;* ergo, inquiunt, ut quis legi satisfaciat, necesse est ut agat ex intentione legis implendæ; talis enim actus debet esse actus obedientiæ. Ita Charmes cum Medina, Sedesma, etc.

Sed verius dicendum est ad legem implendam non requiri intentionem satisfaciendi; ratio est, quia præceptum non obligat ad obedientiam formalem, id est, ut res fiat quia præcipitur, sed solum ad materialem, hoc est, ut fiat quod præcipitur. Imo nec obstat intentio contraria non satisfaciendi, modo actus ponatur modo humano ac libero, ut sapienter docent Antoine, Tournely, Croix, Lessius et alii communissime. Ratio est, quia præceptum solum jubet rem faciendam, qua semel ergo posita, jam non est in potestate operantis, ut lex non dicatur impleta. Peccabit tamen iste, non quia frangit præceptum positivum humanum, sed quia operatur contra præceptum naturale, prohibens habere animum non adimplendi præceptum, nisi habuerit intentionem aliter satisfaciendi, ut non incurrat censuras, si quæ sint latæ contra transgressores legis.

Ad adversariorum rationem, respondetur illam procedere solum in iis quæ pendent a voluntate operantis, ut sunt vota, juramenta, ut mox dicemus, etc.; non vero in iis quæ pendent a voluntate legislatoris.

Dixi *modo actus ponatur modo humano ac libero;* nam actus simpliciter liber, tametsi metu gravi positus, est

adimpletivus præcepti, quia metus quamtumvis gravis, quamvis secundum quid minuat libertatem, eam simpliciter non tollit, et cum res præcepta sit actus simpliciter liber satisfacit præcepto qui actum ex metu exhibet.

Resolves 1. Pueri qui metu flagellationis Missam audiunt, satisfaciunt præcepto audiendi Sacrum.

Resolves 2. Qui audit Missam, nolens positive satisfacere præcepto, illi satisfacit. Qui audit Missam eo die quem festivum novit, sed non vult præcepto satisfacere, quia vult eidem satisfacere per alterius Missæ, puta solemnis, auditionem, satisfecit præcepto.

Quæres 3. *Utrum idem dicendum sit de his quæ procedunt a propria voluntate operantis?*

Resp. 1. In iis quæ procedunt ex propria voluntate operantis, id est, quæ debentur ex promissione, voto, juramento, operans non satisfacit, si suum opus alteri fini particulari destinaverit, cum sit suæ voluntatis dominus ad se obligandum et ad se deonerandum.

2. At voluntas virtualis et interpretativa requiritur et sufflt : hinc, si quis immemor voti, præstet opus debitum, bene satisfacit voluntate generali, quam quisque censetur habere satisfaciendi prius obligationibus, quam iis quæ sibi postea sua voluntate imposuit.

Idem dicendum esse, propter paritatem rationis, de pœnitentia sacramentali per confessarium injuncta, docent S. Ligor., Sporer, Suarez, Lessius, Azorius, Layman, et communiter.

3. Qui ignorans, vel non advertens ad diem festum, Missam audit devote, satisfacit præcepto, nec aliam tenetur audire, postquam resciverit esse diem festum.

Quæres 4. *An modus legis, ut quis agat ex fine honesto, cadat sub præcepto?*

Resp. Certum est apud omnes non cadere sub præcepto legis civilis, quia potestas civilis præcipit tantum actus ad externum regimen politicum conducentes; atqui ad hunc

finem conducere possunt, etiamsi non fiant propter finem honestum et virtuosum : ergo, etc.

Quoad legem Ecclesiasticam, quidam affirmant, quia Ecclesia præcipit actus ad salutem æternam conducentes; sed actus hominis, inquiunt, ad hunc finem conducere nequeunt, nisi fiant propter finem honestum et virtuosum : ergo, etc. Hinc inferunt Clericum qui divinum celebrat officium principaliter propter retributionem temporalem, præcepto non satisfacere.

At verior et communis sententia *negat*, nisi præceptum positum sit in illo actu virtutis, v. gr. præcepto confessionis et communionis, quorum primum contritionem, et alterum gratiæ statum necessario requirunt. Ratio est, quia cum pure et simpliciter actus præcipitur, opus ponendo libere, totum ponitur quod a legislatore præcipitur. Ecclesia præcipit quidem res per se et materialiter ad salutem æternam conducentes, at virtus et salus æterna sunt finis præcepti, non id quod præcipitur. *Intentio enim legislatoris est de duobus*, inquit Billuart, *de uno quidem quod non intendit præcipere, sed ad quod intendit per præceptum legis inducere, et hoc est virtus, quod est finis legis. — Et aliud est de quo intendit præceptum ferre; et hoc est quod tanquam medium inducit vel disponit ad virtutem. Non enim idem est*, inquit Angelicus[1], *finis præcepti, et id de quo præceptum fertur, sicut neque in aliis rebus idem est finis et medium ad finem.* Ex qua doctrina natum est illud axioma : *Finis præcepti non cadit sub præcepto.*

Secundus igitur, id est finis legislatoris, cadit sub præcepto, non primus, id est, finis præcepti.

Resolves 1° Militem fortiter pugnantem ex vana gloria, implere præceptum ducis, licet peccet contra legem naturalem, quæ præcipit ut bonum bene fiat. 2° Clericum qui celebrat officium principaliter propter retributionem temporalem, præcepto satisfacere, licet mortaliter peccet, ut

[1] 1 2, quæst. 100, art. 9, ad 2.

docet Div. Thomas[2]. 3° Eum qui jejunat, satisfacere præcepto jejunii, licet non intendat macerationem corporis. 4° Eum qui modo pure naturali rem alienam domino restituit, vel eum qui eleemosynam injunctam pauperibus elargitur cum vana gloria, satisfacere præcepto, quamvis omnes peccent contra virtutes quibus fines illi opponuntur. 5° Sacerdotem qui legit Horas non ea devotione qua voluit, ideoque proposuit ad satisfaciendum præcepto repetere, etsi deinde non repetat, satisfecit tamen præcepto. Ita Suarez, Lugo, Gonet, etc.

ARTICULUS III.

QUALIS ESSE DEBEAT PROMULGATIO LEGUM HUMANARUM.

Nota. Quid sit promulgatio, jam dictum est supra; at *certum est* 1° Leges Imperiales non prius obligare, quam in singulis provinciis fuerint promulgatæ; imo non obligare in provinciis ubi promulgatæ sunt, nisi post elapsum bimestre a die promulgationis; id enim sancitum est authentica 66 Justiniani *Ut factæ novæ constitutiones*, quæ Juris dispositio valet pro Principibus Imperatori subditis, cum teneantur servare jus commune Imperii, hac enim conditione principatum acceperunt.

Certum est 2° Reges et Principes Imperatori Romano non subditos, non teneri authenticæ citatæ se conformare; quare sufficit ut eorum leges promulgentur in uno loco, ex quo ad alia loca possint commode divulgari, nisi aliud ipsi statuerint, vel nisi consuetudo legitime præscripta obstet; ratio est, quia talis promulgatio ex natura rei sufficit ad obligandum subditos.

Porro, in omnibus fere regnis usus invaluit, ut novæ leges in omnibus provinciis promulgentur, nec aliter singulas provincias obligent; at in Gallia leges regiæ obligant

[1] *Quodl.* art. 11.

statim ac relatæ fuerint in Diario scheda legum (dans le *Bulletin des lois*).

Superest ergo inquirendum, an pontificiæ leges non prius in singulis regnis ac provinciis obligent, quam in illis promulgatæ fuerint; negant communiter et verius DD. docentes sufficere promulgationem factam in Curia. Econtra plures alii *qui quæstionem illam attigerunt, necessariam esse per singulas provincias legis Ecclesiasticæ promulgationem contendunt,* ait illustr. de Marca[1]. Igitur sit.

CONCLUSIO.

Leges pontificiæ ante obligant quam in singulis provinciis promulgatæ fuerint, et sufficit ut Romæ promulgentur.

Prob. Satis est quod leges pontificiæ promulgentur Romæ, ut vim habeant obligandi ad quos leges illæ pertinent, si 1° Pontifices sic *possunt;* 2° si sic *volunt,* 3° si sic fert *usus* et *consuetudo;* atqui hæc tria constant : ergo, etc.

Prob. min. per partes.

1° *Possunt* Pontifices; nam si inconfessum est apud omnes quod lex, ut vim habeat obligandi, debet esse promulgata, ut ad notitiam subditorum pervenire possit; non minus certum est, fatentibus adversariis, promulgationis modum ab arbitrio et intentione legislatoris tum civilis tum Ecclesiastici, pendere : ergo Pontifices possunt.

2° *Volunt :* nam Bullæ pontificiæ, ut plurimum, juxta usum receptum, inquit S. Ligorius[2], Romæ duntaxat solent publicari, affigendo edictum ad valvas S. Petri, declarando plerumque Constitutiones *sic publicatas ab omnibus ad quos spectant perinde habendas esse, ac si unicuique illorum personaliter intimatæ fuissent vel exhibitæ :* ergo volunt.

3° *Sic fert usus* et *consuetudo.* Siquidem facta hujusmodi promulgatione, omnes causæ quæ ad Romanam

[1] Lib. II *de concordia Sacerdotii et Imperii,* cap. 15.—[2] Lib. I, num. 86.

Curiam referuntur, judicantur juxta regulas Cancellariæ et alias leges eo modo promulgatas. Unde Bullæ, Decreta juris canonici et Conciliorum publicantur vel Curiæ Romanæ, in qua fere ex omnibus provinciis gentes concurrunt, vel in Concilio generali, in quo ex omnibus gentibus personæ adsunt. Ita Bened. XIV[1], S. Ligor.[2], Salmant., Vasq., Diana, Laym., Suarez, et communiter contra plures. — Sufficit autem ut lex solemniter publicetur in locis unde possit pervenire ad notitiam majoris partis communitatis, quia proclamatio non est divulgatio.

Objicies 1. Leges civiles non ante obligant quam in singulis provinciis promulgatæ fuerint : ergo nec leges pontificiæ.

Prob. conseq. Dum in jure canonico nihil circa quidpiam statutum est, servandum est jus civile, ut definit Lucius III[3], his verbis : *Sicut leges non dedignantur sacros canones imitari, ita sacrorum statuta canonum Principum constitutionibus adjuvantur. Subsumo :* atqui circa legum canonicarum promulgationem in singulis provinciis faciendam, nihil statutum est in jure canonico : ergo circa eamdem standum est juri civili.

Resp. *Nego conseq.* et ad probationem *nego ant.*, quia jus civile tunc non est servandum per obligationem aut necessitatem, sed tantum per imitationem ; unde textus allatus utitur verbo *adjuvantur,* quod non importat præceptum sequendi eam. Sed esto esset præceptum, *dist. ant.:* in judiciis et sententiis a judicibus particularibus latis, *conc.;* in legibus ferendis a suprema et independente potestate pontificia, *nego.* Ratio patet ex probatione.

Objicies 2. Illud servandum est, quod in praxi semper Ecclesia servavit; atqui Ecclesia semper suarum legum promulgationem in provinciis summa sollicitudine ac diligentia fieri curavit.

Prob. min. Sic Apostoli decretum in Concil. Jerosolymi-

[1] *De Synod.*, lib. XIII, cap. 4. — [2] Ibid. — [3] Cap. 1 *De novi operis nuntiatione.*

tano[1] editum miserunt his qui erant *Antiochiæ et Ciliciæ, per Judam et Silam viros primos in fratribus.*

Sic Concil. Lateran. IV (sub Innocent. III) statuit ut constitutio quam ediderat contra medicos, qui non monent infirmos ut quamprimum ad medicos animarum recurrant, robur habeat *postquam per prælatos locorum fuerit publicatum.*

Sic Concil. Trident.[2] *decernit ut hujusmodi decretum* quo matrimonia clandestina irritantur, ut in unaquaque parochia suum robur post *triginta dies habere incipiat, a die primæ publicationis in eadem parochia factæ numerandos.*

Resp. *Nego min.* Siquidem contrarium probavimus supra. Textus vero allegati in probationem minoris, nedum adversariis suffragantur, imo maxime probant quod cum Sedes Apostolica, vel Concilium generale, vult aliquam legem non obligare ante promulgationem in provinciis vel diœcesibus, id expresse declarat, ut recte notat S. Ligorius[3]. Etenim, si sententia adversariorum esset vera, ut quid prædictæ clausulæ in quibusdam tantum, non vero in omnibus legibus apponuntur? Sunt ergo exceptiones regulam confirmantes. Adde quod si ex prædictis textibus esset arguendum, sequeretur omnes omnino leges canonicas esse publicandas in unaquaque parochia, ut exigit Tridentinum pro lege contra clandestinitatem, quod certe adversarii non admittunt.

Nota. Adversarii tamen semper excipiunt Bullas incertas in Bullario, quoniam hæ jam sunt corpus legum; *item* Constitutiones in materia fidei et morum, quia nihil novi continent, sed sunt meræ juris naturalis et divini jam sufficienter promulgati declarationes.

Resolves : Si quis post promulgationem legis factam in Curia Romana, illius notitiam haberet, vel per litteras, vel etiam per revelationem, teneretur ad illius observantiam[4].

Quæres 1. *Utrum Episcopi teneantur promulgare aut*

[1] Act. xv, 33. — [2] Sess. 24 *de Reform. matrim.* — [3] Loc. cit. — [4] Salmant., tract. xi, cap. 1, p. 8, num. 88; S. Ligor., lib. i, num. 96.

curare ut alii servent omnia Statuta pontificia Romæ promulgata?

Resp. *negat.* Si Pontifex non significat opus esse alia publicatione, et non præcipiat Ordinariis, ut servari faciant eam legem, nec populis conservent, nisi rationabiliter fructum pro loco sperent; nam mens Pontificis generalem legem præscribentis est ut Ordinarii legem observari vel promulgari curent, quando cum fructu fieri potest. Interdum qui illius notitiam habent, eam servari debent, si legitima non obstet causa. Ita Sylvius, Diana, Wiggers, Maldero apud S. Ligor.[1].

Hinc cum agitur de legibus pontificiis quæ aliquem infirmant contractum suapte natura validum, vel quæ jurisdictionem auferunt, v. gr. in sacramento Pœnitentiæ, benigne interpretari possumus mentem esse Pontificis, eas ante non esse obligatorias, quam in diœcesibus publicentur, quia pluribus eas ignorantibus in maximum essent detrimentum; aliter dicendum est de legibus irritantibus aliquem actum ob solemnitatis defectum. Vide S. Ligor.[2], Suarez, Navarr., Sanchez et alios.

Quæres 2. *An ut lex obliget, requiratur aliquod temporis spatium a promulgatione?*

Resp. Si legislator aliquod tempus determinavit, patet quod lex non obliget, donec illud tempus effluxerit. — Si nullum tempus est determinatum, triplex est sententia. *Prima sententia* dicit legem statim omnes obligare, quia lex jam in suo esse integro constituitur. — *Secunda sententia* docet statim obligare eos qui in Curia sunt, non autem alios, nisi post sufficiens tempus plus minusve longum, juxta distantiam locorum. — *Tertia sententia probabilior* tenet legem non obligare nec in Curia existentes, nec extra, nisi post tempus sufficiens ut leg's notitia ad omnes moraliter perveniat, quod taxatur arbitrio prudentum ad duos menses, nisi agatur de locis dissitimis et transmarinis.

[1] II Lib. I, num 96. — [2] Ibid.

ARTICULUS IV.

AN, UT LEX HUMANA OBLIGET, REQUIRATUR CONSENSUS SIVE ACCEPTATIO POPULI.

Nota 1. Hæc quæstio procedit de legislatore absoluto, hoc est, qui vel a Deo, ut Papa et Episcopus, vel a communitate, ut purus Monarcha, potestatem accepit absolutam et sine dependentia a populi acceptatione. Potest enim communitas civilis cum aliquem suo regimini præficit, potestatem legislativam ei conferre cum hac limitatione, ut leges ferre non possit, vel sine consensu majoris partis optimatum, ut in regimine *aristocratico;* vel majoris partis populi, ut in regimine *democratico;* de quo intelligi debet istud Justiniani[1] : *Leges nulla alia ex causa nos tenent, quam quod judicio populi receptæ sunt.*

Nota 2. Certum est populum peccare, qui legem justam non accipit, ex proposit. 28 damnata ab Alexand. VII, quæ dicebat : *Populus non peccat etiamsi absque nulla causa non recipiat legem a Principe promulgatam.* Ratio est, quia, etsi lex non obligaret nisi populus eam acceptaret, tamen Princeps jus habet ut subditi leges suas justas recipiant. His notatis, sit contra Cabass., Bonac., Becan et quosdam alios

CONCLUSIO.

Ut lex obliget, non requiritur consensus sive acceptatio majoris partis communitatis.

Prob. Ea lex non pendet ab acceptatione majoris partis communitatis, quæ ad sui acceptationem obligat; atqui lex humana a legislatore absoluto absolute lata ad sui acceptationem obligat, juxta illud Apostoli[2] : *Qui potestati*

[1] Cap. 3, ff. *de Legib.* — [2] Rom. XIII, 2.

resistit, Dei ordinationi resistit. Ergo non pendet ab acceptatione. Ergo, sicut præceptum legitimi Superioris obligat subditum independenter ab acceptatione subditi, ita lex, quæ est commune præceptum, obligat communitatem independenter ab acceptatione communitatis.

Ita Suarez, Laym., Salmant., S. Ligor., etc.

Objicies 1. Illud Gratiani[1] : *Leges instituuntur quando promulgantur; firmantur, cum moribus utentium approbantur :* ergo, etc.

Resp. *Nego conseq.* Nam leges per usum firmantur non hoc sensu, quod per usum accipiant vim obligandi; leges enim habent vim obligandi cum instituuntur; atqui, ex prima parte canonis, *instituuntur cum promulgantur :* ergo. Sed eo sensu quod per usum eximantur a periculo abrogationis; leges enim quarum observatio negligitur, tandem abeunt in desuetudinem, vel a Principe, nimiæ populi resistentiæ cedente, relaxantur.

Objicies 2. Legislator civilis accipit potestatem legislativam a communitate : ergo ejus leges non obligant nisi dependenter a consensu communitatis.

Resp. *Nego conseq.* Quia semel ac populo in Principem simpliciter et absolute translata potestate legislativa, populus eidem obsequi tenetur, eodem modo quo famulus tenetur obtemperare præceptis heri sui, licet sponte se illius obsequio addixerit.

Inst. Potestas legislativa absolute et sine limitatione concessa, non est bene instituta : ergo nemini est concessa.

Resp. *Nego ant.* Imo potestas legislativa esset pessime concessa, si non includeret vim compellendi subditos ad ea observanda quæ bono regimini Reipublicæ necessaria vel utilia sunt, et hoc eo verius est, quod pars major soleat esse deterior; quæ si cogi non posset, et valor legis ab ejus nutu penderet, optimæ leges fere semper rejicerentur.

[1] Cap. *In istis*, dist. 4.

OBJICIES 3. Consuetudo potest abrogare legem jam obligantem : ergo multo magis prævenire potest ne obliget.

RESP. *Dist. ant.* Consuetudo legitime præscripta, *conc. ant.;* consuetudo non legitime præscripta, *nego ant.* Porro, ideo consuetudo legitime præscripta legem abolet, quia Princeps tunc consentit tacite ut lex sua in desuetudinem abeat : non mirum est autem, si lex, quam Princeps tacite revocat, non amplius obliget.

OBJICIES 4. Lex a majori parte communitatis non recepta, est inutilis ac nociva : ergo non est vera lex.

RESP. *Dist. ant.* Est nociva ex malitia populi, qui ideo peccat eam non recipiendo, *conc. ant.;* ex seipsa, *nego ant.;* nam fertur propter bonum commune.

INST. Illa lex non est vera, quæ non potest cogere subditos ad sui observantiam; atqui lex quæ non observatur a majori parte communitatis, non potest cogere ad sui observantiam; nam adversus majorem partem communitatis non suppetit vis coactiva : ergo, etc.

RESP. *Nego min.* Nam, licet non possint omnes delinquentes puniri, at possunt ex multis aliqui ad pœnam deligi, *ut et cæteri timorem habeant*[1]. Cavere tamen debet legislator, ne urgendo executionem legis contra majorem partem communitatis, plus mali vel perturbationis afferat quam utilitatis; talis enim lex non expedit bono communi.

OBJICIES 5 Quando leges aliquæ non servantur a majori parte, licet deteriori, non tenetur pars minor eas servare : ergo valor legis p ndet a consensu majoris partis.

RESP. *Nego ant.* Quod si verum esset, plurimæ leges non obligarent bonos et timoratos, quia a majori et deteriori parte non servantur; quod est falsum si excipiantur duo casus : 1° quando legislator tacite consentit ut leges non serventur a minori parte, ob resistentiam vel non usum majoris partis; 2° cum non possunt servari leges

[1] I ad Timoth. III, 20.

a minori parte sine suo gravi incommodo[1]. Ex quibus apparet sæpius evenire, ut qui legem primi transgrediuntur, graviter peccent, immunes vero sint ab omni culpa qui eam postea negligunt.

ARTICULUS V.

QUINAM LEGIBUS HUMANIS TENEANTUR.

Nota. Certum est omnes et solos subditos, rationis usum habentes, subdi legibus humanis.

Dixi 1° *omnes et solos subditos :* quia potestas legislativa subjectionem in aliis essentialiter connotat : ergo non potest exerceri nisi in subditos, ut definit Clemens III[2]. Unde

Resolves 1. Infideles non baptizatos teneri legi Baptismi et aliis præceptis Evangelicis, quia subditi sunt Deo, qui omnibus legem Evangelicam imposuit; non tamen tenentur legibus mere Ecclesiasticis, quia non sunt Ecclesiæ subjecti, juxta illud Apostoli : *Quid ad nos de his qui foris sunt judicare?* Hinc, secluso scandalo et contemptu legis Ecclesiæ, non peccant qui carnes eis ministrant die vetito, quia nullius peccati, ne quidem materialis, sunt causa.

Resolves 2. Hæreticos teneri legibus Ecclesiasticis, quia per baptismum sunt subditi Ecclesiæ, quamvis rebelles.

Dixi 2° *rationis usum habentes :* quia lex non imponitur nisi subditis obedientiæ et directionis capacibus; atqui qui non habent usum rationis, non sunt obedientiæ et directionis capaces : ergo, etc. Unde

Resolves : Perpetuo amentes ac pueros ante usum rationis, qui carnes manducant diebus prohibitis, non peccare, sicut nec ii qui illis carnes administrant aut opera servilia imponunt festis; contra peccarent, qui ebriis et ad tempus delirantibus carnes darent comedendas die vetito, quia

[1] Vide Pontas, verbo *Dimanche*, cas. 7. — [2] Cap. *A nobis, de Sent. excom.*

sunt in statu habituali usus rationis, licet per accidens pro aliquo tempore impediti : nam non licet peccato alieno materiali cooperari.

Regulariter autem dicunt Doctores : 1° hunc usum rationis judicandum advenire expleto septennio ; 2° quædam excipienda esse quorum materia non adhuc ipsis pueris congruit, ut communio paschalis ac jejunium.

An vero pueri teneantur legibus, si ante septennium perveniant ad usum rationis, alii non improbabiliter negant cum Angelico[1], quia leges attendunt solum ad ea quæ communiter contingunt. Alii probabilius affirmant. Ratio, quia leges non septennium, sed usum rationis postulant. — Omnes tamen admittunt pueros ante septennium non obligari ad pœnas, nisi id expresse declaretur[2].

Dices : Infantes tempore interdicti privantur Ecclesiastica sepultura ; item, obligantur ad Baptismum : ergo legibus adstringuntur.

Resp. *Nego conseq.* Ad hæc enim tenentur, non quia subjacent præceptis Ecclesiæ, sed : 1° quia privantur sepultura in interdicto generali in pœnam aliorum et in interdicto locali ob incapacitatem loci, in quo nemo sepeliri debet ; 2° quia Baptismus est medium sine quo salus obtineri non potest. His tanquam certis positis,

Restat solvendum : 1° utrum legislator ipse ; 2° Clerici ; 3° peregrini, advenæ et vagi teneantur legibus humanis.

§ I.

Utrum legislator suis legibus obligetur.

Nota 1. Hic agitur de legislatore habente potestatem legislativam absolutam et independentem a communitate ; certum est enim duces Rerumpublicarum teneri legibus quas cum Republica tulerunt, et Generales Ordinum legibus

[1] 2 2, quæst. 147, art. 4. — [2] Vid. S. Ligor., lib. I, num. 155 ; lib. III, num. 270 et 1012.

in Capitulo generali latis, quia sunt inferiores communitati a qua leges feruntur.

Nota 2 Item agitur de legibus quarum materia convenit Principi et subditis: tales sunt leges quæ præcipiunt communionem paschalem, taxant pretia rerum, etc.; legislator enim non teneretur lege prohibente armorum gestationem. Itaque

CONCLUSIO.

Legislator non tenetur proprie suis legibus, neque quoad vim coactivam, neque quoad vim directivam; sed ad eas servendas tenetur vi legis naturæ dictantis ut Superior suis subditis præeat exemplo, hoc tamen sub levi tantum præciso scandalo et alterius damno.

PROB. PRIMA PARS. Quia qui non est subditus, non tenetur legibus; atqui legislator non est sibi nec prædecessoribus suis subditus : ergo, etc.

PROB. SECUNDA PARS. Quia æquitas quædam et ratio naturalis dictat Principem debere vita et moribus concordare cum subditis in iis quæ ipsi æque ac subditis conveniunt: si enim, ut ait August.[1], *turpis est omnis pars suo universo non congruens*, quanto magis caput non congruens? Hinc illa utriusque juris axiomata : *Justum est Principem legibus obtemperare suis*[2]; et : *Digna vox est majestate regnantis, legibus alligatum se Principem profiteri*[3].

Dixi *sub levi* : 1° *præciso scandalo*, quia ex honestate tantum probabiliter obligatur; — 2° *præciso alterius damno*, quia in rebus justitiæ commutativæ, obligatur ex æquitate. Superior tamen etiam publice delinquens, non incurrit pœnam quam ipse transgressoribus imposuit, nullus enim proprie cogitur a seipso. Ita S. Thomas.

OBJICIES CONTRA PRIMAM PARTEM. Axiomata juris citata videntur significare Principem adstringi legibus suis : ergo.

[1] Lib. III *Confess.*, cap. 2. — [2] Cap. *Justum*, dist. 9. — [3] Lib. IV, eod. *de leg.*

Resp. *Nego ant.* Significant enim præcise Principem teneri leges suas observare, sed non explicant unde oriatur talis obligatio; dico autem illam oriri non ex legibus Principis, sed ex jure naturali : lex ergo a Principe lata, est tantum occasio, seu conditio obligationis, quæ ex æquitate naturali oritur.

Inst. 1. Licet Princeps non teneatur vi coactiva legis suæ, tenetur saltem vi directiva Ergo tenetur proprie lege sua.

Prob. ant. Vis directiva non videtur necessario requirere superioritatem in eum quem obligat : ergo Princeps proprie tenetur, etc.

Resp. *Nego ant.* Nam, sicut vis coactiva legis non agit nisi in subditum, ita nec vis directiva, ac proinde utraque supponit superioritatem ex parte legislatoris; alioquin lex non dirigeret nisi per modum regulæ consulentis, non obligantis.

Inst. 2. Princeps, transgrediendo legem, committit idem specie peccatum cum subditis eam transgredientibus, v. gr. peccatum injustitiæ, si vendant triticum ultra pretium a se taxatum lege communi. Ergo tenetur sua lege quoad vim directivam.

Resp. *Nego conseq.* Nam ex antecedente sequitur tantum quod jus naturale Principem obliget ad servandam legem suam ex affectu virtutis quam præcipit.

Inst. 3. cum Suarez. Deus dedit potestatem legislativam hominibus, ea tantum conditione, ut leges, si sint universales, comprehendant ipsum legislatorem : ergo proprie illum obligant.

Resp. *Nego ant.* Deus enim non potest dare potestatem legislativam sub tali conditione, quia non potest facere ut idem sit sibi superior et subditus judicide : ergo nec facere ut legislator se lege sua comprehendat; sed solum potest velle, et de facto vult et per lumen naturale præcipit, ut Princeps servet leges suas, quando materia est ipsi cum subditis communis; sed aliud est Deum velle ut Princeps

servet leges suas, et aliud velle ut teneatur ex vi suarum legum : illud verum est, et inde nascitur obligatio principis; hoc autem impossibile defectu jurisdictionis in seipsum.

Objicies contra secundam partem. Non videtur lex naturalis Principem ad servandas leges suas obligare posse, nisi ratione scandali; sed hæc obligatio non sufficit; alioquin, remoto scandali periculo, posset Princeps non servare leges suas, quod falsum : ergo, etc.

Resp. *Nego maj.* Et dico legem naturalem Principi hanc obligationem imponere, non tantum ratione scandali, sed etiam ratione boni communis, rectæ gubernationis et necessariæ conformitatis cum subditis; et sic obligatur Princeps, etiam extra scandali periculum.

Inst. Bonum commune rectaque gubernatio non exigit necessario ut omnia membra communitatis vivant conformiter in iis quæ omnibus accommodata sunt. Ergo Princeps non tenetur necessario conformari cum subditis.

Resp. *Nego ant.* — *Prob. ant.* Si hoc esset, Princeps non posset dispensare aut privilegia concedere, falsum consequens : ergo, etc.

Resp. *Dist. sequelam.* Non posset dispensare aut privilegia concedere sine justa causa, *conc. seq.;* cum justa causa, *nego seq. maj.* Itaque Princeps, si justa causa subsit, potest dispensare a sua lege subditos quidem proprie, seipsum vero improprie, quatenus interpretatur legem naturalem ipsum non obligare ad legem suam servandam, quando habet rationabilem causam, ob quam ipse subditum merito ab ejus obligatione liberaret, cum non sit deterioris conditionis quam subditi.

§ II.

An Clerici legibus civilibus obligentur.

CONCLUSIO.

Clerici obligantur legibus civilibus, salva tamen eorum immunitate.

PROB. Omnes partes communitatis politicæ obligantur legibus politicis; atqui Clerici sunt partes communitatis politicæ, de quibus, sicut et de aliis, dicit Apost.[1]: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Quem locum interpretans, Theodoretus ait : *Et Sacerdos, et Antistes, et monasticam vitam professus, iis debent parere, quibus demandati sunt Principibus.*

Resolves : Ecclesiasticos teneri vendere pretio per leges taxato, observare formalitates contractuum, non extrahere merces extra territorium, etc.

Dixi *salva tamen eorum immunitate :* quæ, ut ait Trid.[2], *Dei ordinatione et canonicis sanctionibus constituta est,* et quæ præcipue consistit in immunitate a vectigalibus et tributis, ut declaratur in utroque jure canonico[4] et civili[3], nisi per concordata aliter ordinetur.

DICES : Principes sæculares, etiam pietate præstantes, a Clero plerumque pecuniarum subsidium exigunt : ergo non sunt exempti a lege tributorum.

RESP. *Nego conseq.* Quia illud subsidium non auctoritate absolute, sed gratiose postulant, et a Clero gratis et libere conceditur; unde vocatur *donum gratuitum.*

Nota tamen duos esse casus, in quibus Clerici Principibus sæcularibus tributa solvere tenentur.

Rom. III, 1. — [2] Sess. 25 *de Reform.*, cap. 20. — [3] Cap. *Clericis, de immunitate Ecclesiarum.* — [4] L. *Casta*, et 1 *Sancimus, de sacrosanctis Ecclesiis.*

1° Si bona quædam titulo laico possideant, quia illa bona onus suum non amittunt, ex eo quod ab Ecclesiasticis possideantur.

2° Si necessitas, ob quam tributa exiguntur a laicis, non minus ipsos quam laicos concernant, ut si infideles regnum devastarent, si pestis grassaretur, inundatio immineret, etc.

§ III.

An peregrini, advenæ et vagi teneantur legibus.

Nota 1. Peregrini, advenæ et vagi inter se differunt.

Peregrinus est is qui, e loco domicilii sui egrediens, transit per aliquem locum, vel ibi moratur ad tempus, cum animo ad sua revertendi.

Advena est is qui extra patriam suam domicilium fixit.

Vagus est qui nullibi domicilium fixum habet, ut milites.

Nota 2. Certum est præcepta personalia, quæ nimirum non afficiunt immediate territorium, sed personas, illas obligare ubicumque fuerint, quia ipsas semper afficiunt.

Hinc, Sacerdos in sua diœcesi a muneribus sacerdotalibus suspensus, non potest in aliena diœcesi celebrare. His positis, sit

CONCLUSIO 1.

Peregrini et advenæ non tenentur legibus localibus suæ patriæ; unde non peccant eas non servando, nisi absint in fraudem, vel fictione juris censeantur ipsas in propria patria transgredi.

Prob. Quia legislatoris jurisdictio est ita affixa proprio territorio, ut extra illud non extendatur : ergo non potest obligare eos qui extra territorium existunt; unde Bonifacius VIII [1] definit pœnam latam per statutum Episcopi,

[1] Cap. 22 *de Constit.*, in 6.

non incurri ab eo qui extra illius territorium non servat tale statutum; cujus definitionis rationem reddens, ait : *Cum extra territorium jus dicenti, non pareatur impune.* Quæ ratio desumitur ex jure civili[1]. Hinc

Resolves 1. Eum qui bona fide e propria diœcesi, ubi diebus sequentibus erit jejunium et dies festus, transit in alienam diœcesim, ubi neutrum est præceptum, nec jejunii, nec Missæ audiendæ, legibus teneri, etiamsi sit lex Ecclesiæ universalis, quæ, ex privilegio aut consuetudine legitima, non servatur in loco ubi bona fide se transtulit, quia consuetudo localis spectat omnes qui sunt in loco.

Resolves 2. Eum qui peccatum reservatum commisit, sive illud in sua, sive in aliena diœcesi commiserit, posse in aliena diœcesi, ubi non est reservatum, absolvi a communi Confessario.

Dixi 1° *nisi absint in fraudem :* quia lex est generalis ubique recepta et obligans : *Nemini fraus sua patrocinari debet*[2]. Et vero qua ratione servari posset ordo, si cuique liceret Ecclesiæ leges fugiendo eludere?

Quid vero sit abesse *in fraudem legis*, non facile determinatur in genere. Unde quærunt Doctores, utrum adhuc territorii legibus teneatur peregrinus, qui e proprio territorio ideo egreditur, ut se a legibus subducat?

Alii affirmant cum Antoine, Collet, Concina, etc.: 1° quia nulla ratione servari posset ordo, si cuique liceret Ecclesiæ leges fugiendo eludere; sed qui e proprio territorio egreditur, eo tantum ut se legibus subducat, eas eludit : ergo. — 2° Quia, ex prædicto juris adagio, *nemini sua fraus debet patrocinari;* sed qui sine causa se subtrahit a lege, agit in fraudem legis, eam reddendo illusoriam : ergo sibi sua fraus non debet patrocinari : ergo legibus tenetur. 3° Quia sacra Congregatio Concilii Trident. illegitimum declaravit matrimonium illorum qui e territorio ubi Tridentinum fuit promulgatum, in territorium ubi non fuit promulgatum

[1] Leg. ult., ff. *de Jurisdict.* — [2] Cap. *Si vir, de Cognat. spirit.*

se transferunt, eo animo præcise ut ibi clandestine contrahant. Ergo, etc.

Alii autem negant cum Azorio, Bonacina, Filiucio, Palao, Salmant., Sanchez, etc. Ratio, quia certe ille non agit in fraudem legis, nec commodum ex dolo dicitur reportare, qui suo utitur jure; sed qui e proprio territorio egreditur quacumque de causa, utitur suo jure; neque enim lex præcipit inde non exire, sed quod ab existentibus in illo loco observetur, unde sartæ tectæ servantur leges, et sic respondetur ad primam et secundam adversariorum rationem.

Quod ad sacræ Congregationis declarationem attinet, ad rem non facit. Nam ipsi contrahentes qui proprium territorium deserunt, et se conferunt in locum ubi Trident. non est promulgatum, eo tantum animo, ut ibi clandestine contrahant, vere agunt in fraudem legis, nempe constitutionem Urbani VIII qui decretum Congregationis id prohibentis confirmavit. Est ergo specialis ratio decidendi in hoc casu. Hinc,

Resolves : Eum qui e territorio suo ubi jejunatur, aut agitur festa dies, in aliud ubi neutrum viget, eo fine se transfert, ut carnibus vesci, aut servile opus exercere possit, non peccat, nec pœnis contra transgressores latis subjicitur.

Dixi 2° *vel nisi fictione juris censeantur eas leges in propria patria transgredi.* Tales sunt leges versantes circa res in proprio territorio sitas, vel circa actiones aut omissiones quæ consummantur in territorio, licet persona sit extra illud.

Ex primo sequitur leges concernentes agros, ædificia, aut tributorum realium solutionem, omnes ubique subditos ligare.

Ex secundo sequitur leges præcipientes Beneficiatis residentiam, Synodorum aut Capitulorum convocationem; item prohibentes mercium, frumentorum, armorum et monetarum transmissionem, locorum peste infestorum fre-

quentationem, omnes ubique subditos obligare; unde ubicumque existant. incurrunt pœnas contra transgressores latas : sic Leo III[1] deposuit Cardinalem Anastasium, quia per annos quinque, *contra Canonum statuta,* in Ecclesia sui tituli non residebat.

Quæres : *An qui e domicilio suo ubi, lex v. gr. festi, jejunii*, etc., *obligat, transit in locum ubi non obligat, teneatur illam implere antequam exeat?*

Resp. *Prima sententia* dicit teneri, seclusa gravi necessitate, si prævideat legem impleri non posse in alio loco. Ratio est, quia præceptum quod actu obligat, actu impleri debet, si postea impleri non possit; atqui præceptum v. gr. audiendi Missam, actu obligat in loco ubi festa dies agitur, si non possit impleri in alio loco, etiam non festivo : ergo actu impleri debet ; sicut ad primam Missam tenetur qui prævidet se postea ab auditione secundæ Missæ impediendum fore.

Secunda sententia negat, *nisi lex continuatim obliget.* Ratio, quia lex quæ actu non obligat, actu impleri non debet, si postea impleri non sit necesse; atqui præceptum v. gr. audiendi Missam, actu non obligat domi ante discessum, siquidem legis implementum differi potest usque ad illud temporis punctum quo ille discessit, si sint alio Missæ dicendæ; cum autem pervenerit ad alium locum cessat obligari, cum sit extra legem. — Neque obstat quod quis ad primam Missam teneatur, si prævidet se postea ab auditione secundæ Missæ impediendum fore; id enim locum habet, cum quis permansurus est subjectus legi, non vero cum quis a præcepti obligatione futurus est liber. — Licet prima sententia non appareat probabilior, attamen tanquam magis pia suaderi potest, nisi quid obstet, inquit S. Ligor.[2].

Resolves ex illa secunda sententia : 1° non tenetur mane audire Sacrum die festo, qui ante prandium venturus est in locum ubi non est festum. 2° Qui egreditur e loco je-

[1] Cap. 2 *de Cleric. non resid.* — [2] Lib. I, num. 156.

junii, paulo post adventurus in locum non jejunii, potest mane gentare, etsi non possit vesci carnibus, cum ista abstinentia sit dividua. 3° Pariter qui discedit ex loco ubi non est jejunium, potest vesci carnibus, licet intra diem sit reversurus domum, ubi non tenebitur servare jejunium, cum istud sit indivisibile : tenebitur autem ad abstinentiam a carnibus, cum illa sit dividua.

Dixi *nisi lex continuatim obliget;* quia tunc revera obligat actu singulis momentis, et singulis momentis est adimplenda. Idem dicendum est, cum unica circumstantia datur in qua, vel unicus actus per quem præceptum impleri possit; unde v. gr. si quis rescederet e loco festivo ubi una tantum esset Missa, ac celebraretur ante illius discessum, teneretur illam audire, quia tunc temporis lex actu obligat.

CONCLUSIO II.

Vagi, peregrini et advenæ legibus locorum in quibus existunt et per quæ transeunt, adstringuntur.

1° Quoties id opus est ad vitandum scandalum quod eveniret si vagus vel peregrinus ageret contra legem; scriptum est enim : *Væ homini illi per quem scandalum venit* [1].

2° Quoties agitur ex legibus juris communis, a quibus per privilegium in territorio peregrini derogatum esset, et alio veniret ubi viget. Ratio, quia lex communis est universalis et obligat omnes qui non gaudent privilegio; atqui peregrinus non gaudet privilegio, cum amiserit illud per discessum a loco privilegiato, siquidem privilegium loco, non personæ, affixum est : ergo, etc. Hinc v. gr. si mane sis in loco privilegiato ubi non jejunatur, potes ibidem vesci carnibus; sed cum perveneris in locum ubi de jure communi viget lex jejunii, teneris ad abstinentiam et etiam ad jejunium, si adhuc servari possit.

[1] Matth. VIII.

3° Quoties agitur tum de contractibus celebrandis : in iis enim quisque sortitur forum loci ubi contrahit, ut evitetur omnis confusio ; tum de delictis, quia delinquens puniri debet ubique, ne scelera maneant impunita. In his valet axioma : *Locus regit actum.*

At disputatur utrum peregrini et vagi teneantur legibus specialibus loci in quo versantur. Multi probabiliter *affirmant* cum Antoine, Collet, Charmes, etc., et probant : 1° *de vagis*, quia exlex non potest esse homo ; Reipublicæ enim interest, ut quilibet aliquibus legibus ac alicujus Superioris gubernationi subsit ; atqui si vagi non subjicerentur legibus locorum per quæ transeunt, essent exleges : ergo, etc.

2° *De peregrinis et advenis.* Ex dictis præcedenti conclusione, sufficit brevis absentia ad eximendum peregrinos et advenas ab obligatione legum proprii territorii a quo discedunt : ergo debet quoque sufficere brevis præsentia ad subjiciendum legibus alieni territorii, in quo existunt, vel per quod transeunt ; nam *qui sentit onus, sentire debet commodum, et econtra*[1]. Unde Div. Ambrosius a Div. August. consultus, utrum liceret civi Romano Mediolani existenti non jejunare sabbato, respondit[2] : *Cum Romam venio, jejuno sabbato ; cum hic* (Mediolani) *sum, non jejuno. Sic etiam tu, ad quam forte Ecclesiam veneris, morem illius serva.* Ex qua responsione prodiere hi versus :

Cum fueris Romæ, Romano vivito more ;
Dum fueris alibi, vivito sicut ibi.

Alii cum Suarez *distinguunt* sic : vel peregrinus advenit tanquam ad terminum itineris, vel illac tantum pertransit. *Si prius*, tenetur ad omnes leges, quia fit quasi subditus ; *si posterius*, non tenetur ad præcepta positiva quæ solos obligant incolas, utpote permanentes ; tenetur vero ad præcepta negativa, quæ cum urgeant semper et pro semper, urgent consequenter simpliciter transeuntes.

[1] Reg. 55 *Juris*, in 6. — [2] Cap. *Illa*, dist. 11.

Alii tandem probabilius et communius indistincte *negant* cum S. Antonino, Layman, Sanchez, Toleto, Diana, Azorio, etc., et sic

Prob. Leges alicujus loci obligant solum eos qui moraliter ibi commorantur; atqui peregrini et vagi dici non possunt moraliter commorantes in loco per quem transeunt : ergo, etc.

Prob. min. Dici non possunt moraliter commorantes, neque ratione originis, ut supponimus; neque ratione domicilii aut quasi-domicilii, ut patet; neque ratione rei sitæ in territorio : ergo, etc. Aliunde non subduntur ratione delicti vel contractus, de quibus exceptionem jam fecimus supra : ergo nulla ratione a jure requisita[1], subdi possunt alterius potestati.

Ad rationes primæ sententiæ breviter respondetur. *Ad primum*, vagi non sunt exleges, cum subjiciantur legibus juris communis, vel etiam specialibus in multiplici casu, ex supra dictis. — Ad *secundum, nego conseq.;* quia regula juris intelligenda est de iis quæ sunt in eadem causa, et quando commodum et incommodum sunt sui invicem causa vel effectus, sicut in materia contractus onerosi aleatorii, etc. — Ad *tertium*, S. Ambrosius loquitur de lege communi ac scandalo vitando, cum addat : *Si cuiquam non vis esse scandalo, nec quemquam tibi.*

ARTICULUS VI.

QUÆNAM SIT FORMALIS LEGUM HUMANARUM OBLIGATIO.

Nota. Ut in hoc articulo, sub quo multa comprehenduntur, ordine procedamus, resolvemus : 1° utrum leges humanæ obligent in conscientia et sub peccato; 2° proponemus et solvemus nonnullas quæstiones circa obligationem formalem legum humanarum.

[1] Vid. cap. ult. *De foro competenti.*

§ I.

An leges humanæ obligent in conscientia.

Negant Pseudoreformati, negare etiam videtur Gerson[1], qui docuit solum Deum posse dare præcepta obligatoria sub pœna mortis æternæ; ideoque addit quoties peccari videtur contra legem humanam, non incurri culpam ex transgressione legis humanæ, nisi quatenus est determinatio juris naturalis vel divini: contra quos

CONCLUSIO.

Lex humana, tam civilis, quam Ecclesiastica obligat in conscientia et sub peccato, quandoque etiam sub mortali.

Et *hoc est de fide* quoad leges Ecclesiasticas, per synodum Tridentinam his verbis definitum: *Si quis dixerit baptizatos liberos esse ab omnibus sanctæ Ecclesiæ præceptis, quæ vel scripta vel tradita sunt, ita ut ea observare non teneantur, nisi sese sponte illis submittere voluerint, anathema sit.*

Prob. *de lege Ecclesiastica*[2]: *Quod si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus,* id est, ab Ecclesia præcisus et excommunicatus, *et publicanus,* id est, publicus peccator. Ergo, etc.

Hinc Alexand. VII[3] damnavit sequentem proposit.: *Frangens jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter.* Et Innocent. XI hanc: *Præceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus*[4].

Prob. *De lege civili,* ex Apostolo[5]: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non enim est potestas nisi a Deo... itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi*

[1] Lib. *de Vita spirit.*, lect. 4. — [2] Matth. XVIII. — [3] 22 inter proposit. damnat. decreto dato 24 sept., ann. 1665. — [4] Prop. 55. — [5] Rom. XIII.

resistit; qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem, nempe æternam, ut interpretantur Patres[1], *acquirunt.* Et subdit : *Ideo necessitate subditi estote,* id est, necesse est ut subditi sitis, *non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam,* hoc est, non tantum ob pœnam ab humano judice infligendam, sed etiam ob culpam quam incurretis, si non obediatis.

Hinc, gloriosissimus Pontifex Pius IX, encyclica *Qui pluribus*, Episcopos hortans ut debitam erga Principes et potestates obedientiam et subjectionem Christiano populo inculcare satagant, his decretoriis verbis docet *præceptum potestati ipsi obediendi a nemine unquam citra piaculum posse violari, nisi forte aliquid imperetur quod Dei et Ecclesiæ ligibus adversetur.*

Confirmatur. Quia lex humana est verum præceptum; atqui verum præceptum obligat in conscientia, juxta illud Div. August.[2] : *Illud est præceptum cui non obedire peccatum est : consilium, quo si uti nolueris, minus boni adipisceris, non mali aliquid perpetrans :* ergo, etc.

Objicies 1. Ecclesia aliquid de fide credendum definire non potest, quod in verbo Dei non contineatur : ergo nec potest aliquid præcipere sub pœna peccati, quod in lege naturali vel divina non contineatur.

Resp. *Nego conseq.* Disparitas est, quod Ecclesia nihil de fide credendum definire potest, quin sit à Deo revelatum; omne autem revelatum in verbo Dei est contentum; econtra, multa sunt pro loco et tempore utilia, quæ Deus non præcepit, sed ab hominibus præcipi permisit : ergo potest aliquid præcipere in conscientia, quod a Deo non fuerit præceptum.

Inst. 1. Inferior non potest ligare in foro superioris, sicut nec solvere : ergo legislator humanus non potest obligare in conscientia, quæ est forum Dei.

[1] S. Chrysost., Theophil. Æcumenius, etc. — [2] Lib. *de Sancta Virginit.*, cap. 15.

Resp. *Dist. ant.* Non potest potestate propria, *conc. ant.;* potestate sibi tradita a superiore, *nego ant.* Porro, legislator humanus accipit a Deo potestatem ligandi in ejus foro, ut fuse probatum est.

Inst. 2. Saltem legislator civilis non potest ligare in foro conscientiæ : ergo. Nam ille non potest ligare in foro conscientiæ, qui in eodem non potest solvere; atqui, etc.

Resp. *Nego maj.* Homo enim potest suam ligare conscientiam per peccatum, per vota, etc., nec tamen potest se solvere : potest ergo legislator civilis ligare indirecte conscientiam, quatenus sua lege objectum aliquod de se indifferens reddit malum, illud prohibendo; sed non potest peccatum semel commissum relaxare, quia potestatem remittendi peccata solis Ecclesiæ ministris Deus concessit.

Inst. 3. Potestas civilis est mere temporalis : ergo non obligat in foro conscientiæ.

Resp. *Dist. ant.* Est mere temporalis ratione objecti, cum versetur circa res fluxæ et labentis naturæ, *conc.;* ratione debiti quod imponit, *nego ant.;* est enim potestas quæ emanat a Dei potestate, juxta illud Apostoli : *Non est potestas nisi a Deo.*

Objicies 2. Ad vitandam damnationem, sufficit servare Dei mandata : ergo mandata hominum non obligant sub peccato.

Resp. *Nego conseq.* Nam est mandatum Dei, ut serventur mandata hominum.

Inst. Ex hac responsione sequitur mandata hominum esse juris divini; falsum ex nobis consequens : ergo, etc.

Resp. *Nego seq. maj.* Illud solum dicitur esse juris divini, quod Deus dictat per se, non quod homo dictat per potestatem a Deo acceptam; neque enim est juris divini quod matrimonium contrahatur coram parocho et duobus testibus, vel quod Clerici a venatione abstineant, licet a superioribus humanis illa præcipiantur per potestatem a Deo acceptam.

Quæres 1. *Quot requirantur ut lex humana obliget sub mortali?*

Resp. Duo requiruntur : 1° ut materia sit gravis; 2° ut intentio legislatoris sit graviter obligandi.

Prob. prima pars. Quia legislator non habet potestatem condendi leges iniquas et injustas. Lex enim debet esse *rationi consentanea;* atqui lex quæ obligaret graviter et sub mortali in re non gravi, esset iniqua et injusta; ergo, etc.

Prob. min. Illa lex humana est injusta, quæ non conformatur legi divinæ; atqui lex quæ præciperet graviter et sub mortali rem levem, non conformaretur legi divinæ; lex enim divina non præcipit rem levem, nisi sub veniali, ut patet in mendacio jocoso, in furto unius assis, etc. : ergo, etc.

Dices : Legislator humanus potest Deo se conformari; atqui Deus esum pomi, rem sane levissimam, sub mortali prohibuit : ergo, etc.

Resp. *Dist. min.* Esus pomi fuit res levissima in se, *conc. min.;* relative ad finem a Deo intentum, *nego min.* Porro, finis a Deo intentus erat ut homo suam subjectionem et dependentiam a Deo profiteretur; qui finis fuit gravis. Sic, ingressus Clericorum in tabernas, armorum delatio, habitus talaris gestatio, quamvis de se sint levia, si tamen pensentur ex eorum fine, qui est decus Ordinis Ecclesiastici, sunt valde gravia; sic, egressus momentaneus e castris est valde gravis morteque puniendus in milite, quia disciplinam militarem multum labefactat.

Prob. secunda pars. Lex cujus obligatio tota pendet a legislatoris voluntate, non obligat nisi prout vult legislator; actus enim agentium libere, non operantur ultra intentionem eorum; atqui legis humanæ obligatio tota pendet a libera legislatoris voluntate : ergo potest obligare tantum leviter in re gravi, vel omnino non obligare et tantum consulere, si existimet hoc esse utile ad suaviorem gubernationem : ergo, ut lex humana obliget sub mortali, requiritur

ut intentio legislatoris sit graviter obligandi. Ita *probabilius* Lessius, Salmant., Sanchez, Palaus, Bonac., etc.

OBJICIES CUM BELLARMINO : Legislator humanus non potest graviter obligare in re levi : ergo, a pari, nec leviter in re gravi.

RESP. *Nego conseq.* Disparitas est, quod materia levis non sit capax gravis obligationis; unde, si legislator rem levem sub gravi peccato præciperet, excederet potestatem suam ferendo præceptum imprudens et injustum; econtra, materia gravis, sicut capax est majoris obligationis, est etiam capax minoris; unde legislator potest justis de causis esse benignior in obligando, et nolle uti tota sua potestate, et in hoc maxima est prudentia.

INST. 1. Obligatio sub veniali vel sub mortali, a sola materia pendet, non a voluntate superioris : ergo non pendet ab ejus intentione, ut obligatio sit levis vel gravis.

RESP. *Nego ant.* Quamvis enim, posita gravitate materiæ, et obligatione gravi, non pendeat a voluntate extrinseca legislatoris, ut peccatum sit grave vel leve; tamen, absolute loquendo, pendet a voluntate legislatoris, ut obligatio sit gravis vel levis, sicut pendet ut sit vel non sit obligatio, et consequenter pendet ab ejus voluntate ut peccatum sit grave vel leve, in materia gravi, sicut pendet ut sit peccatum vel non sit; potest enim uti jure suo ut libuerit, juste tamen et prudenter.

INST. 2. Posita lege, oritur obligatio ex jure naturali pro quantitate materiæ, proindeque gravis in materia gravi, independenter ab intentione legislatoris : ergo, etc.

RESP. *Dist. ant.* Oritur obligatio ex jure naturali proportionata intentioni legislatoris, scilicet gravis ex gravi præcepto, levis ex levi, *conc. ant.;* secus, *nego ant. et conseq.* Porro, jus naturale et divinum dictant tantum obediendum esse superiori quatenus et quantum præcipit : ergo, si nonnisi leviter suos subditos obligari velit, jus naturale et divinum non strictius eos obligari dictabunt.

Inst. 3. Communi omnium consensu receptum est, ut leges modo materiæ gravitati proportionato obligent : ergo obligatio levis vel gravis non pendet ab intentione legislatoris.

Resp. *Dist. ant.* Leges modo materiæ gravitati proportionato obligant, quando legislator eorum obligationem expresse non limitat, *conc.;* quando expresse limitat, *nego ant.* Equidem, cum legislator sine limitatione præcipit, tunc lex ejus secundum totam materiæ capacitatem obligat; sed potest illam obligationem limitare exprimendo se nolle obligare sub mortali, sed tantum sub veniali, ut fit in multis Religiosorum constitutionibus[1], quæ sunt veræ leges a Summis Pontificibus approbatæ.

Inst. 4. Votum de materia gravi obligat graviter, nec potest vovens hanc obligationem temperare : ergo a pari, etc.

Resp. *Nego ant.* Nam potest vovens se obligare voto tantum sub veniali, sicut potest non omnino vovere, quia actus agentium ex intentione, non operantur ultra intentionem eorum, cum ab eâ omnem vim suam sumant.

Objicies 2. Cum legislator vere obligat subditos in re gravi, tunc transgressio legis notabiliter obest bono communi; atqui non est in potestate legislatoris ut transgressio, quæ notabiliter obest bono communi, sit tantum levis: ergo nec est in ejus potestate ut cum obligat subditos in re gravi, obliget eos sub veniali tantum.

Resp. *Nego min.* Intellectam de transgressione rei gravis, quæ nec jure naturali, nec divino est prohibita, sed quæ utroque illo jure est indifferens; potest enim legislator facere ut transgressio legis suæ sit tantum levis, leviter præcipiendo aut prohibendo; tunc enim legis transgressio notabiliter obest bono communi solum privative, quatenus ponitur vel omittitur aliquid, quod omitti vel poni multum expedit bono communi.

Nota. In quacumque materia, contemptus formalis legis

[1] Ita declaratur in *Constit. Capucinorum*, cap. 8 *de Consuetud.*

vel legislatoris, id est, contemnere legem vel legislatorem, qua legislatorem vel superiorem, semper est peccatum mortale. Secus dicendum, si contemnatur res præcepta quia parvi æstimatur, vel ex indignatione particulari contra superiorem; contemptus enim non qua superioris, sed qua singularis personnæ, v. gr. quia indocti, imprudentis, etc., non est culpa mortalis, nisi judicium sit graviter temerarium; unde, raro contingit peccatum mortale ratione contemptus. Ita passim DD. apud S. Ligor.[1]

Quæres 2. *Quomodo dignosci possit legislatorem velle obligare sub mortali?*

Resp. Hoc dignosci ex quadruplici capite.

1° *Ex materia gravi absolute præcepta*, id est, cum legislator rem ex se vel ex circumstantiis gravem præcipit aut vetat, nec expresse significat se velle solum obligare sub veniali; quia tunc superior potestate præcipiendi utitur sine limitatione, et secundum materiæ capacitatem, cui censetur se accommodare.

2° *Ex gravitate verborum quibus utitur* · v. gr. cum præcipit aut prohibet *sub indignatione Dei; sub interminatione divini judicii; in virtute sanctæ obedientiæ; ex tota potestate*, etc.

3° *Ex gravitate pœnæ* transgressoribus impositæ, qualis est pœna excommunicationis, aut alterius censuræ, depositionis, etc.; item, pœna mortis, exilii, carceris perpetui, infamiæ, bonorum confiscationis.

4° *Ex communi prudentum judicio, et bene fundata consuetudine*, quæ *est optima legum interpres*[2].

Quæres 3. *An leges tyranni obligent?*

Nota. Aliquis potest dupliciter dici tyrannus: vel *gubernatione*, vel *usurpatione* regni sibi non competentis. Quo notato,

Resp. 1. Si tyrannus est talis *gubernatione*, eo quod, licet regnum legitime possideat, ea tamen exercet quæ sunt

[1] Lib. III, num. 142. — [2] Cap. 8 *de Consuetud.*

contra civium jura vel bonum Reipublicæ, certum est leges justas ab ipso latas obligare, juxta Div. Petrum dicentem : *Subditi estote dominis non tantum bonis, sed etiam dyscolis*[1]. Ratio est, quia legitimam habet potestatem, a qua non spoliatur per ea quæ injuste et tyrannice decernit vel exercet. Ita omnes Doctores.

Resp. 2. Si tyrannus est talis *usurpatione*, in *triplici* statu considerari potest : 1° in initio usurpationis, quando vi et armis vult sibi indebitam administrationem vindicare, et tunc non est ei obtemperandi obligatio, cum nondum sit verus superior; — 2° cum jam est in pacifica possessione regni, et tunc ejus leges obligant, quia cum a Republica jam toleretur, voluntate saltem interpretativa, tacite confert illi potestatem gubernandi, ejusque leges et acta ratificat; — 3° considerari potest ut per longum temporis tractum pacifice regnans, et tunc nulli dubium est illius leges obligare, siquidem jam est legitimus rex per electionem, et plures dynastiæ aliam non habent originem. Ita omnes.

§ II.

Proponuntur et solvuntur nonnullæ quæstiones circa obligationem formalem legum humanarum.

Quæres 1. *An lex dubia obliget?*

Resp. Si post adhibitam sufficientem diligentiam ad explodendum dubium, libros volvendo, doctos consulendo, et alia media, pro natura materiæ, adhibendo, et præciso scandalo, vel alio notabili inconvenienti, adhuc perseverat dubium an lex existat, dico illam non obligare.

Id sat superque probavimus in tract. *de Actibus humanis*, ubi de conscientia dubia... quod hic summatim referimus.

1° Ex Apost[2]. : *Non cognovi peccatum*, inquit, *nisi per legem:* sed ubi est dubium legis, nulla est ejus cognitio : ergo, etc.

[1] Epist. I, cap. II. — [2] Rom. VII.

2° Ex SS. Patribus, quorum unus sullicit Nazianzenus : *Si res dubia est*, inquit, *vincat humanitas et facilitas*, id est, ex illa non concludatur obligatio contra libertatem[1].

3° Ex jure Canonico : *Nisi de mandato certus extiteris, exequi non cogeris quod mandatur*[2].

Item ex jure civili : *In dubio nullus præsumitur ligatus*[3].

Item : In dubio melior est conditio possidentis : ergo ubi lex est dubia, melior est conditio libertatis, juxta illud Div. Pauli : *Potestatem habens suæ voluntatis. Item :* Non obligat lex nisi promulgata ; atqui lex dubia non est lex promulgata : ergo non obligat. *Item :* Lex est mensura actuum humanorum ; atqui mensura debet esse certa : ergo, etc.

4° Ex Scholarum consensu et ratione : *Nullus ligatur per præceptum aliquod, nisi mediante scientia illius præcepti*, ait Div. Thom.[4] ; atqui ubi est dubium præcepti, non est scientia præcepti : ergo, etc.

Ex quibus deducuntur :

1° In dubio an lex extendatur ad talem casum, vel an inceperit ejus obligatio, vel an sit jam promulgata, vel denique an sit lex aliquid vetans aut imperans, lex ipsa est probanda. Nam in iis omnibus lex est dubia et incerta ; sed ex lege incerta non potest oriri certa obligatio, juxta illud Benedict. XIV : *Non si debbono porre legami certi, quando non vi è una chiara legge che gl'imponga*[5], id est, non debemus imponere certa ligamina, quando non est lex clara quæ illa imponit. Aliter vero judicandum, si dubitaveris an lex sit usu recepta, an sit justa, an eam impleveris, et similia, quia tunc lex possedet, et ejus melior est conditio.

2° Legem dubiam implere perfectius et magis meritorium est ; illam vero non implere, nullum peccatum neque demeritum est penes legislatorem.

Orat. 39. — [2] Cum jure *de Off. et Præst. jud. deleg.* — [3] Authent. *Quib. mod.*, § *Natura.* — [4] *De Verit.*, quæst. 17, art. 3. — [5] Notificat. XIII.

3° Si dubitetur an lex in aliqua sui parte præcipiat, an suadeat tantummodo, standum est pro suasione. Ratio est, quia pro hac parte lex est dubia; porro clamant jura : *In dubiis minimum est sequendum*[1], et : *Semper in dubiis benigniora præferenda sunt*[2].

4° Si dubitatur an lex obliget sub gravi, negative resolvatur propter easdem rationes; est enim expressa Sanctorum doctrina, quod non debeas esse pronus judicare mortale peccatum, de quo non habetur auctoritas expressa Scripturæ, aut canonis Ecclesiæ, vel Traditionis, nec ex evidenti ratione deducitur.

Quæres 2. *An lex fundata in præsumptione obliget in conscientia?*

Nota. Duplex est præsumptio, altera *periculi*, altera *facti*.

Præsumptio *periculi* est ea qua legislator præsumit in tali actu posse esse aliquid repugnans substantiæ ejusdem actus, v. gr. dolum, defectum consensus, judicii, etc.

Præsumptio *facti* est ea qua actus præsumitur tali modo factus; porro non videtur ulla lex fundari in præsumptione facti, bene vero præceptum particulare; quare:

Resp. 1. Lex fundata in præsumptione periculi semper obligat in conscientia, licet præsumptio in quibusdam casibus particularibus falsa reperiatur. Ratio est, quia hujusmodi leges semper nituntur veritate et judicio certo periculi ut sæpe aut aliquando contingentis; atqui hoc judicium semper verum est.

Resolves : Matrimonia clandestina lex irritans fundata in periculo fraudis, scelerum et incommodorum, quæ illis facile oriri possunt, obligat etiam in casu in quo ista certo non evenirent.

Resp. 2. Præceptum fundatum in præsumptione actus tali modo facti, quo reipsa factus non est, non obligat in conscientia. Ratio est, quia præceptum non obligat, cum superior obligare non intendit; obligatio enim præcepti ex

[1] Regula juris 30, in 6. — [2] Reg. 56, ff. *de Reg. juris.*

intentione superioris desumitur; atqui superior obligare non intendit, dum factum, propter quod præceptum posuit, non est verum : ergo, etc.

Hinc, si aliquis, ex falso allegatis et probatis, ad restituendum obligatus sit per sententiam superioris, non tenetur ad restituendum, secluso scandalo[1].

Quæres 3. *An lex humana possit obligare cum gravi periculo, etiam mortis?*

Resp. *Ordinarie non obligare.* Quia nemo tenetur ad id quod est moraliter impossibile; atqui observatio legis cum gravi periculo vitæ, sanitatis, famæ, amissionis bonorum, etc., est moraliter impossibilis : ergo, etc. Hinc cap. 4 *de Reg. juris* dicitur : *Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum. Nam et sabbatum custodiri præceptum est : Machabæi tamen sine sua culpa in sabbato pugnabant : sic et hodie si quis jejunium fregerit ægrotus, reus voti non habetur.*

Dixi *ordinarie* : quia nonnulli sunt casus in quibus lex obligat etiam cum periculo vitæ. Et quidem

1° *Per se*, cum id exigit Reipublicæ sive civilis, sive Ecclesiasticæ conservatio, quia æquum est pro totius salute partem sese periculo objicere; sic dux potest obligare milites ad servandam suam stationem, vel irruendum in hostes cum certo vitæ periculo; sic Episcopus potest præcipere ut vicarius, mortuo parocho, non deserat populum peste infectum, etc.

2° *Per accidens*, dum violatio legis cederet in contemptum fidei, aut legitimæ auctoritatis; nam si quis, ex contemptu fidei aut Ecclesiæ, fidelem compelleret ad violationem jejunii, teneretur ille potius mori quam jejunium frangere; ratio est, quia contemptus fidei et Ecclesiæ est intrinsece malus, præponderatque bono vitæ privati.

3° *Item per accidens*, dum lex humana non potest violari sine gravi scandalo, quia scandalum est intrinsece malum.

[1] Vid. cap. 44 *de Sentent. excommunicat.*

ergo nunquam potest fieri licitum. Unde Eleazarus[1] elegit potius mori quam simulare carnem porcinam manducasse in contemptum legis, et cum gravi adolescentium scandalo.

Dices *contra respons.:* Lex humana obligat sub peccato: ergo obligat sub periculo vitæ; potius enim moriendum est, quam peccandum venialiter.

Resp. *Dist. ant.* Extra casum gravis damni, *conc.;* in casu gravis damni, *subdist.:* aliquando, ut constat ex dictis, *conc.;* semper, *nego ant.* Etenim improbabile est quod omnia præcepta humana magis obligent quam aliqua præcepta legis naturalis et divinæ; atqui sunt quædam præcepta legis naturalis et divinæ per se obligantia ad mortale, quæ tamen non obligant cum periculo vitæ, qualia sunt præcepta solvendi debitum, confitendi integre, etc.: ergo, etc.

Inst. Carthusianus qui, ex medicorum judicio, novit se moriturum nisi carnem comedat, non potest tamen carnibus uti, propter consuetudinem apud Carthusianos vim legis habentem, non utendi carnibus, etiam in extrema necessitate: ergo lex humana obligat cum vitæ periculo.

Resp. *Conc. ant.* Pro casu in quo Carthusianus alios haberet cibos, *dist. conseq.* Lex humana obligat aliquando, cum nempe pluris interest eam servari, quam servari vitam alicujus privati, *conc. conseq.;* semper, *nego conseq.* Porro, pluris interest legem Carthusianorum servari, quam vitam alicujus privati; quia, si semel in ea dispensaretur, facile tepesceret sanctissimi illius Instituti disciplina, et brevi tandem funditus evanesceret sine ulla spe remedii; quia, ut bene docet Gerson[2], *Semel lapsa Religio, ut experti scripserunt, nunquam aut vix reparari potest; nova facilius a fundamentis conderetur.*

Quæres 4. *An peccat contra legem qui non tollit, aut ponit impedimentum executioni legis?*

[1] II Machab. VI, 18. — [2] Tract. *De non esu carnium Carthusiens,* tom. II, pag. 726.

Nota 1. Impedimentum apponi potest vel *directe*, vel *indirecte*, prout agens eo animo agit, ut a lege se subtrahat, vel aliam ob causam, modo prævideat illam futuram esse impedimentum ad legem implendam.

Nota 2. Duplici modo potest quis impediri a legis observantia. 1° Apponendo causam *eximentem*, seu qua subtrahatur ab ejus obligatione, ita ut jam non sit sub ejus potestate, v. gr. si discedas ab eo loco in quo præceptum est audire Missam, et te transferas in locum ubi non viget tale præceptum.

2° Apponendo causam *impedientem* qua excusetur a legis observantia, remanendo tamen sub potestate legis, v. gr. si die festo recedas ab ecclesia, et te conferas eo ubi Sacrum audire non potes, sed ubi tamen lex audiendi Sacrum adhuc vigeat[1]. Porro, causæ impedientes possunt esse *remotæ* vel *proximæ*, prout lex proxime urget, vel nonnisi post notabile tempus. Quo notato,

Resp. 1. Non peccat contra legem, qui causam ponit *directe*, qua ab illius obligatione totaliter subtrahatur, si aliqua lex specialis non obstet. *Prob.* Ille non peccat, qui suo utitur jure; sed qui directe causam ponit qua fit immunis et exoneratus a lege, suo utitur jure, nec facit aliquid in fraudem legis. Lex enim præcipit quidem obedientiam subditis, at non prohibet ne quis faciat ut jam non sit subditus : ergo. Hinc, non peccat qui exit ab hac civitate in qua obligat jejunium, et in aliam se constituit in qua ab obligatione jejunii fit exoneratus. Item, non peccas, si te conferas die festo in locum non festivum, et ubi non est præceptum Missæ, non magis ac si de civitate Parisiorum exires, ut merces ibi taxatas viliori pretio alio in loco comparares.

Dixi *si aliqua lex specialis non obstet*. Sic, lex vetat alio ire *in fraudem reservationis peccatorum*, vel *ad matri-*

[1] Hinc patet quæstionem non esse de legibus naturali et divina, quæ semper et ubique vigent.

monium clandestine contrahendum, ut suo loco explicabimus. Ita Salmant.[1], et alii.

Resp. 2. Peccat contra legem qui *directe* apponit vel non removet impedimenta etiam remota; ratio, quia cum quis adhuc remanet legis subjectus, non potest velle eam infringere, quin eo ipso talis voluntas sit ipsius legis violatio.

Resp. 3. Peccat contra legem qui eo tempore quo urget præceptum, vel paulo ante *directe* vel *indirecte* ejus executioni ponit vel non tollit impedimentum, nisi illud sit vel necessarium, vel tam utile, ut melius sit illud non tolli, quam legem servari.

Prob. Quia qui præcipit finem, simul præcipit media necessaria ad assecutionem illius finis, saltem si non sint nimis difficilia; atqui tollere aut non ponere impedimentum, est medium necessarium ad legis executionem: ergo, etc.

Dixi *paulo ante, vel tempore quo urget præceptum,* quia probabilius licet, etiam sine causa, impedimentum *remotum* et *indirecte* impediens apponere longe ante tempus quo urget præceptum. Ratio, quia sic interpretari debet legislatoris intentio. Esset enim onus nimis grave, si quisque teneretur non apponere vel removere impedimenta multo ante obligationem legis. Hinc,

Resolves 1. Non peccat contra præceptum audiendi Sacrum, qui iter aggreditur die lunæ, vel martis, vel mercurii, et probabilius die jovis, nec forte die veneris, prævidens fore ut die Dominica Sacrum audire non possit; aliter vero dicendum, si proficisceretur die sabbati.

Ita cum Div. Thom., Layman, Mazzota, Palao, Sanchez, S. Ligor.[2], contra Salmant.[3], Suarez et alios quosdam, qui plus æquo benigne sentientes, docent quod eo ipso quod aliquis extrahatur ab obligatione legis, sive bona, sive mala intentione, sive licite, sive illicite factum sit, non peccat,

[1] Cap. 2, num. 158 et seqq. — [2] Lib. I, num. 152, lib. IV, num. 1046, et lib. VII, num. 161. — [3] Cap. 2, num. 160 et seqq.

quia non est capax delinquendi in effectu contra talem legem, siquidem præcepta humana solum obligant subjectos non impeditos.

Resolves 2. Peccat contra legem audiendæ Missæ, qui lectum, studium et quamvis aliam actionem non necessariam, non omittit dum urget præceptum audiendæ Missæ, quia non tollit impedimentum non necessarium; item qui paulo ante quam urgeat præceptum, se inebriat, prævidens inde futurum ut Missam audire nequeat, peccat non solum contra temperantiam, sed etiam contra præceptum audiendæ Missæ.

Resolves 3. Peccat contra præceptum jejunii : 1° qui venationi aut ludo pilæ absque causa necessaria vacat, prævidens ita se defatigatum iri, ut inhabilis fiat ad jejunium..; 2° qui simul jejunare et iter pedibus facere non valens, peregrinationem in aliud tempus non differt, *si tamen,* ait Div. Thom.[1], *commode differri possit, aut diminui absque detrimento corporalis salutis et exterioris status...;* 3° operarii non jejunantes, *si jejunando possunt competenter victum pro sua persona habere, et pro familia, sive quia alias divites sunt, sive quia de eo quod minori labore fit, qui secum jejunium compatitur, lucrari sufficientia possunt.* Ita Div. Thom.[2]; 4° peccant etiam, ex Div. Thom.[3], *qui operarios conducere nolunt, nisi tali pacto, ut jejunium solvant, nisi forte sit causa necessaria quæ festinationem operis exposcat.* Quod intelligendum est juxta limitationem casus præcedentis.

Dixi *nisi illud impedimentum sit necessarium, vel saltem tam utile,* etc., quia certum est legem humanam non adeo stricte obligare, ut ad eam implendam tolli debeant impedimenta necessaria, aut maxime utilia; ita communiter Theologi post Div. Thomam[4], docentem quod *necessitas statim peregrinandi, vel etiam multum laborandi, vel*

[1] 2 2, quæst. 147, art. 4, ad 3. — [2] Ibid. — [3] In 4 *Sent.*, dist. 15, quæst. 3. — [4] 2 2, quæst. 147, art. 4, ad 8.

propter conservationem vitæ corporalis, vel propter aliquid necessarium ad vitam spiritualem, a jejunio dispensat : *quia non videtur fuisse intentio Ecclesiæ statuentis jejunia, ut per hoc impediret alias pias et magis necessarias causas.*

Resolves 4. Cum tempore Sacri, urget necessitas opitulandi infirmo, Missa omitti debet ut ei opituletur.

Resolves 5. Qui jejunium non potest servare concionando, aut confessiones excipiendo, non tenetur opera illa pietatis, quæ per se jejunio meliora sunt, omittere ut jejunet, nisi per regulam aut constitutiones alicujus Religionis aliter sit statutum[1].

Quæres 5. *An qui non potest totum opus præceptum implere, teneatur ad partem quam potest?*

Resp. *affirm.* Si præceptum sit de re divisibili ; ratio est, quia præceptum de re divisibili obligat ad omnes et singulas partes, etiam seorsim sumptas; unde Innocent. XI damnavit hanc Dianæ proposit. : *Qui non potest recitare Matutinum et Laudes, potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur : quia major pars trahit ad se minorem.*

Resolves 1. Qui tempore præfationis aut communionis ad Missam accedit, nec alterius copiam habet, residuam illius Missæ partem tenetur audire[2].

Resolves 2. Qui die jejunii non potest a carnibus abstinere, potest tamen a duabus refectionibus, violat jejunium, duas integras refectiones sumendo.

Notandum est tamen eum ad nihil teneri, de quo dubitatur utrum valens sit etiam ad partem, *sicut, v. gr., in infirmis,* inquit sapienter Billuart[3], *in quibus vix aut ne vix determinari potest quid possunt, usquequo possunt, et non ultra. Unde si, dum non possunt totam legem implere, tenerentur ad partem, foret locus gravissimis scrupulis, et continua perplexitas in determinanda parte ad quam*

[1] Vide *Const. Capucinor.*, cap. 9. — [2] Ita Sanch., Tourn., Paul. a Lugd. et alii. — [3] *De Legibus,* diss. IV, art. 7.

tenerentur. Et ideo jure præsumitur de mente æqui legislatoris, quod non velit in similibus casibus obligare ad partem. Ita graves Theologi[1].

Quæres 6. *An eodem tempore duobus præceptis satisfieri possit per plures actus?*

Resp. *affirm.* Modo unus actus non impediat alium, nec aliter mentem suam expresserit legislator. Ita omnes fere Doctores quos citat et sequitur Bonacina[2]. Ratio est, quia ille præcepto satisfacit, qui facit id quod lege præscribitur; sed possumus eodem tempore facere quod lege præscribitur, cum in lege non præscribatur diversitas temporum; ergo, etc.

Resolves 1. Qui tempore Missæ recitat Horas canonicas aut pœnitentiam a Confessario injunctam, satisfacit præcepto Missæ et præcepto divini Officii, aut pœnitentiæ injunctæ; quia recitatio Horarum aut pœnitentiæ non impedit attentionem et devotionem quæ debetur sacrificio Missæ.

Resolves 2. Qui tempore Missæ peccata sua confitetur, non satisfacit præcepto Missæ, quia hoc impedit attentionem quæ sacrificio Missæ debetur; nam Ecclesia præcipit assistere Missæ per modum orantis; qui autem confitetur tempore Missæ, non assistit per modum orantis : ergo, etc.

Quæres 7. *An per unum eumdemque actum possint impleri plura præcepta?*

Resp. Possunt quoties superior prudenter existimat concedere ut per eumdem actum pluribus præceptis satisfiat; ratio est, quia obligatio legis pendet a mente legislatoris, ipsiusque voluntatem non excedit : ergo, etc.

Porro, mens legislatoris colligi debet ex natura operis præcepti, quando v. gr. præcepta cadunt in eamdem materiam ob idem motivum; ex circumstantiis, v. gr. si Confessarius imponat jejunium aliquot dierum in Quadragesima; ex consuetudine, ex communi piorum sensu, etc.

Dices : Non possumus una solutione satisfacere pluribus

[1] Vide S. Ligor., lib. IV, num. 54. — [2] *De Leg.*, disp. 1, quæst. 1, punct. 9

debitis justitiæ commutativæ : ergo neque possumus unico actu satisfacere pluribus præceptis.

Resp. *Nego conseq.* Disparitas est, quod justitia commutativa respiciat æqualitatem rei ad rem ; æqualitas aut in rei ad rem non salvatur unica solutione in pluribus debitis. Econtra, in præceptis attenditur intentio legislatoris, quæ ferri potest in unum idemque opus; intentio autem legislatoris cognosci potest vel ex natura operis præscripti, vel ex communi usu et interpretatione. Hinc,

Resolves 1. Qui tenetur Horas canonicas recitare ratione Ordinis et Beneficii, unica recitatione utrique obligationi satisfacit, ut constat ex communi usu.

Resolves 2. Si cui a Confessario injunctum sit onus audiendi Missam singulis diebus, satisfacit præcepto Ecclesiæ et Confessarii unicam Missam audiendo diebus festis, hæc enim præsumitur intentio Confessarii. Econtra, si cui operario injungatur a Confessario ut Sacrum omnibus diebus festis audiat per annum, non satisfacit unicam Missam audiendo, sed tenetur duas audire; quia talis esse præsumitur mens Confessarii, quæ colligitur ex natura satisfactionis, quæ solet esse opus alias non debitum.

Quæres 8. *Quid agendum, cum duo occurrant præcepta æque urgentia, si simul impleri non possint?*

Resp. Tunc præceptum gravius anteponendum est et observandum. Hinc,

1° Præceptum negativum anteponendum est præcepto affirmativo, siquidem illud obligat semper et pro semper, non istud. Hinc, non licet furari ad solvendum debitum.

2° Præceptum naturale præferendum est præcepto positivo etiam divino; præceptum divinum præcepto humano. Sic, debes omittere Sacrum die festivo ad succurrendum graviter ægrotanti. Sic, Sacerdos non jejunus potest perficere Sacrum incœptum ab alio Sacerdote, cum iste deficit, quia integritas sacrificii est de jure divino, et jejunium de jure Ecclesiastico.

3° Lex superioris anteponenda est legi inferioris, v. gr. lex Papæ anteponenda est legi Episcopi; lex Ecclesiastica, legi civili.

4° *Cæteris paribus*, lex habens pro materia actus virtutis strictioris, anteponenda est legi cujus materia est virtus minus stricta. Sic, qui non valet et eleemosynam erogare et debitum solvere, tenetur eleemosynam omittere.

Dixi *cæteris paribus;* quia quandoque, ratione circumstantiarum, ordo debet inverti, v. gr. si pauper est in extrema necessitate, prius ipsi succurrendum est. — Quod in aliis quoque præceptis locum habere potest.

Quæres 9. *An qui uno actu violat plura præcepta, committat plura peccata?*

Resp. *Dist.* Vel illa præcepta, licet sint plurium legislatorum, habent tamen idem motivum formale, et versantur circa eamdem numero materiam cum iisdem circumstantiis, ita ut eorum diversitas sit tantum materialis; — vel sunt formaliter diversa, utpote quæ habent motiva proxima specie diversa, et versantur circa materiam numero diversam.

Si primum, unum tantum peccatum committit, quia non adsunt neque obligationes, neque malitiæ diversæ.

Si secundum, committit plura peccata, ob rationem contrariam. — Dignoscitur vero leges habere motiva proxima specie diversa, quando ipsæ trahunt actum ad specialem aliam virtutem.

Resolves 1. Qui non jejunavit die vigiliæ incidentis in Quadragesimam, unicum committit peccatum, quia duplex præcepti ratio formalis est una, seu unicum est motivum proximum, nempe maceratio carnis. — Item, qui neglexit Sacrum festo incidente in Dominicam, unicum patrat peccatum, quia utriusque præcepti ratio formalis, seu motivum proximum, est cultus Dei; unde in utroque casu satis est confiteri de jejunio et Sacro uno omisso.

Resolves 2. Violans votum et juramentum, vel votum et præceptum Ecclesiæ de eadem re, vel adulterans ligatus

cum ligata, vel percutiens Clericum, duplex uno actu committit peccatum, quia duplicem habet malitiam, siquidem ob motiva specie distincta, seu virtutes diversas, latæ sunt istæ leges, ac proinde id confessione explicandum est. Nam voti præcipitur observatio, ut servetur fides Deo debita; juramenti, ne Deus in falsitatis testem adducetur; præcepti Ecclesiæ, propter cultum Dei, v. gr. in audiendo Sacro; in adulterio ligati cum ligata, duplex peccatum injustitiæ committitur, unum contra propriam uxorem, et alterum contra maritum adulteræ. In percussione Cleri, dupliciter peccatur, nempe : contra præceptum Dei : *Ne occides,* et contra præceptum Ecclesiæ, quæ ex religionis motivo id prohibuit[1].

Quæres 10. *Quænam sit differentia inter obligationem legis affirmativæ et negativæ.*

Resp. In hoc differunt, quod lex affirmativa obliget semper, sed non pro semper, hoc est, quod vim obligandi semper habeat, non tamen pro omni tempore actu obliget, sed pro eo duntaxat quo actio præcepta executioni est mandanda. Lex vero negativa semper obligat, et pro semper, ac proinde omni tempore actu obligat. Sic, omni tempore teneor non furari, quia præceptum *Non furaberis*, est negativum.

Porro, ex ipsa præcise legis verborum forma, non potest dignosci utrum præceptum sit affirmativum vel negativum; cum idem præceptum, v. gr. jejunii, affirmative proponi possit sic : *jejuna;* vel negative : *ne comedas.* Ut ergo rite dignoscatur, videndum est utrum actio positiva præcipiatur, vel prohibeatur; hinc præceptum jejunii est negativum, præceptum vero eleemosynæ est affirmativum, quibuscumque verbis proponantur; quia illud positivum actum prohibet, istud vero actum positivum præcipit.

Quod si eodem præcepto simul actio positiva præcipiatur, et alia quædam prohibeatur, dicendum est illud præceptum

[1] S. Ligor., lib. I, num. 167, lib. IV, num. 145, et lib. V, num. 33.

affirmativum esse simul et negativum : tale est præceptum de cultu parentum, quo præcipitur ut honor parentibus exhibeatur, et simul prohibetur ne injuria illis inferatur.

QUÆSTIO II.

DE VARIIS SPECIEBUS LEGUM HUMANARUM.

Nota. Lex humana dividitur in *scriptam*, et non *scriptam* seu *consuetudinariam*, et utraque vel est *mere præceptiva* aut *prohibitiva*, vel *pœnalis*, vel *favorabilis*, vel *irritans*.

De mere præceptiva et prohibitiva hucusque diximus, restat de aliis hic breviter disserendum.

ARTICULUS I.

DE LEGE SCRIPTA.

Lex scripta, alia est *civilis*, quæ Jus civile, alia *Ecclesiastica*, quæ Jus Canonicum appellatur.

§ I.

De Jure civili.

Quæres 1. *Quid sit Jus Romanum?*

Resp. Est corpus juris quod dividitur in quinque partes, nimirum :

1° In *Institutiones*, quæ quatuor libris constant, et quæ continent totius Juris elementa seu principia, in gratiam jurisprudentiæ studiosorum.

2° In *Digestum* seu *Pandectas*, a verbo græco, πάνδεχομαι : continet quinquaginta libros, quibus cunctæ pene veterum leges meliori ordine digestæ complectuntur.

3° In *Codicem*, qui vocatur *Codex Justiniani*, et constat duodecim libris.

4° In *Novellas* seu *Authenticas*, quarum exstat unicus

liber continens 168 novas constitutiones, quas Justinianus imperii sui tempore promulgavit.

5° In *unicum librum Feudorum*, quo jura *feudalia* exponuntur.

Quæres 2. *Quomodo citetur Jus civile?*

Resp. 1° *Institutiones* hoc modo citantur :

Inst. Just. ff. *de Rer. divis.*, § *Item ea*, id est, in *Institutionibus Justiniani*, titulo *de Rerum divisione*, paragrapho qui incipit, *Item ea.*

2° *Digesti* leges sic citantur : Leg. *Creditor*, vel Leg. 23, vel ff. *Pignorib.*, id est, lege *Creditor*, vel lege 23 *Digesti*, seu titulo *de Pignoribus.*

3° *Codex* sic citatur : Leg. *Novum*, vel Leg. 2 cod., *de Appell.* id est, lege quæ incipit, *Novum*, vel Leg. 2 codice, *de Appellationibus.*

4° *Novellæ* seu *Authenticæ* sic citantur : *Authent.* vel *Novell., Ut factæ novæ constit.*, vel *Authent.* 66, cap. 1, § *Igitur etiam*, id est, *Authentica*, cujus titulus est : *Ut factæ novæ constitutiones*, quæ est 66, cap. 1, § qui incipit, *Igitur etiam.*

5° *Liber feudorum* sic allegatur : *Feud.* ff. *de Prohib. feud. alien.*, vel Leg. *Quoniam*, id est, in *Libro feudorum*, titulo *de Prohibita feudi alienatione*, in capite vel lege quæ incipit, *Quoniam.*

Quæres 3. *Quid sit Jus Gallicum?*

Jus Gallicum unicum pro toto regno in quo nulla vigent consuetudo vel privilegia, continetur in variis codicibus numero 21, quorum præcipui sunt quinque, nempe :

1° Codex *civilis*, in tres libros distinctos continens 2284 articulos. In *primo* libro agitur de personis et earum juribus civilibus; in *secundo*, de bonis deque variis proprietatis modificationibus; in *tertio*, de variis modis quibus bonorum proprietas acquiritur.

2° Codex *processuum* in cæteris civilibus, 1042 articulos complectens.

3° Codex *negotiationis*[1], 1618 articulos complectens.

4° Codex *causarum criminalium informationis*[2].

5° Codex *pœnalis* habens 484 articulos : in tres libros dividitur, quorum *primus* de pœnis, eorumque effectibus agit ; *secundus* de personis puniendis vel absolvendis ; *tertius* de criminibus et delictis, nec non de pœnis ipsis debitis.

Nota. Leges civiles, undecumque procedant, vel sunt expresse ab Ecclesia seu a Jure Canonico approbatæ, vel expresse correctæ aut improbatæ, vel neque approbatæ, neque improbatæ. In *primo* et *tertio* casu obligant in conscientia, ut dictum est ; minime vero in *secundo*, ut patet[3].

Ex dictis

Sequitur maxime optandum esse, ut Confessarii habeant aliqualem saltem consuetudinis locorum et edictorum regalium cognitionem, ut obvios conscientiæ casus possint rite resolvere.

§ II.

De Jure Ecclesiastico, seu Canonico.

Quæres 1. *Quid sit Jus Canonicum?*

Resp. Definitur a Lancelotto[4] : *Jus quod civium*, (Christianorum scilicet) *actiones ad finem æternæ beatitudinis dirigit* : constatque Scriptura sacra, Apostolorum traditionibus, decretis Conciliorum sive generalium, sive particularium, et decretalibus Summorum Pontificum epistolis.

Quæres 2. *Quibus partibus constat Jus Canonicum?*

Resp. Constat sex partibus : 1° ex Decreto Gratiani, 2° ex Decretalibus, 3° ex sexto Decretalium, 4° ex Clementinis, 5° ex Extravagantibus Joan. XXII, 6° ex Extravagantibus communibus.

[1] *Code de commerce.* — [2] *Code d'instruction criminelle.* — [3] S. Ligor., lib. I, num. 106. — [4] *Instit. juris canon.*, tit. 1.

I. *De Decreto Gratiani.*

Decretum fuit collectum circa annum 1150 a Gratiano Religioso Ordinis S. Benedicti, ex sacræ Scripturæ sententiis, Conciliorum et Summorum Pontificum decretis et responsis, Imperatorum legibus, Sanctorum Patrum et Ecclesiasticorum historicorum dictis, ipsiusque Gratiani ac ejus discipuli Palcæ commentis, illudque divisit in *tres* partes.

Prima pars agit de personis Ecclesiasticis, habetque unam super centum distinctiones, in canones seu capita divisas.

Sic citatur : can. vel cap. *Illitteratos,* dist. 36; vel brevius . *can.* vel *cap.* 1, dist. 36.

Secunda pars continet 36 causas, in quibus agitur de materia et forma judiciorum. Quæstio autem tertia causæ trigesimæ tertiæ septem habet distinctiones *de Pœnitentia.*

Quia vero causæ in quæstiones, quæstiones in capita seu canones dividuntur, ideo sic citantur : *canon.* vel cap. *Si quis,* vel canone tertio, tertia, quarta, id est, canone tertio, causa tertia, quæstione quarta.

Tractatus *de Pœnitentia* sic citatur : *can.* 16 vel *can. Vulgaris,* distinctione prima *de Pœnitentia.*

Tertia pars agit de rebus sacris. Habet quinque distinctiones, quæ sic citantur : can. *Basilicas,* vel *can.* 6, dist. 1 *de Consecrat.,* id est, *de Consecratione.*

II. *De Decretalibus Gregorii IX.*

Decretales[1] jussu Gregor. IX fuerunt compilatæ a S. Raymundo de Pennafort, et in *quinque* libros divisæ, quorum

Primus agit de Judicibus seu prælatis Ecclesiæ.

Secundus, de judiciis civilibus.

Tertius, de rebus Clericorum.

Quartus, de sacramento Matrimonii.

[1] Liber *Decretalium* prodiit ann. 1230.

Quintus, de judiciis criminalibus. Quæ omnia hoc versu continentur :

Judex, judicium, Clerus, sponsalia, crimen.

Decretales sic citantur : cap. 12, vel *cap. Innotuit, De arbitris.* Olim addebatur *extra* sic : *cap. 12 extra, de Arbitris.*

III. *De Sexto Decretalium.*

Liber sextus Decretalium (sic dictus, quia quinque libros Decretalium Gregor. XI sequitur) a Bonifacio VIII[1] ex diversorum Pontificum responsis fuit compilatus.

In quinque libros dividitur, in quibus servatur idem ordo materiarum ac titulorum, qui in Decretalibus Gregorii IX servatur : unde citatur eodem modo, excepto quod addatur : in 6, v. gr. *cap. Nemo,* vel *cap. 11 de electione,* in 6.

IV. *De Clementinis.*

Clementinæ sic dicuntur, quia quinque libris complectuntur constitutiones tum Clementis V, tum concilii Viennensis[2], quas Joannes XXII[3] promulgavit.

Clementinæ sic citantur : Clem. *Cum secundum, de Pœnitentiis;* vel sic : cap. *Cum secundum,* vel cap. 1 *de Pœnitentiis Clementinis*

V. *Extravagantes Joannis XXII.*

Extravagantes Joan. XXII sunt viginti decretales, quas Joan. XXII prioribus Pontificatus sui annis emisit, eæque *Extravagantes* dicuntur, quia vagabantur extra corpus Juris hactenus editum.

Citantur hoc modo : *cap.* 1, vel cap. *Ad onus, de Electione in Extravag. Joan. XXII;* vel brevius : Extravag. *Ad onus, de electione.*

[1] Ann. 1298. — [2] Cui Clem. V præfuit, ann. 1311. — [3] Ann. 1317.

VI. *Extravagantes communes.*

Extravagantes communes sunt decretales tum Joan. XXII, tum aliorum ante ipsum Pontificum, quæ prioribus collectionibus insertæ non fuerant.

Citantur hoc modo : Extravag. *Injunctæ, de electione,* cap. 3; vel cap. *Sancta, int. comm.*, id est, inter communes.

Nota. Ad Extravagantes revocari debent decreta Conciliorum approbatorum, Pontificum Bullæ, et aliæ Constitutiones quæ nondum in corpus Juris sunt insertæ, et quæ postquam sufficienter promulgatæ sunt, in singulis provinciis irrefragabilem habent auctoritatem.

Quæres 3. *Qua auctoritate corpus Juris vigeat in Ecclesia?*

Resp. 1. Decretum Gratiani, licet correctum auctoritate Gregorii XIII[1], tamen, cum a nullo hactenus Pontifice solemniter et authentice sit confirmatum, ejus canones nullam aliam auctoritatem obtinent, quam eorum a quibus deprompti sunt; quod est maxime observandum.

Resp. 2. Aliæ quinque partes Juris Canonici ubique vim legis irrefragabilem obtinent, nisi per novam constitutionem, vel justam consuetudinem, canones in illis contenti sint aboliti.

Quæres 4. *Quid sentiendum sit de rubricis titulorum, de superscriptionibus et summariis capitulorum, de notis et glossis quæ in ipso Jure Canonico habentur?*

Resp. 1° *Rubrica* a *rubris litteris* dicta, quæ plerumque nunc litteris italicis supplentur, est inscriptio indicans materiam tituli. In libris authenticis pari gaudet auctoritate ac ipse textus, cum libri isti una cum rubricis probati sint : unde valet *argumentum a rubro ad nigrum,* id est, a rubrica ad textum capituli, dummodo textus non dissonet. Igitur rubrica potest allegari per modum regulæ generalis.

2° *Superscriptiones* sunt illa verba quæ indicant ex quo auctore textus capituli desumptus sit, vel ad quem direc-

[1] Ann. 1592.

tus; in libris authenticis sunt authenticæ, et ex illis validum est argumentari.

3° *Summaria* sunt contractiones capitulorum a privatis Doctoribus factæ, unde non inserviunt nisi ad majorem legentium commoditatem.

4° *Glossa* est uberior explanatio canonum[1]; at non facit jus, licet reverenter accipienda sit ob eximiam doctrinam Glossatoris.

5° *Nota* est brevior illustratio, explicatio vel additio citationum : hæc solam illam habet auctoritatem quam ipse tribuit annotator.

Quæres 5. *Quid de Concilio Tridentino uti est fons legum Ecclesiasticarum.*

Resp. Legum Ecclesiasticarum quæ spectant ad jus *novissimum* uberrimus est fons Concilium Tridentinum. Nullum enim Concilium generale est, in quo tot quæstiones, tamque scite fuerint examinatæ et enucleatæ. Constat 25 sessionibus, et unaquaque ferme sessio duas habet partes, quarum prima canones 130 continet, quibus damnantur hæreses Protestantium, et dogmata fidei confirmantur.

Secunda vero pars, quæ *de Reformatione* inscribitur, plura decreta quæ spectant disciplinam et morum regulas continet, quod in citandis Concilii oraculis ob oculos semper habere debemus[2].

Concilium Tridentinum a Paulo III indictum fuit anno 1542, Bulla *Initio*, reassumptum vero a Julio III anno 1551, Bulla *Quum ad tollenda;* fuit autem absolutum sub Pio IV anno 1564, ut patet Bulla *Benedictus Deus.*

Promulgatum autem fuit primum in Italia et provinciis adjacentibus; item in Hispania, Lusitania, Belgio, Polonia et

[1] Glossatores sunt *Accursius, Bernardus, Tancredus, Joannes Andreas,* quibus accedunt interpretes Innocentius IV, antea dictus *Sinibaldus, Hostiensis, Speculator* seu *Guilelmus Durandus, Panormitanus, etc.* — [2] Genuinam ac præclaram Concilii Trident. texit historiam Card. Sforza Pallavicini, qui a putidis fabellis turpibusque mendaciis apostatæ Pauli Sarpi Concilium vindicavit.

in Germania, reclamantibus tamen Protestantibus. In Gallia autem ubique receptum fuit, teste Cabassutio[1], qui dicit : *Edictum confirmationis sacrosancti Concilii publicatum Romæ 7° Kalend. febr. 1564, universus Clerus Gallicanus in provincialibus, quæ passim in tota Gallia postea coacta sunt Conciliis, atque in generalibus sacri Cleri comitiis, sacrosanctæ hujus Synodi decreta ita complexus, ut nefas sit ei refragari.* Idem testatur Pontas, verbo *Bénéficier.* — In aliis quoque regionibus, ubi primum non fuerat acceptatum, pedetentim promulgatum fuisse per Episcoporum synodales constitutiones, fidem faciunt historici[2].

Ubi tamen Concilium nondum fuit promulgatum, ejus decreta disciplinaria non obligant, ut patet. Decreta vero dogmatica, cum fides ubique locorum una semper sit heri et hodie, constituunt jus pro tota Ecclesia infallibile.

Quæres 6. *Quid de Bullis et Brevibus pontificiis?*

Resp. ad primum. *Bullæ,* a verbo græco βουλὴ, sunt quædam Romanorum Pontificum Constitutiones, sic dictæ a sigillo plumbeo vel aureo, funiculo serico vel canabis suspenso, quod exhibet hinc SS. Apostolorum Petri et Pauli imagines, illinc vero nomen Pontificis regnantis. — Graviora, ut plurimum, negotia respiciunt, et expediuntur in Cancellaria Apostolica, in membranis (parchemin) subfuscis et crassioribus, charactere longobardico seu teutonico.

Bullæ, aliæ sunt *gratiosæ,* quia gratiam aliquam conferunt; aliæ *justitiæ,* quæ justitiæ administrationem respiciunt; aliæ *consistoriales,* quæ in Cardinalium consistorio expediuntur; aliæ *dimidiæ* vocantur, quia dantur a Pontifice nondum consecrato, et in sigillo non exhibent ejusdem nomen. Allegantur autem per primum quo incipiunt vocabulum. — Collectiones Bullarum vocantur *Bullaria.*

Resp. ad secundum. *Brevia* sunt pontificiæ Constitutiones,

[1] *Notitia Eccles. sæcul. XVI.* — [2] Vide Baldassari, *Istoria compendiosa de' Concilj ecumenici,* et *Storia del ricevimento del Concilio di Trento nei diversi Stati,* etc.

quæ per secretarium Brevium expediuntur, in membranis albis atque subtilibus. Negotia quamplurimum tractant non ita graviora et universalia. Sigillum habent ceræ rubræ, vel atramenti rubri in quo impressa est imago Div. Petri piscationem agentis; ideo dicuntur dari *sub annulo Piscatoris*.

Quæres 7. *Quid de Rescriptis?*

Resp. *Rescripta* sunt responsiones Pontificum ad rogata. Duplicis sunt generis : alia dantur *instar epistolarum familiarum*, alia *instar Decretorum*.

Prima dare solent Summi Pontifices suis familiaribus, et viris quibuscum habent amicitiæ consuetudinem, vel cum rogantur de consilio tanquam viri docti et pii. — *Secunda* vero cum loquuntur *ex cathedra*, et tanquam Ecclesiæ universalis pastores et Div. Petri successores.

Rescripta primi generis nullam vim obligandi secum important, ut patet. Alia vero plenam inferunt vim obligationis, cum per eadem jus pontificium exercetur atque suprema Ecclesiæ jurisdictio. Hinc, Div. Augustinus contra Pelagium : *Per Papæ rescriptum causa Pelagianorum finita est.*

Hinc, nemo non videt quod, quæcumque in Bullis, Brevibus et Rescriptis decretoriis continentur, quia ex ore patris, magistri, Christi vicarii, successoris Petri, totius Ecclesiæ pastoris, rectoris et capitis procedunt, debeant *venerabiliter suscipi, summoque in pretio haberi, tanquam divina Petri voce firmata*[1].

Quæres 8. *Quid de Sacris Congregationibus Romanis?*

Resp. *Sacræ Congregationes* sunt cœtus Cardinalium quibus demandatur provincia certa negotia perpendendi, declarandi ac definiendi.

Earum decreta vel declarationes non efferuntur, ordinarie loquendo, nisi prius consulto Pontifice. En Congregationes præcipuæ :

[1] Ex Decret. 19, cap. 11.

Prima est *Congregatio Concilii*, nempe Tridentini, a Pio V instituta, pro Tridentini observantia, cui Sixtus V tribuit etiam potestatem Concilii decreta interpretandi in iis quæ ad morum vel ad disciplinæ reformationem pertinent. Cardinales ex quibus coalescit *Patres sacrosancti Concilii Tridentini interpretes* nuncupantur.

Secunda est *Congregatio Episcoporum et Regularium*, cujus cura est bonæ diœceseon episcopalium totius orbis catholici administrationi advigilare et eam promovere. — Suscipit etiam Regularium utriusque sexus causas, juxta regulas juris cognoscendas et dirimendas.

Tertia est *Congregatio de Propaganda Fide*, cujus munus est in propagationem catholicæ fidei incumbere, ut nomen indicat. Ad illam recurrere debent omnes Vicarii et Præfecti apostolici, superiores missionum et missionarii apostolici in omnibus suis difficultatibus; quæ, si quædam sibi proponuntur pertinentia ad alias Congregationes, ipsis submittit, earumque responsa oratoribus transmittit.

Tres prædictæ Congregationes ex Cardinalibus tantum coalescunt.

Quarta est *Congregatio Sacrorum Rituum*, quæ admittit, præter Cardinales, etiam consultores prælatos vel regulares. Hujus provincia est liturgiam sacram et ea quæ ad eam pertinent negotia definire et ordinare, necnon ea quæ ad beatificationem et canonizationem Sanctorum respiciunt tractare.

Quinta est *Congregatio Indicis* librorum prohibitorum, quæ invigilat ne quis liber continens aliquid falsum aut minus consonum religioni aut bonis moribus, in lucem edatur, cum maximo Reipublicæ Christianæ et civilis detrimento.

Sexta est *Congregatio Sancti Officii*, quæ *Suprema* dicitur. Hæc cognoscit de hæresi, de hæresis suspicione et de aliis irreligiositatis factis.

Septima est *Congregatio Indulgentiarum*, quæ dirimit

omnes quæstiones quæ circa indulgentias contingere possunt.

Octava est *Congregatio Immunitatis*, nempe Ecclesiasticæ, personalis et realis; de his omnibus cognoscit et judicat.

QUÆRES 9. *Utrum vim habeant obligandi declarationes SS. Congregationum*[1]?

RESP. *Certum* est illas obligare in casu particulari pro quo illæ declarationes eduntur, uti constat ex constit. *Immensa* Sixti V, a quo talis facultas fuit illis concessa. Imo, inquit Scavini[2], loquendo speciatim de S. R. C., Sixtus illa tanti fecit, ut semel ac a Cardinali Præfecto signata sunt, ipsam capellam Pontificiam iisdem subjecerit.

Utrum vero vim habeant obligandi in aliis casibus similibus, controvertitur. Multi probabiliter affirmant, si tales declarationes munitæ sint sigillo præfecti atque subscriptione, et datæ consulto Pontifice, quia Papa hanc potestatem tribuit Cardinalibus, quod decretorium esset, si constaret.

Multi vero etiam probabiliter negant. Ratio, quia licet hujusmodi declarationes maximi sint ponderis, tamen non obligant omnes, nisi sint editæ de mandato Pontificis et pro tota Ecclesia, ita ut præcipiat illas ab omnibus observari. Tales enim declarationes habentur uti novæ leges: ergo non obligant omnes nisi promulgentur in universam Ecclesiam. Promulgari autem possunt tum de speciali mandato Pontificis, tum per plurimum annorum usum, vel per scripta auctorum ipsas referentium.

[1] Die 23 maii 1846, Generalis FF. Prædicatorum exposuit: an decreta S. C. emanata et responsiones quæcumque ab ipsa propositis dubiis scripto formaliter editæ, eamdem habeant auctoritatem ac si immediate a S. Pontifice promanarent, quamvis nulla facta fuerit de iisdem relatio Sanctitati Suæ. — S. R. C. rescribendum censuit *affirmative*. — Et facta de præmissis omnibus sanctissimo D. N. Pio IX Pontifici Maximo per secretarium fideli relatione, Sanctitas Sua rescripta a S. Congregatione in omnibus et singulis approbavit confirmavitque... die 17 julii 1846. (*Decret. authent.*, tom. VIII, p. 455.) — [2] Tract. 2, diss. unica, cap. 4, art. 1.

Quæres 10. *Quid de regulis Cancellariæ sentiendum est?*

Resp. Cancellaria est locus ubi sigillantur et exequuntur Bullæ, Brevia aliaque id genus Curiæ romanæ, quæ maxime respiciunt causas beneficiales et judiciales. Hujus regulæ sunt numero 72. — Sede Suprema vacante, nullius sunt roboris nullæque expediuntur Pontificiæ litteræ, siquidem mortuo Pontifice, ejus sigilla rumpuntur; sed, plena Sede, illico confirmantur, et illico obligant, cum sint vere leges, nisi obstent concordata, vel consuetudo legitima[1].

Nota. Ex dictis patet quam moralistis sit necessaria juris Canonici notitia. *Nam Theologi,* inquit Canus[2], *qui Pontificum canones ignorant, nimis multa desunt ad usus Theologiæ necessaria.* Unde Cœlestinus papa dicit: *Nulli sacerdotum liceat sacros canones ignorare*[3]. Hinc jurisprudentia canonica vulgo nuncupatur *Theologia directrix et practica.*

Quæres 11. *Quid Galli intelligant per libertates Ecclesiæ Gallicanæ.*

Resp. Intelligunt *jus constanter sequendi receptos universalis Ecclesiæ canones, et antiquos regni usus, quidquid de novo in contrarium decernatur.*

Dicitur 1° *jus sequendi receptos Ecclesiæ canones:* quibus vocibus significant se libertates suas non reponere vel in potestate faciendi quod libuerit, vel in summa a Romano Pontifice independentia, cum antiqui canones quos sequuntur, exigant ut Papa ab omnibus habeatur ut pastorum omnium primus, omnium Ecclesiarum caput, habens jurisdictionem non solum in omnes Ecclesias, sed et in omnes earumdem pastores, etc. Unde liber cui titulus: *Des Droits et des Libertés de l'Eglise gallicane,* fuit suppressus[4] et damnatus[5], eo quod ausu temerio contrarium asseruerit.

[1] Excipiuntur tamen tres regulæ, nempe *de vero simili notitia* (mortis beneficiati); *de infirmis resignantibus* et *de idiomate.* — [2] *De loc. theologicis,* lib. VIII, cap. 6. — [3] Cap. *Nulli,* dist. 38. — [4] Arresto Reg. Concil., die 20 decembr. ann. 1638. — [5] A Cardinalibus, Archiepiscopis et Episcopis 22.

Dicitur 2° *et antiquos regni usus :* qui, cum gentis genio et moribus congruant, sine magna publicæ tranquillitatis perturbatione mutari non possent, nec eos mutare intendit Ecclesia, inquiunt, juxta illud Zozimi papæ : *Contra statuta Patrum concedere aliquid vel mutare, ne hujus quidem Sedis Apostolicæ potest auctoritas.*

Dicitur 3° *quidquid de novo in contrarium decernatur.* Unde Galli profitentur se ea decreta libenter amplecti, quæ nec legitime receptis usibus, nec antiquæ disciplinæ adversantur. Idque patet ex comitiis Blesensibus, in quibus eadem observantur circa disciplinam, quæ a Concilio Tridentino sancita fuere, paucis exceptis quæ libertatibus gallicanis adversari videbantur[1].

At hæc doctrina, seu potius præsumptio quorumdam Theologorum et Canonistarum, est ridicula, falsa et maxime periculosa.

1° Quidem est *ridicula;* est enim ridiculum quod unus vel quidam sibi attribuant ut proprium, quod omnibus est commune; atqui prædictæ libertates quæ dicuntur Ecclesiæ Gallicanæ, sunt aut esse possunt omnibus Ecclesiis communes; etenim nulla est Ecclesia particularis quæ sibi non possit per fas et nefas attribuere jus sequendi receptos Ecclesiæ universalis canones et antiquos regni usus, *quidquid in contrarium de novo decernatur.* Et si Ecclesia Gallicana potest suos retinere, aliæ similiter possunt et proprios conservare, quia non sunt Ecclesia Gallicana pejoris conditionis. Ergo, etc.

2° Est *falsa;* nam falsissimum est quam velis Ecclesiam particularem posse sibi jus attribuere sequendi antiquos regni usus, *quidquid in contrarium decernatur.* Hoc est portentosum et implicite damnatum a Pio VI in Bulla *Auctorem fidei*, cap. 6, ubi Pistoriensis doctrina synodi, qua profitetur : *Persuasum sibi esse, Episcopum accepisse a*

[1] Vide sup., ubi probatur Trident. fuisse per omnia et ubique in Gallia receptum.

Christo omnia jura necessaria pro bono regimine suæ diœcesis; perinde ac si ad bonum regimen cujusque diœcesis necessariæ non sint superiores ordinationes, spectantes sive ad fidem et mores, sive ad generalem disciplinam, quarum jus est penes Summos Pontifices et Concilia generalia pro universa Ecclesia, damnatur *ut schismatica, ad minus erronea.*

Et quidem optimo jure; nam *sine Papa*[1] *regi non potest Ecclesia, et Papa portat onus omnium Ecclesiarum*, dicit Joannes VIII[2]: ergo quidquid decernit, ubique robur obtinere debet. Ergo, etc.

Quod si quid ex decretis pontificiis cum gentis genio et moribus non congruat, et sine magna publicæ tranquillitatis perturbatione intrudi non posset, Episcoporum est omnia hæc superiori patefacere, qui pro summa sua sapientia, quid sit agendum statuet, et quod statutum fuerit, id permaneat.

3° Hæc opinio est *maxime periculosa;* nam, semel admissa, pessumdatur universalis Ecclesiæ regimen; Papa, arbiter et moderator totius mundi[3], cui commissa est vinea Domini[4], cui subesse est de necessitate salutis omni humanæ creaturæ[5], fieret quasi alienus in domo Dei; inferiores superioris essent judices; ipsi non obedirent, nisi quantum et quomodo sibi placeret; sub enim obtentu quod nova decreta pontificia receptis usibus non congruant, ea tantum admitterent quæ sibi bene visa forent. Ergo, etc.

Hinc, Clemens XIV[6] dicit : *Quoiqu'elles* (les libertés gallicanes) *soient admises* (en France), *elles sont cependant réprouvées, bien loin d'être autorisées par le Saint-Siége et par l'Eglise universelle.*

[1] Contra art. 29 Joan. Huss. — [2] Epist. 80 et 219. — [3] Gregor. II, epist. 12. — [4] Conc. Chalced., in *epist. Synodali.* — [5] Extrav. *de Major. et Obed.*, cap. *Unam sanctam.* — [6] Dans sa note officielle du 26 juillet 1766, à son nonce en France. — Vid. Theiner, *Vie de Clément XIV*, tom. I, pag. 326.

ARTICULUS II.

DE LEGE CONSUETUDINARIA.

Nota. Duplex est consuetudo, alia *facti,* alia *juris* Et utraque vel est *secundum legem,* vel *præter legem,* vel *contra legem,* Ideo

Quæres 1. *Quid sit consuetudo facti?*

Resp. Est *continuata et publica frequentatio actuum humanorum ejusdem rationis, a majori et saniori parte communitatis exercitorum, cum animo se obligandi.*

Dicitur 1° *frequentatio continuata :* quia non per unum actum bis aut ter repetitum, sed per actus frequenter repetitos, consensus populi necessarius ad consuetudinem inducendam, potest sufficienter exprimi.

Dicitur 2° *publica :* quia illa frequentatio actuum debet tenere locum promulgationis, et indicare populi consensum : ergo requiritur ut actus illi sint publici et notorii, nec ad id sufficiunt actus clam exerciti.

Dicitur 3° *actuum humanorum :* id est, qui fiant voluntarie et libere. Hinc, si populus per vim, metum aut errorem, aliquid repetitis actibus faciat, nulla inde nascitur consuetudo vim legis habens.

Dicitur 4° *a majori parte :* quia mos aliquorum privatorum non potest facere nisi consuetudinem privatam ; agitur autem hic de consuetudine communi, quæ post certum tempus vim tandem legis sortiatur.

Dicitur 5° *saniori parte communitatis :* quia, si consuetudo a sapientibus et timoratis rejiceretur ut mala, vera consuetudo non esset, sed abusus et corruptela, utpote quæ non posset esse morum regula.

Dicitur 6° *cum animo se obligandi :* ratio est, quia consuetudo accipitur pro lege ; sed ad legem requiritur voluntas obligandi : ergo, etc.

Hinc, consuetudo salutandi B. M. V. ad pulsum campanæ, sumendi aquam lustralem in ecclesiæ ingressu, vim legis obligatoriæ non sortiuntur, quia illi actus ex mera devotione fuerunt frequentati.

Porro, cognoscitur consuetudinem inductam esse animo se obligandi : 1° cum superiores puniunt et redarguunt transgressores consuetudinis; non enim præsumuntur velle pœnam imponere pro transgressione actus alias non debiti; 2° cum inde populus scandalizatur; nullus enim scandali occasionem censetur accipere ex eo quod alicui liberum est præstare; 3° cum materia consuetudinis bono communi plurimum utilis est : talis enim consuetudo præsumitur inducta ad præstandum id quod præstare tenemur; atqui tenemur bono communi consulere : ergo, etc.

Quæres 2. *Quid sit consuetudo juris?*

Resp. Definitur ab Isidoro[1] : *Jus quoddam moribus institutum, quod pro lege suscipitur cum deficit lex.*

Dicitur 1° *jus :* per quod convenit cum lege scripta; utraque enim, et jus, et consuetudo legitima, vim legis habet.

Dicitur 2° *moribus institutum :* id est, per consuetudinem *facti,* quæ potius est causa consuetudinis *juris,* quam vera consuetudo.

Dicitur 3° *quod pro lege suscipitur :* ut dicitur[2]: *Inveterata consuetudo pro lege non immerito custoditur; et hoc est jus quod dicitur moribus institutum.*

Dicitur 4° *cum deficit lex :* id est, cum circa aliquid lex non est lata, vel cum est inutilis, vel cum est dubia vel obscura. Unde

Quæres 3. *Quæ sit consuetudo secundum legem, præter legem, et contra legem?*

Resp. 1° Consuetudo *secundum legem,* est ea quæ conformis est legi præexistenti : talis est consuetudo quæ interpretatur legem, vel quæ est legis existentis executio.

[1] *Refertur,* can. 1, dist. 1. — [2] L. 32, ff. *de Legibus.*

2° Consuetudo *præter legem*, est ea quæ nec lege præcipitur, nec legi adversatur : talis est consuetudo Missam quotidie audiendi.

3° Consuetudo *contra legem*, est ea quæ legi adversatur : talis est ea quæ viget in quibusdam diœcesibus, vescendi carnibus singulis sabbatis a Nativitate Domini usque ad festum Purificationis inclusive. Ideo

Quæres 4. *Quot sint effectus legitimæ consuetudinis?*

Resp. Sunt tres.

Primus effectus est legem dubiam interpretari, cum sit *optima legum interpres*[1].

Secundus effectus est novam legem inducere; nam, ex August.[2], *in his rebus de quibus nihil certi statuit divina Scriptura, mos populi Dei, et instituta majorum, pro lege tenenda sunt.*

Tertius effectus est veterem legem abrogare; nam consuetudo habet vim legis; atqui lex nova potest veterem abrogare : ergo et consuetudo. Unde Greg. IV[3] definit quod consuetudo longæva *non debeat juri positivo præjudicium generare, nisi fuerit rationabilis et legitime sit præscripta.*

Quæres 5. *Quot requirantur conditiones, ut consuetudo vim legis habeat, aut legem abroget?*

Resp. Requiruntur tres : 1° Ut sit *rationabilis*, id est, honesta, bono communi utilis, nec juri naturali, divino, aut religioni contraria, alias esset corruptela.

2° Ut adsit *consensus legislatoris*, vel personalis, vel legalis; quia non minorem potestatem requirit consuetudo ut vim legis habeat, quam lex; sed lex requirit consensum Principis. Ergo, etc.

Porro *consensus personalis* est is quo Princeps per se immediate approbat consuetudinem, vel expresse, dando licentiam ut inducatur; vel tacite, cum conscius consuetudinis quæ introducitur, non resistit, *cum facile resistere*

[1] Can. 8 *de Cons.* — [2] Refertur can. 7, dist. 11. — [3] Can. ult. *de Cons.*

posset, imo deberet, cum peccata multiplicarentur, nisi tacite consentiret; teneretur autem impedire peccatum.

Dixi *cum facile resistere posset;* nam plerumque superior tacet ad graviora vitanda mala, quamvis non consentiat; hinc illud vulgare : *Multa patitur Ecclesia, quæ non approbat.*

Consensus legalis est is quo Princeps nescius consuetudinis quæ grassatur, legem tulit, vel ejus prædecessores, qua approbantur consuetudines rationabiles et præscriptæ.

3° Ut sit *legitime præscripta,* id est, continuata toto tempore requisito ad præscribendum, non contradicente superiore. Sed

Quæres 6. *Quantum requiratur temporis ut consuetudo contra legem præscribat, seu, quod idem est, ut legem abroget?*

Resp. 1. Si adsit consensus Principis, *personalis* expressus aut tacitus, consuetudo *contra,* a fortiori *præter legem* præscribit, ubi primum constat de consensu Principis, nec requiritur tempus ad præscriptionem requisitum : quia tunc jus novum non inducitur vi præscriptionis, sed vi consensus Principis qui potest legem introducere et abrogare.

Resp. 2. Si adsit consensus *legalis* tantum, requiritur, juxta communiorem sententiam[1], spatium 10 annorum ad leges civiles, et 40 annorum ad leges Ecclesiasticas præscribendas. Ratio est, quia leges sunt jura; atqui ad præscribenda jura civilia requiruntur 10 anni, et ad præscribenda jura Ecclesiastica requiruntur 40 anni, etc. Ergo, etc.

Alii tamen negant paritatem inter jura et leges Ecclesiasticas, et probabiliter debent sufficere 10 annos etiam in lege ecclesiastica, quia ubi jus non distinguit, nec nos distinguere debemus; atqui nullum jus inter has leges distinguit : ergo, etc.[2]

Unde sapienter dicit P. Gury id pendere non tam a

[1] Quæ est S. Antonin, Navar., Azor, Fagn., Suar., Reginal., Bonac., Panormit., et aliorum. — [2] S. Ligor., lib. I, num. 138.

temporis diuturnitate, quam a cæteris circumstantiis morali æstimatione spectatis, habita præsertim ratione ad sensum communem, utrum nempe major et sanior pars communitatis legem ut abrogatam habeat[1].

Nota. Nunc in Gallia nulla datur consuetudo contra legem civilem, quæ cessare non potest nisi legitima revocatio interveniat.

DICES : Præscriptio *contra legem*, ubi non intervenit consensus personalis Principis, non est rationabilis : ergo non est legitima. RESP. *Nego ant.*

Prob. ant. Consuetudo inducta per actus malos et peccaminosos non est rationabilis; atqui consuetudo inducta *contra legem* est talis : ergo, etc.

RESP. *Dist. maj.* Non est rationabilis ex parte causæ efficientis, *conc. maj.;* ex parte objecti, *nego maj.*, et sic *distincta min.*, *nego conseq.*

Itaque, quando leges exigunt ut consuetudo sit rationabilis, unice attendunt ad illius objectum quod debet esse bonum utile Reipublicæ, nec contrarium legibus divinis et naturalibus, nec libertati Ecclesiasticæ; non vero attendunt ad actiones illorum qui inchoant consuetudinem, quique peccaminosi sunt, donec elapsum sit tempus requisitum ad præscribendam consuetudinem, cum sint contra legem adhuc vigentem et obligantem; a quo peccato excusantur qui bona fide putant legem jam non vigere.

INST. Præscriptio nulla est nisi procedat ex bona fide; atqui consuetudo quæ per actus peccaminosos inchoatur, non procedit ex bona fide : ergo, etc.

RESP. *Dist. maj.* Præscriptio *bonorum* nulla est nisi, etc. *conc. maj.;* præscriptio *legis*, *nego maj.* Ratio est, quia jura ad præscriptionem legis nihil aliud requirunt, nisi quod sit *rationabilis*, nimirum ex parte objecti, et *præscripta;* nam si requirerent ut ex bona fide procederet, nullam admitterent consuetudinem legis abrogativam, cum non possit fieri,

[1] Tract. *de Legib.* num. 144.

moraliter loquendo, quin inchoetur per actus peccaminosos, et consequenter mala fide.

Quæres 7. *Quid, in dubio an consuetudo sit obligatoria?*

Resp. Non obligat, quia consuetudo habet ad instar legis; atqui in dubio quod est minimum tenendum est, ut dictum fuit : ergo, etc.

Quæres 8. *An sicut consuetudo potest abrogare legem, sic lex possit abrogare consuetudinem?*

Resp. *affirm.* Ut expresse definivit Bonifac. VIII[1]. Ratio est, quia consuetudo non habet vim legis nisi auctoritate Principis approbantis; atqui per quascumque causas res nascuntur, per easdem dissolvuntur : ergo, etc. Hic tamen

Nota consuetudinem non abrogari per legem subsequentem, nisi juste præsumatur Princeps illam consuetudinem non ignorasse; ex quo

Sequitur 1° Consuetudines particulares unius provinciæ, aut loci, non abrogari per legem generalem totius regni, vel Ecclesiæ, nisi in lege fiat specialis illarum mentio, ut definivit Bonifacius VIII[2], vel nisi addatur hæc clausula : *Non obstante quacumque consuetudine contraria, etiam immemorabili.* Ratio est, *quia possunt probabiliter ignorari a legislatore,* ait dictus Bonifacius VIII.

Sequitur 2° Consuetudines universales abrogari per legem universalem contrariam, *quamvis de ipsis mentionem non faciat (ibidem),* nec addat clausulam derogatoriam : ratio est, quia præsumuntur non esse ignotæ Principi. Ita S. Ligor.[3]

ARTICULUS III.

DE LEGE FAVORABILI, SEU DE PRIVILEGIIS.

Quæres 1. *Quid sit privilegium?*

Resp. Definitur ab Innocentio III[4] : *Lex privata aliquid speciale indulgens.*

[1] Cap. 1 *de Constit.*, in 6. — [2] Loc. cit. — [3] Lib. I, num. 109. — [4] Cap. 25 *de Verb. signif.*

Dicitur 1° *lex*, non quidem imposita privilegiato, cujus respectu est gratia, sed communitati quæ tenetur non impedire usum privilegii. Ex eo autem quod privilegium sit lex

Sequitur 1° Ab illo solo posse concedi, a quo lex potest ferri.

Sequitur 2° Quod differat a dispensatione, in quantum dispensatio sit gratia transiens ad unicum actum : privilegium vero sit gratia permanens, quæ dat jus *ex se* stabile; nam cum limitatur ad tempus, hoc fit præter naturam privilegii, quod exigit semper durare, donec revocatum fuerit.

Dicitur 2° *privata;* quia, licet motivum formale privilegii sit bonum commune, quatenus Reipublicæ plurimum interest ut privilegia dignis, aut indigentibus concedantur, ut alibi dictum est[1]; tamen objectum ejus materiale indifferenter respicit vel bonum alicujus, aut aliquorum particularium, vel bonum alicujus communitatis, ut privilegium canonis et fori quod est concessum statui Clericali; per quod privilegium differt a lege, quæ necessario est immediate propter bonum commune.

Dicitur 3° *aliquid speciale indulgens*, id est, aliquid præter vel contra jus commune. Cum privilegium addit aliquid juri communi, est præter jus commune : talis est facultas dispensandi, absolvendi, alicui concessa; cum dispensat a jure communi, est contra jus commune, talis est exemptio Religiosorum ab Ordinariorum jurisdictione. Unde

Sequitur : Privilegium præter jus, seu privilegium improprie dictum, concedi posse etiam non subjectis, quia non est actus jurisdictionis, sed meræ facultatis et quasi donatio. Sic Princeps concedere potest extraneo privilegium venandi in proprio territorio.

Quæres 2. *Quomodo dividatur privilegium?*

Resp. Dividitur 1° in *reale* et *personale*[2].

[1] Diss. I, *de Leg. incomm.*, cap. 1. — [2] Cap. *Mandata de præsumpt.* et Leg. *Privilegio*, ff. *de Regul. jur.*

Reale est quod directe et immediate conceditur alicui rei, v. gr. loco, dignitati, muneri, et hoc transit ad hæredes et successores.

Personale est quod conceditur immediate personæ ratione sui, nempe propter sanctitatem, excellentiam, doctrinam, etc., et hoc *extinguitur cum persona*[1]. Unde dicitur etiam vitale.

Porro, privilegium censetur personale quoties exprimitur nomen personæ cui conceditur, v. gr. *committimus Francisco Episcopo Tullensi*, etc. Si vero sola exprimatur dignitas, est reale, v. gr. *committimus Episcopo Tullensi*, etc. In dubio, est personale, si sit odiosum; reale vero, si sit favorabile, quia *odia sunt restringenda, favores* vero *sunt ampliandi.*

Dividitur 2° in *gratiosum* et *remuneratorium.*

Gratiosum est illud quod datur gratis, nulla habita ratione meritorum privilegiati vel aliorum; hoc sine causa licite potest revocari.

Remuneratorium est illud quod conceditur alicui ratione meritorum ipsius vel alterius. Tale non potest licite revocari, nisi ex gravi causa et cum privilegii ablati compensatione.

Dividitur 3° in *favorabile* et *odiosum.*

Favorabile est illud quod privilegiato confert commodum, nullique affert incommodum; tale est privilegium vescendi carnibus tempore Quadragesimæ; est amplæ interpretationis; quia *beneficium Principis late explicandum est*[2].

Odiosum est illud quod uni confert commodum, et alteri præjudicium: talis est exemptio a tributis quæ alios onerat. Est strictæ interpretationis, quia *odia sunt restringenda.*

Dividitur 4° in privilegium datum *motu proprio et ex certa scientia*, et privilegium datum *ad instantiam partis.*

Porro, privilegium semper censetur concessum *ad instan-*

[1] Regul. 7 *Juris*, in 6. — [2] Cap. *Olim de verb. signif.*, et Leg. *De ult. constit. Principum.*

tiam, nisi in litteris concessionis exprimatur datum fuisse *motu proprio*. Inter utrumque autem discrimen est, quod privilegium *motu proprio* concessum, etsi sit alteri nocivum, semper tamen reputatur favorabile, juxta reg. Juris ult., ff. de Constit., *beneficium Imperatoris quod a divina, scilicet, ejus indulgentia proficiscitur, quam plenissime interpretari debemus.*

Aliæ sunt privilegiorum species, scilicet : 1° privilegium ad *instar*, quo si quid uni conceditur, alteri communicatur accessorie. Illud extinguitur, minuitur vel augetur prout extinguitur, minuitur vel augetur privilegium principale. — 2° Privilegium *pariformiter*, quo si quid uni conceditur, alteri quoque communicatur *principaliter;* istud ab alio non pendet nec ejus sequitur conditionem.

QUÆRES 3. *An privilegiatus teneatur uti privilegio?*

RESP. Per se loquendo non teneri, quia[1] liberum est unicuique juri suo renuntiare.

Dixi *per se loquendo*, quia excipiuntur duo casus : *primus* est cum privilegium datur ad aliquid alias præceptum, v. gr. ad audiendam Missam tempore interdicti; *secundus*, cum privilegium canonis proxime respicit bonum communitatis; tale est privilegium canonis et fori, quod concessum est statui Clericali, cui proinde non potest cedere Clericus, cum ex omissione ejus usus sequatur aliorum præjudicium.

QUÆRES 4. *An quis privilegio contra legem concesso uti possit extra territorium concedentis?*

RESP. Non posse, si privilegium sit locale; posse vero, si sit personale, modo non sit contra particulares alterius territorii leges. Ratio est, quia privilegium locale afficit territorium concedentis, ipsique annexum est; personale vero afficit personam, eamque sequitur quocumque pergat: ergo, etc.

Resolves : Si cui concessum sit privilegium vescendi car-

[1] Cap. 6 *de Privilegiis.*

nibus tempore Quadragesimæ propter penuriam piscium, eo privilegio non potest uti extra territorium concedentis, quia est locale; si vero concessum sit propter necessitatem ipsius privilegiati, potest ubique tali privilegio uti, quia est personale. Talisque est praxis timoratorum, qui, accepta a parocho suo licentia comedendi carnes, iisdem in alia parochia absque nova parochi illius loci permissione, non vescuntur.

Dixi *modo non sit contra particulares alterius territorii leges* : quia, ex dictis, viator tenetur legibus particularibus alieni territorii per quod transit, vel in quo ad aliquod tempus moratur.

Hinc, qui a suo Episcopo facultatem obtinuit legendi libros prohibitos, potest illos in aliena diœcesi legere, modo non sint prohibiti per statutum Episcopi illius loci.

Quæres 5. *Quot modis privilegium amittatur?*

Resp. Sex modis amittitur.

1° *Lapsu temporis præscripti,* aut *cessatione causæ* propter quam concessum fuerat[1]; ratio est, quia privilegium non durat ultra intentionem concedentis; atqui concedens noluit privilegium concedere nisi ad tale tempus, vel sub tali causa : ergo, etc.

2° Amittitur per *voluntariam et liberam renuntiationem* factam a privilegiato et acceptatam a privilegiante; ratio est, quia *liberum est unicuique juri suo renuntiare*[2].

3° Amittitur per *non usum* spatio ad præscriptionem sufficiente, si gravet alios; quia non usus privilegii per tantum tempus est tacita illius renuntiatio, ut definit Innocentius III[3]. Quod si non gravet alios, non amittitur per præscriptionem, cum nemo sit qui habeat jus de eo conquerendi.

4° Amittitur per *usum privilegio formaliter contrarium,* si gravet alios; ratio est, quia privilegiatus præsumitur re-

[1] Leg. *Quoties, de precibus Imperatori offerendis.* — [2] Cap. 6 *de Privilegiis.* — [3] Cap. 15 *de Privileg.*

nuntiare privilegio[1]. Quod si non gravet alios, non amittitur propter contrariam rationem.

Hinc, qui habens privilegium non solvendi decimas, eas volens et sciens solvit, amittit privilegium : e contra, qui habens privilegium non jejunandi tempore Quadragesimæ, jejunat, non amittit privilegium, quia præsumitur jejunare solum ex devotione, non ut renuntiet privilegio.

5° Amittitur per *abusum, quia privilegium meretur amittere, qui permissa sibi abutitur potestate.* Requiritur tamen sententia declaratoria judicis, nisi privilegium concessum sit sub conditione illud amittendi *ipso facto* per abusum.

6° Amittitur per *revocationem* concedentis aut successoris privilegiato significatam, sive sit *expressa* per hanc specificam formulam : *non obstante tali privilegio,* vel per hanc genericam : *non obstantibus quibuscumque privilegiis;* sive sit *tacita,* nimirum per collationem posterioris privilegii priori privilegio contrarii.

Nota. De privilegiis in particulari dicemus in loco singulis rebus proprio, et præsertim de privilegiis Clericorum, Regularium et Episcoporum, in tract. *de Statibus.*

ARTICULUS IV.

DE LEGE PŒNALI.

Nota. Lex alia est *præceptiva,* alia *pœnalis.*

Lex præceptiva est ea quæ sancit aliquid faciendum vel omittendum, nulla pœna transgressoribus constituta.

Lex pœnalis est ea quæ pœnam transgressoribus expresse constituit. Alia est *pure pœnalis,* alia *mixta.*

Lex *pure pœnalis* est ea quæ præcipit tantum disjunctive vel ut fiat aliquid, vel ut certa pœna subeatur; unde unicum præceptum continet disjunctivum, ut patet.

[1] Cap. 15 *de Privileg.*

Lex *pœnalis mixta* est ea quæ præcipit aliquid faciendum vel omittendum, et simul pœnam transgressoribus imponit; unde duo præcepta continet : alterum absolutum faciendi vel omittendi quod præcipitur aut prohibetur; alterum subeundæ pœnæ, si non fiat aut omittatur quod præcipitur aut prohibetur. His expositis,

Quæritur 1° an dentur leges puræ pœnales aut mixtæ; 2° an leges pœnales obligent ad subeundam pœnam ante sententiam judicis.

§ I.

An dentur leges pure pœnales, aut mixtæ.

CONCLUSIO I.

Possunt dari leges pure pœnales.

Prob. Quia lex vim habet ex voluntate legislatoris : ergo si legislator nolit obligare subditos nisi ad pœnam, subditi inobedientes non incurrent nisi reatum pœnæ; atqui legislator potest nolle obligare subditos nisi ad pœnam, eo modo quo quis potest vovere se nunquam lusurum, vel si luserit, se talem pauperibus eleemosynam erogaturum, unde fit ut non peccet, si post ludum pactam eleemosynam largiatur : ergo, etc., Ita *communissime* Theologi[1].

Objicies 1. Nulla pœna potest imponi sine culpa : ergo non datur lex pure pœnalis.

Resp. *Nego ant.* Nam, juxta reg. 23 Juris, in 6°, *sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus.* Ergo datur pœna, quæ aliquando ob causam a culpa diversam infligitur.

Inst. 1. Ex Div. August.[2], *omnis pœna, si justa est, peccati pœna est, et supplicium nominatur :* ergo nulla pœna potest juste imponi sine culpa.

Resp. *Dist. ant.* Omnis pœna proprie dicta, *conc. ant.;*

[1] S. Ligor., lib. I, num. 145. — [2] Lib. I *Retractat.*, cap. 9.

omnis pœna improprie dicta, peccati pœna est, *nego ant.* Pœna *proprie* dicta est malum propter culpam inflictum; pœna *improprie* dicta est malum alia de causa impositum, puta ut illius metu impellamur ad faciendum aliquid, vel ut fiamus in posterum cautiores ad vitandos communes defectus; talis est pœna quæ per leges pure pœnales imponitur, quæ quidem supponit culpam juridicam quæ coram Deo reatum non inducit, sed non supponit culpam theologicam, quæ sola est peccatum.

Inst. 2. Omne præceptum legitimum obligat sub culpa theologica; atqui omnis lex est præceptum legitimum : ergo.

Resp. *Dist. min.* Omnis lex est præceptum absolutum, *nego min.;* est præceptum disjunctivum, *conc. min.;* ergo obligat sub culpa theologica disjunctive ad actum vel ad pœnam, *conc. conseq.;* absolute ad actum, *nego conseq.* Pendet autem a legislatore ut velit aliquando absolute obligare ad actum, aliquando disjunctive ad actum vel ad pœnam, et tunc obligat in conscientia ad alterutrum tantum.

Inst. 3. Lex est directiva actus moralis : ergo obligat absolute ad actum moralem.

Resp. *Dist. ant.* Lex est directiva absolute vel disjunctive, *conc. ant.;* absolute semper, *nego ant.* Si autem directiva sit tantum disjunctive, non obligat nisi disjunctive ad actum præscriptum, vel ad pœnam subeundam, quia alterutrum tantum præcipitur; unde tunc subditus non deficit a rectitudine necessaria vi legis, cum alteram partem disjunctionis implet, quia non tenetur obedire superiori, nisi eo modo et quatenus præcipit.

Objicies 2. Leges mere pœnales non sunt vere ac proprie dictæ leges, sed simplices directiones et consilia : ergo, etc.

Resp. *Nego ant.* Nam ad rationem legis proprie dictæ, sufficit quod habeat vim obligandi in conscientia; atqui lex pure pœnalis obligat in conscientia ad pœnam : ergo, etc. Unde qui legem hujusmodi transgreditur, peccat, nisi paratus sit ad pœnam illam subeundam.

Hinc, dari non potest lex mere pœnalis in hoc sensu, quod nullo modo obliget in conscientia, alias non esset lex; sed obligare debet saltem ad pœnam acceptandam et solvendam, si lex fuerit lata et pœna applicata.

Quæres : *Quomodo cognosci possit voluntatem legislatoris esse obligare tantum ad pœnam?*

Resp. Tribus modis : 1° Ex communi sapientum interpretatione.

2° Ex verbis legislatoris quibus declarat se nolle obligare ad culpam, quod satis communiter declarant in suis constitutionibus superiores Regulares, ut constat ex constitutionibus Fratrum Prædicatorum et Capucinorum.

3° Ex ipsa legis forma, cum nempe non fertur per modum præcepti aut prohibitionis sic : *Qui frumentum e regno transtulerit, solvet centum libras :* vel cum fertur disjunctive hoc modo : *Nemo frumentum e regno transferat, vel centum libras solvat.* Tunc enim alterutrum e duobus sufficit ad legem implendam et vitandum peccatum, quia legislator nil aliud intendit, contentus illo modo coactionis.

Resolves : Leges oppidorum prohibentes sub pœna cæsionem lignorum, sive herbarum, piscationem, venationem, etc., non obligaret sub culpa[1].

Cæterum hæc quæstio difficile speculando resolvi potest; sed ad solos in sua regione vel natione doctos et peritos hac de re judicare spectat.

CONCLUSIO II.

Dantur leges pœnales mixtæ obligantes in conscientia ad actum præceptum. Est contra Navarrum[2].

Prob. Lex quæ continet præceptum absolutum aliquid faciendi vel omittendi, obligat in conscientia; atqui lex pœnalis mixta continet præceptum absolutum, et simul pœnam transgressoribus imponit. Ergo, etc.

[1] S. Ligor., lib. I, num. 145. — [2] *In Manuali*, cap. 23, num. 55.

Prob. maj. quæ sola patitur difficultatem. Lex humana præceptiva, seu quæ continet præceptum absolutum absque impositione pœnæ, obligat in conscientia, ut fatetur Navarrus : ergo et lex præceptiva cum impositione transgressoribus pœnæ; nam impositio pœnæ non tollit obligationem ad culpam, sed potius indicat et confirmat illam.

Objicies cum Navarro : Lex pœnalis, utpote odiosa, benigne interpretanda est; atqui benigna interpretatio est, si dicatur omnem legem pœnalem obligare sub pœna tantum : ergo nulla est lex pœnalis mixta.

Resp. *Dist. maj.* Lex pœnalis, etc., benigne interpretanda est, cum sensus ejus est dubius, *conc.;* cum sensus ejus non est dubius, *nego maj.* At sensus legis quæ in verbis et modo quo fertur continet præceptum actus quem exigit, non est dubius; et ideo qui talem asserit in conscientia non obligare, non benigne interpretatur legem, sed manifeste corrumpit.

Inst. 1. Injustum est reatum duplicis pœnæ imponere propter eamdem transgressionem : ergo dum legislator humanus imponit pœnam temporalem, non potest imponere pœnam æternam : ergo nec obligare in conscientia.

Resp. *Nego ant.* Nam 1° Deus, cum præceptum Adamo imposuit, illum obligavit in conscientia sub pœna gravissima ac reatu pœnæ æternæ, et tamen adjecit pœnam mortis temporalis. 2° Multæ leges civiles pœnas temporales statuunt propter crimina contra legem naturalem aut divinam, quamvis hæ leges æternæ pœnæ reatum inducant; nec id injuste, quia peccatum utraque pœna dignum est, et utramque imponi, sæpe utile, imo necessarium est ad obtinendum effectum legis.

Inst. 2. Qui unum exprimit, et aliud tacet, censetur excludere quod tacet[1]: ergo legislator apponens pœnam temporalem, censetur excludere æternam.

Resp. *Dist. ant.* Censetur excludere quod tacet, si illa

[1] Cap. 5 *de Præsumpt.*

duo sint incompatibilia, vel si necessario facienda sit utriusque mentio expressa, nec sufficiat implicita, *conc. ant.;* secus, *nego ant. et conseq.* Porro, nec obligatio in conscientia incompossibilis est cum obligatione ad pœnam temporalem, sed utraque potest utiliter conjungi; nec est necessaria mentio expressa obligationis in conscientia, sed sufficit implicita contenta in præcepto quo legislator sufficienter declarat se obligare in conscientia, graviter vel leviter pro qualitate materiæ quæ præcipitur.

Resolves: Eos graviter peccare et ad restitutionem teneri, qui tributa et vectigalia defraudant, tum quia præcipiuntur legibus pœnalibus mixtis; tum quia sunt justa stipendia Principi pro Republica laboranti debita, juxta illud Apost.[1]: *Ideo enim tributa præstatis, ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum servientes... cui vectigal, vectigal.* Et illud Christi[2]: *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari,* etc. Ergo solvi debent ex justitia, etiamsi non petantur, ubi consuetudine receptum est ut solvantur antequam petantur; quod si consuetudine receptum sit ut non solvantur nisi ab exactoribus petantur, *non necessario solvenda sunt nisi petantur,* ait Sylvius[3], *modo nihil fraude agatur, ut abscondendo merces, divertendo a viis publicis ne exactori occurratur, fugiendo, vel aliter decipiendo exactores.* Sed

Quæres 1. *Cuinam facienda sit talis restitutio?*

Resp. Facienda est Principi, non vero exactoribus. Ratio est, quia Princeps qui propter subditorum fraudes jus exigendi tributa viliori pretio vendidit, inde passus est injuriam : exactores vero et publicani, qui propter tales fraudes jus Principis viliori pretio emerunt, nullam patiuntur injuriam.

Quæres 2. *An lex, v. gr. circa gabellas, imponens pœnam exorbitantem obliget in conscientia?*

Resp. Multi *negant,* quia debet lex esse justa, et ideo

[1] Rom. XIII, 6. — [2] Matth. XXII, 22. — [3] In sua concl. 7 *in S. Thom.,* 2 2 quæst. 66, art. 8.

omnis pœna legalis debet esse proportionata cum culpa; sed cum pœna est exorbitans, lex esset injusta, si simul obligaret in conscientia. Unde tunc judicandum legislatorem non velle obligare nisi ad muletam.

Quæres 3. *An sint leges aliquæ Ecclesiasticæ mere pœnales?*

Resp. *negat.* Si excipias multorum Religiosorum Ordinum regulas. Ratio est, quia hujusmodi leges deberent ferri disjunctive, seu saltem obligantes ad pœnam, et tunc requireturin legislatore potestatem coercitivam; sed Ecclesia tali potestate non gaudet, sicut Principes sæculares : ergo, etc.

§ II.

An leges pœnales obligent ad subeundam pœnam ante sententiam judicis declaratoriam.

Nota 1. Pœnæ aliæ sunt *latæ*, aliæ *ferendæ sententiæ*.

Pœna *latæ sententiæ* est ea quæ ipso facto, id est, sola criminis admissione infligitur per legem.

Pœna *ferendæ sententiæ* est ea quæ statuitur infligenda per sententiam judicis. De hac pœna non agitur in hac quæstione, cum constet per pœnam ferendæ sententiæ non esse condemnatum, sed tantum condemnandum.

Nota 2. Sententia judicis duplex est, nempe : *condemnatoria,* per quam reus a judice ad certam pœnam condemnatur; et *declaratoria,* per quam judex declarat aliquem incidisse in crimen, propter quod pœna *ipso facto* incurritur.

Nota 3. *Triplex* est genus pœnarum. *Primum* est earum quæ possunt executioni mandari sine actione rei; tales sunt pœnæ mere *passivæ,* v. gr. censuræ, irregularitas, privatio vocis activæ et passivæ, etc.

Secundum genus est earum quæ non possunt executioni mandari absque actione rei, vel levi nec valde difficili, ut sunt pœnitentiæ quas præscribunt Religiosorum constitu-

tiones; vel gravi, et valde difficili, ut sunt aliquæ pœnæ 1° *positivæ*, v. gr. exilium, mutilatio, incarceratio, etc.; 2° *privativæ*, v. gr. privatio Beneficii juste possessi, bonorum omnium confiscatio, etc.

Tertium genus est earum quæ irritant actum lege prohibitum, v. gr. matrimonium clandestinum, vel reum reddunt inhabilem ad aliquid, v. gr. beneficiatum ad percipiendos Beneficii fructus, si Horas non recitet; vel quæ non tam sunt pœnæ, quam conditiones ad aliquid acquirendum necessariæ, v. gr. pœna privationis Beneficii statuta contra Clericum qui sua culpa intra annum ad Sacerdotium non promoveretur. His positis, sit

CONCLUSIO I.

Pœnæ quæ executioni possunt mandari sine actione rei, effectum suum sortiuntur ante sententiam judicis declaratoriam, secluso mortis aut infamiæ periculo.

Prob. Quia nulla potest sufficiens ratio afferri, cur hujusmodi pœnæ *ipso facto* non incurrantur, si legislator velit eas ipso facto incurri; et est communis usus Ecclesiæ, ut censuræ, irregularitates et aliæ pœnæ mere passivæ incurrantur absque sententia declaratoria. Dicentum est igitur has pœnas mandari posse executioni, quin ulla ponatur sententia declaratoria ex parte judicis.

Dixi *secluso mortis aut infamiæ periculo :* quia jus naturale ad propriam vitam et famam præponderat juri humano contra reos statuenti pœnas excommunicationis, privationis vocis activæ et passivæ, etc.

CONCLUSIO II.

Pœnæ quæ executioni mandari non possunt absque actione rei, effectum suum sortiuntur ante sententiam declaratoriam, si actio quæ requiritur ad earum executionem, non sit valde difficilis; illum vero non sortiuntur, si sit valde difficilis. licet hæc clausula : Nulla declaratione præmissa *vel* absque ulla declaratione *apponatur, nisi in aliquo casu usus contrarius invaluerit.*

Prob. Quia lex debet præcipere actus moraliter possibiles; atqui executio pœnarum quæ requirit actionem rei non valde difficilem, est moraliter possibilis; econtra, executio pœnarum quæ requirit actionem rei valde difficilem, est moraliter impossibilis . ergo, etc. Et hic est communis sensus et usus Ecclesiæ.

Dixi 1° *Licet hæc clausula :* Absque ulla declaratione, *apponatur;* cum enim lex pœnalis accipi debeat in mitiori sensu, prædicta clausula, sic explicatur : nulla expectata declaratione pœnæ, sed non excluditur declaratio criminis, ut pœna possit reo applicari. Ita *communiter,* cum S. Ligorio[1].

Dixi 2° *Nisi usus contrarius invaluerit :* quomodo invaluit ut conjux incestuosus privetur jure petendi debitum ante ullam judicis declarationem.

Dices : Si delinquens, patrato delicto propter quod pœna *ipso facto* est imposita, non teneretur statim persolvere pœnam, sequeretur frustra in lege apponi illas clausulas : *ipso facto, ipso jure;* et nullam esse differentiam inter pœnam *latæ et ferendæ* sententiæ; falsum et absurdum consequens : ergo, etc.

Resp. *Nego seq. maj.* Disparitas est, quia pœna *ipso facto* imposita retrotrahitur ad diem commissi criminis; unde

[1] Lib. I, num. 148.

1° donationes et aliæ dispositiones quæ crimen subsecutæ sunt, irritæ evadunt statim atque intervenit sententia declaratoria; 2° ab illo die exurgit obligatio realis quæ transit ad hæredes, restituendi fructus perceptos; secus, si pœna esset tantum *ferendæ*, quia reus nondum esset condemnatus; unde non privaretur fructibus perceptis, nec irritæ essent donationes, aut aliæ circa Beneficium dispositiones, nisi post sententiam judicis *condemnatoriam*, quæ non potest ferri post delinquentis mortem, *cum morte* (delinquentis) *ejus crimen cum pœna sit extinctum*[1].

Resolves : Parochum qui admisit crimen propter quod *ipso facto* privatur Beneficio, non teneri ante sententiam declaratoriam, se a sui Beneficii possessione amovere; ideoque posse valide absolvere pœnitentes, et fructus facere suos, modo Beneficii munera exequatur.

CONCLUSIO III.

Pœnæ quæ irritant actum lege prohibitum, sortiuntur suum effectum ante sententiam judicis declaratoriam.

Prob. Quia actus facti contra leges irritantes, vel inhabilitantes, vel conditionem, quæ non impletur, apponentes, sunt invalidi, ut per se patet : ergo ante judicis declarationem suum sortiuntur effectum :

Quæres 1. *An post sententiam teneatur reus in conscientia pœnam exsequi?*

Resp. Si in ea nihil contineatur inhumani, vel inhonesti, ut sui occisio, tenetur; nam justo præcepto superioris parendum est; — sin autem, non tenetur, ut patet, quia esset contra naturam.

Quæres 2. *An ignorantia pœnæ, reum excuset a pœna?*

Resp. 1. Ignorantia quæ excusat ab omni culpa, excusat

[1] Lib. III Cod. *Si reus vel accusator mortuus fuerit.*

etiam ab omni pœna saltem gravi. Ratio est, quia ubi non est delictum, nec pœna debet esse.

Resp. 2. Ignorantia quæ non excusat a culpa, aut saltem a gravi, non excusat a *pœna proportionata, nisi aliter statuatur a lege*, etiamsi pœna hæc invincibiliter ignoretur. Ratio est, quia omnis legis transgressio formalis puniri debet aliqua pœna sive per legem, sive per judicem definita: ergo, etc. Hinc qui legem culpabiliter violat, ignorans quod violationi adnexa sit pecuniæ solutio pœnam illam incurrit, licet eam invincibiliter ignoraverit.

Dixi 1° *pœna proportionata;* quia si esset exorbitans, v. gr. exilium, non incurritur; quia talis pœna nec supponi nec prævideri potest [1].

Dixi 2° *nisi aliter statuatur a lege;* hinc non incurruntur Ecclesiasticæ censuræ, irregularitates ex delicto, privatio vocis activæ et passivæ. Ratio est, quia illæ pœnæ non incurruntur nisi propter contumaciam; unde ordinarie sub hac forma feruntur: *Qui scienter vel qui temerarie hoc fecerit, vel facere præsumpserit;* atqui ille solus est contumax qui ex certa scientia, vel ex ignorentia *affectata*, quæ æquiparatur scientiæ legis, agit contra legem: ergo qui agit contra tales leges ex ignorantia invincibili, vel etiam crassa, pœnæ non incurrit pœnam. Ita *communiter* [2].

Resp. 3. Difficultatem circa pœnas quæ irritant actum lege prohibitum, commodius resolvemus articulo sequenti; ideo sit

ARTICULUS V.

DE LEGE IRRITANTE.

Quæres 1. *Quid sit lex irritans?*

Resp. Est ea quæ actum aliquem, cui certæ desunt conditiones, *nullum et invalidum* facit, sive explicite, v. gr. si

[1] Ex. cap. 11 *de Const.*, in 6. — [2] S. Ligor., lib. I, num. 169.

lex his verbis feratur : *Si actus realiter fiat, careat omni robore;* sive implicite. v. gr. si lex formam substantialem alicujus actus præscribat, quæ non servetur.

Dicitur *nullum et invalidum;* per quod distinguitur

1° A lege simpliciter prohibente, quæ reddit actum illicitum, sed non invalidum, quia[1] *multa fieri prohibentur, quæ, si facta fuerint, obtinent firmitatem.* ut patet in matrimonio contracto post emissum simplex castitatis votum, et in lege civili contractus rescendibiles.

2° A lege quæ non irritat *ipso facto* actum, sed solum præcipit ejus irritationem per judicem faciendam, et quæ consequenter omni usu ac utilitate morali non privat ante sententiam irritatoriam judicis.

Quæres 2. *Quotuplex sit irritatio?*

Resp. Quadruplex, *pœnalis* scilicet et *legalis.*

Irritatio pœnalis est ea qua actus aliquis irritatur in pœnam peccati; talis est irritatio acquisitionis fructuum ab eo qui Horas Canonicas ommittit.

Irritatio legalis est ea qua aliquis actus irritatur propter bonum commune; talis est irritatio matrimonii inter consanguineos et affines ob decentiam, testamentorum minus solemnium, matrimoniorum clandestinorum, donationum pupillorum, etc., propter periculum fraudis et aliorum incommodorum inde sequendorum.

Duplex iterum est; irritatio *immediata,* qua irritatur actus ipse, ut in impedimento matrimonii ratione clandestinitatis, — alia irritatio *mediata,* qua mediate irritatur actus personas inhabiles reddendo, ut in impedimento consanguinitatis.

Quæres 3. *An ignorantia invincibilis legis irritantis, impediat irritationem?*

Resp. Ignorantia invincibilis et quælibet alia causa quæ excusat a culpa, impedit irritationem *pœnalem,* non vero *legalem.*

[1] Cap. 16 *de Regularibus.*

Ratio primi est, quia pœna proprie dicta statuta est ob culpam, et hanc necessario supponit : ergo quod tollit culpam, tollit reatum pœnæ proprie dictæ ; ex quo

Resolves : Si quis, ex oblivione mere naturali, omittat Horas, facit fructus suos, licet exstet lex qua irritatur acquisitio fructuum ab iis facta qui officium omittunt.

Ratio secundi est, quia irritatio legalis non supponit culpam, sed fundatur in præsumptione periculi fraudis et aliorum incommodorum ; atqui in actu contra legem irritantem legalem celebrato, semper existit periculum fraudis, etc. Ergo lex semper vigere debet ; hoc enim absolute intendit et intendere debet legislator ; unde

Resolves : Si quis, ex ignorantia invincibili, matrimonium clandestine contrahat, aut cum consanguineo vel affini, nihilominus invalidum est tale matrimonium ; quia irritatio facta contra has leges non est pœnalis, sed legalis.

QUÆSTIO III.

DE CESSATIONE LEGUM HUMANARUM.

Nota. Lex cessare potest tum *ab intrinseco,* tum *ab extrinseco.*

Lex humana cessat *ab intrinseco :* 1° quando, propter mutationem materiæ aut circumstantiarum, fit inutilis bono communi ; est enim essentiale legi, ut sit propter bonum commune ; 2° quando cessat respectu totius communitatis causa adæquata, propter quam lex fuit lata ; nam lex non obligat nisi juxta voluntatem legislatoris ; atqui cessante respectu totius communitatis tota et integra causa propter quam legem tulit, non perseverat moraliter voluntas obligandi : ergo, cessante tota et integra illa ratione, lex amplius non obligat.

Hinc, si præcipiatur jejunium ad obtinendam Principis

sanitatem, mortuo Principe, aut ad sanitatem restituto, cessat obligatio jejunii.

Dixi 1° *cessante causa adæquata :* quia si lex fuerit lata ob plures causas, cessante una, si non cessent aliæ, non cessat obligatio legis ; sic, si Episcopus præcipiat jejunium ad pacem et sanitatem Principis obtinendam, non cessat lex perseverante bello, licet obtenta Principis sanitate

Dixi 2° *respectu totius communitatis :* quia si finis ratioque legis pro quibusdam tantum modo particularibus cessaret, vigeret semper pro omnibus et singulis ejus obligatio, quia legislator vult ut omnes lege teneantur, quamdiu lex illa utilis est bono communi ; atqui tamdiu lex est utilis bono communi, quamdiu finis adæquatus legis non cessat respectu totius communitatis : ergo. Hinc, licet per accidens nullum alicui sit in librorum prohibitorum lectione subversionis periculum, ab eorum tamen lectione tenetur abstinere.

Lex humana cessat *ab extrinseco :* 1° per interpretationem ; 2° per dispensationem ; 3° per derogationem, abrogationem et irritationem ; de quibus in sequentibus articulis.

ARTICULUS I.

DE INTERPRETATIONE LEGUM HUMANARUM.

Nota 1. Duplex est legis interpretatio : *prima* dicitur *simplex ; secunda* dicitur *per epikeiam* seu æquitatem.

Interpretatio *simplex* est terminorum legis quæ obscuritatem, aut ambiguitatem quamdam patiuntur, simplex expositio.

Interpretatio *per epikeiam* est benigna et rationabilis declaratio, qua decernitur casum aliquem particularem, ob suas circumstantias, non comprehendi lege, quamvis per verba generalia lata.

Nota 2. Interpretatio simplex, *triplex* est, nimirum : *authentica, usualis* et *doctrinalis.*

Interpretatio authentica, seu cum auctoritate prolata, est ea quæ fit ab ipso legislatore, vel ejus superiore aut successore, habetque vim legis, si debite promulgetur.

Dubitatur vero an hujusmodi interpretationes indigeant promulgatione ut obligent, et respondetur : si interpretatio est *pure talis*, seu mera declaratio, non requiritur interpretatio ut obliget, cum talis declaratio non sit nova lex, sed statim obligat omnes qui illam noverint; si interpretatio non est *pure talis*, promulgatione indiget, sicut omnes aliæ leges, cum sit nova lex. S. Ligor.[1], Suarez, Salmant., etc.[2].

Interpretatio usualis est ea quæ petitur ex consuetudine, quæ est *optima legum interpres*[3].

Interpretatio doctrinalis est ea quæ fit per explicationem Doctorum ac Jurisperitorum; hæc non habet vim legis, cum non procedat ab habente jurisdictionem; tamen imprudenter et contra rectam rationem rejiceretur, si in eam omnes Doctores consentiant; quod si inter se dissentiant, tenemur sequi opinionem rationi magis consentaneam.

Nota 3. Certum est nullam esse legem, in quam non cadat simplex interpretatio, quia nulla est lex cujus termini aliquando non sint ambigui, et cujus sensus expositione non indigeat, ut diximus supra[4]. Sed

Quæres 1. *Quænam sint regulæ aptæ ad faciendam interpretationem doctrinalem?*

Resp. Sunt *quinque*.

Prima. In legis interpretatione sequenda est naturalis verborum proprietas, nisi, sic accepta, sensus fiat absur-

[1] Lib. I, num. 200. — [2] Interpretatio seu declaratio *pure talis* dicitur, cum per illam explicatur aliquis sensus qui ab initio erat imbibitus in lege; v. gr. si dubitetur an sub verbo *filii* intelligatur solus legitimus aut etiam spurius, et legislator declaret intelligi etiam spurium. — Declaratio non *pure talis*, seu mera interpretatio, est illa cujus sensus non est imbibitus in lege, sed circa illud variæ sunt opiniones, v. gr. si dubitetur quod sub verbo *patris* intelligatur etiam avus, vel quod sub nomine *mortis*, intelligatur etiam mors civilis. — [3] Cap. 8 *de Consuet.* — [4] *De Leg. naturali*, cap. 2, quæst. 3, concl. 2.

dus, aut lex inutilis reddatur; ratio est, quia cum lex clara esse debeat, præsumendum est legislatorem eo loqui sensu, quo verba communiter accipiuntur.

Secunda. Lex generaliter et indefinite loquens, omnia significata propria comprehendit, quia *ubi lex non distinguit, neque nos distinguamus*[1], id est, distinguere debemus.

Tertia. Si verba legis sint æquivoca, eorum significatio spectanda est ex antecedentibus et consequentibus, sed præsertim ex fine legis, ut dicitur cap. *de Verb. signif.*

Quarta. Lex positiva, ob paritatem rationis, non debet extendi ad casus in ea non comprehensos, nisi in correlativis, æquiparatis, connexis, et judiciis; quia ubi de lege positiva agitur, non ratio legislatoris, sed ejus voluntas subditis intimata obligat et habet rationem legis; potest autem legislator de uno disponere, non de alio.

Dixi 1° *nisi in correlativis;* quia jure sancitur, ut *dispositum in uno correlativo censeatur esse dispositum in alio*[2]; sic lex quæ eximit virum ab obligatione reddendi debitum uxori adulteræ, censetur eximere uxorem ab obligatione illud reddendi viro adultero, quia vir et uxor sunt correlativa.

Dixi 2° *nisi in æquiparatis;* unde, quia electio, postulatio, præsentatio æquiparantur in jure, lex quæ aliquid circa unam statuit, censetur idem statuere circa aliam, in his in quibus æquiparantur.

Dixi 3° *nisi in connexis;* unde, illi quibus lex permittit testamentum facere, iisdem permittit ut codicillum faciant.

Dixi 4° *nisi in judiciis;* quia prudentia dictat, ut cum pro aliquo casu decidendo lex non est certa, decisio illius petatur a similis casus decisione, ut expresse statuitur Leg. 2, ff. *de Legibus.*

Quinta. In legis interpretatione attendendum est hoc juris axioma : *Odia restringi, favores convenit ampliari.* Unde,

[1] Leg. 8 *de publica in rem actione.* — [2] Leg. ult. Cod. *de Indicta viduit.*

in odiosis verba legis restringuntur ad eos qui exprimuntur, non ad alios; hinc, si exprimatur filius, filia non comprehenditur; econtra, in favorabilibus verba legis extenduntur ad omnem suam proprietatem, non solum naturalem, sed etiam civilem, seu juridicam; sic, cum loquitur in favorem filiorum, adoptivi et filiæ etiam venire solent; et lex favens legitimis, legitimatos etiam comprehendit, nisi aliquid obstet. Ita communiter. Vid. S. Ligor.[1].

Porro, in jure Beneficium est favorabile, cum ita uni prodest, ut alteri non noceat; odiosum vero, cum uni non prodest, nisi alios gravando, ut dictum est.

Quæres 2. *An licitum sit uti epikeia?*

Resp. Licitum est uti epikeia in lege positiva; ratio est, quia lex non obligat ultra voluntatem legislatoris; atqui legislator non censetur habere voluntatem obligandi in casibus qui juxta regulas æquitatis et prudentiæ non comprehenduntur in lege : ergo, etc.

Porro, casus in quibus licitum est uti epikeia, sunt :

1° Cum observatio legis sit peccaminosa; sic, sine peccato non potest reddi gladius furioso, sine causa sufficienti.

2° Cum observatio legis cedit in damnum Reipublicæ; sic, cives arma sumere possunt adversus hostes civitatem invadentes, licet sit lex generatim vetans armorum gestationem.

3° Quando observatio legis adversatur legi superiori, vel est nimis onerosa; sic, licitum est non audire Sacrum ad inserviendum ægroto graviter decumbenti, vel ad cavendam honoris aut rei familiaris jacturam.

Quæres 3. *Quando dubium est an lex casum aliquem comprehendat, quid faciendum?*

Resp. Cum Div. Thom.[2], debet consuli superior; quod si consuli non possit, non licet uti epikeia, sed lex est servanda : *Si enim dubium sit*, ait Div. Doctor, *debet vel secundum verba legis agere, vel superiorem consulere.* Ratio est,

[1] Lib. I, num. 200. — [2] 1 2, quæst. 66, art. 6, ad 2.

quia tunc non potest absque determinatione superioris formari judicium prudens et moraliter certum legem rationabiliter non obligare : ergo lex est servanda, quia possidet.

ARTICULUS II.

DE DISPENSATIONE A LEGIBUS HUMANIS.

Quæres 1. *Quid sit dispensatio?*

Resp. Est relaxatio legis legitima auctoritate ad tempus facta in aliquo casu, in quo alioquin lex obligaret.

Dicitur 1° *relaxatio legis,* id est, exemptio a legis obligatione, per quod convenit cum abrogatione et privilegio.

Dicitur 2° *legitima auctoritate :* quia dispensatio est actus jurisdictionis; et per hoc differt ab epikeia, quæ est actus prudentiæ et scientiæ, non vero jurisdictionis.

Dicitur 3° *ad tempus facta :* per quod differt ab abrogatione et privilegio, quæ conceduntur in perpetuum.

Dicitur 4° *in aliquo casu, in quo,* etc. : per quod rursus differt tum ab epikeia, tum a tolerantia, tum a licentia seu permissione, quæ non sunt relaxatio legis; nam *epikeia* in iis solum casibus locum habet ubi lex rationabiliter judicatur non obligare; *tolerantia* est solum infractionis legis adhuc vigentis impunitas, tum ut vitetur majus malum, tum ne perturbetur Reipublicæ pax et tranquillitas; *permissio* vero est solum appositio conditionis, sub qua lex non obligat; sic, superior Religionis permittens subdito ut aliquid donet, facit ut subditus pro illo casu non obligetur voto paupertatis.

Quæres 2. *Quinam habeant potestatem dispensandi a lege?*

Resp. Potest cum subdito dispensare omnis legitimus superior, qui est vel ipse legislator, vel ipsius superior, vel successor in jurisdictione. Ratio est, quia obligatio legis humanæ inducitur per voluntatem legitimi superioris præcipientis : ergo etiam per ipsius voluntatem potest auferri

juxta illud effatum : *Res per quas causas nascitur, per easdem dissolvitur, nisi aliud obstet.* Ex quo

Sequitur 1° Summum Pontificem posse dispensare in omnibus quæ juris sunt mere Canonici, in legibus suorum prædecessorum, in decretis Conciliorum, etiam generalium, imo etiam in legibus ab Apostolis auctoritate humana latis, quia parem habet auctoritatem cum Apostolis et Petro cui successit.

Sequitur 2° Episcopum p̄osse dispensare a statutis suæ diœcesis, etiamsi sint synodalia, quia jurisdictio Synodi non est alia a jurisdictione Episcopi, cum alii sacerdotes, qui ad Synodum conveniunt, non habeant suffragium definitivum, sed duntaxat consultativum.

Quæres 3. *An inferior possit dispensare a legibus sui superioris?*

Resp. *Non posse*, nisi ex superioris consensu expresso, vel tacito. Ratio est, quia dispensatio est actus jurisdictionis; atqui inferior non habet jurisdictionem in leges superioris: ergo. Hinc Clemens V ait[1] : *Lex superioris per inferiorem tolli non potest.* Ex quo

Sequitur 1° Probabilius nullum hominem posse dispensare in legibus mere divinis, etiam mere positivis; potest autem Papa, ex justa causa, in iis in quibus jus divinum oritur a voluntate humana, ut in votis et juramentis.

2° Episcopum non posse dispensare in legibus pontificiis; nec parochum in legibus Episcopi, nec Provincialem aut Generalem in legibus Capituli generalis aut provincialis respective; ratio est, quia eorum respectu sunt inferiores.

At Episcopi jure ordinario possunt dispensare in legibus in Synodo provinciali vel nationali latis, nisi sint reservatæ. Ita *communiter.*

Dixi 1° *nisi ex consensu superioris expresso :* quia superior potest alteri suam potestatem delegare, nam *potest quis per alium, quod potest facere per seipsum*[2].

[1] Clement. II *de Electione.* — [2] Reg. 58 *Jur.*, in 8.

Dixi 2° *vel ex consensu tacito* . qui adesse censetur

1° Dum consuetudo obtinuit ut inferiores prælati dispensent in legibus superiorum, scientibus et permittentibus iisdem superioribus[1].

Hinc, de *jure ordinario*, ratione consuetudinis, possunt parochi dispensare cum subditis, pro casibus tantum particularibus, in jejunio et abstinentia, in operibus servilibus die festivo et in aliis similibus. Ita *communiter*[2].

2° Dum necessitas dispensandi sæpe occurrit, ut in festis et jejuniis : nam nimis difficile foret in similibus semper recurrere ad superiorem.

3° Cum urget dispensandi necessitas, difficilisque est ad superiorem recursus, et est periculum in mora, sive infamiæ, sive scandali, sive gravis alterius mali.

4° Cum casus est dubius, quia Pontifex præsumitur nonnisi casus certos sibi reservasse.

In his omnibus Episcopi dispensant jure ordinario, cum talis facultas eis competat vi proprii officii, cui est perpetuo annexa, et ideo possunt eam delegare[3].

Quæres 4. *An legislator possit secum in sua lege dispensare?*

Resp. Non potest *proprie;* quia, ut dictum est supra[4], non tenetur suis legibus; sed potest *improprie* et *interpretative*, explicando nempe casus in quibus non tenetur vi legis naturalis conformare se membris communitatis in servanda lege quam tulit.

Quæres 5. *Utrum dispensatio sine causa concessa, si licita?*

Resp. Esse illicitam, patet ex Concilio Tridentino[5]. Ratio est, quia potestas non est data superiori *in destructionem, sed in ædificationem* ; atqui dispensatio absque justa causa est in destructionem; pacem enim turbat, transgressioni-

[1] Cap. 13 *de Foro compet.* — [2] S. Ligor., *Hom. ap.*, num. 28. — [3] Salmant., Suarez, S. Ligor., lib. I, num. 190 et 193. — [4] Cap. 3, quæst. 1, art. 6, § 1 *de Leg.* — [5] Sess. 25, cap. 18 *de Reform.* — [6] II Cor. XIII, 10.

bus viam aperit, superiorum auctoritatem despectui exponit, estque vitium acceptionis personarum : ergo, etc. Quare tam petens quam concedens hujusmodi dispensationem, committunt peccatum mortale, si materia sit gravis, veniale vero si levis, ut docet Suarez[1], Cajet., Sylvius, Tournely, etc. Sed alii *probabilius* dicunt non peccare nisi leviter, præciso scandalo vel aliorum damno[2]. Quod intelligendum est de superiore primario, non vero de secundario vel delegato.

Porro, multæ sunt causæ dispensandi, quæ ad tres revocari possunt : *prima* est pietas, *secunda* est necessitas communis vel etiam privata, *tertia* est utilitas communis vel privata.

Ratione pietatis, dispensatur ab irregularitate, qui Ecclesiæ officium præstare potest.

Ratione necessitatis, dispensatur a jejunio, qui sine gravi incommodo jejunare non potest.

Ratione utilitatis, dispensatur a voto castitatis, qui versatur in periculo incontinentiæ.

Dices : In curia romana conceduntur dispensationes quæ dicuntur *sine causa :* ergo licita est dispensatio sine causa.

Resp. 1. *Dist. ant.* Conceduntur dispensationes quæ dicuntur *sine causa,* eo quod causa non exprimatur, *conc. ant.;* eo quod nulla sit causa, *nego ant.* Nam in harum dispensationum formula dicitur : *Ex certis rationalibus causis animum nostrum moventibus.*

Resp. 2. *Iterum dist.* Conceduntur dispensationes *sine causa* intrinseca, *conc. ant.;* sine causa extrinseca, *nego ant.* Porro, causæ extrinsecæ dispensandi sunt pax quæ ex matrimonio inter Principes celebrato exurgit; defensio Ecclesiæ, quam libentius assumunt Principes clementi Ecclesiæ benignitate moti; summa pecuniaria ad sumptus Ecclesiæ publicos impendenda, etc.

[1] Lib. VI, cap. 18. — [2] S. Ligor., lib. I, num. 178; Salmant., Pontius, Gury, etc.

Quæres 6. *Utrum valida sit dispensatio sine causa concessa?*

Resp. Valida est, si concedatur a supremo legislatore, invalida vero, si concedatur ab inferiori et delegato.

Ratio primi est, quia, sicut lex pendet a legislatore in fieri, ita etiam in conservari; ergo, sicut potuit legem non ferre, potest ipsam abolere, vel respectu omnium legem abrogando, vel respectu aliquorum particularium eos ab obligatione legis per dispensationem eximendo.

Ratio vero *secundi* est, quia superior non præsumitur suam delegasse potestatem peccando; atqui non potest concedere potestatem dispensandi sine causa, quin peccet: ergo, etc.

Hinc, Episcopus, a fortiori parochus, deficiente justa causa, invalide dispensant in legibus canonicis jejunii, abstinentiæ, etc. Ita Navarr., Silvest., Tourn., Paulus a Lugd. et alii.

Dices 1. Lex injusta non est valida : ergo nec dispensatio injusta.

Resp. *Nego conseq.* Disparitas est, quod lex sit essentialiter *ordinatio rationis,* seu præceptum justum; at dispensatio nihil aliud est quam relaxatio obligationis legis, quæ sive justa, sive injusta sit, est vera relaxatio.

Inst. Dispensatio a voto sine causa legitima est invalida: ergo a pari, etc.

Resp. *Nego conseq.* Disparitas est, quod obligatio voti sit juris divini; unde a votis non dispensat homo nisi ut delegatus a Deo, qui non vult votum remitti absque justa causa; at obligatio legis humanæ tota pendet a libera voluntate legislatoris; unde non mirum, si possit illam, etiam sine justa causa, relaxare.

Dices 2. Si valida est dispensatio sine causa, non erit illicitus ejus usus; falsum consequens : ergo, etc.

Prob. maj. Qui dispensatione sine causa concessa utitur, nullam legem infringit : ergo, etc.

Resp. *Dist. ant.* Nullam legem humanam infringit, *conc. ant.;* legem naturalem, *nego ant.* Ratio est, quia lex naturalis vetat ne pars absque causa legitima a suo toto discrepet, nec aliis præbeatur scandalum, enimvero legislator ipse peccat, si sine justa causa legem suam non servat : ergo et ipse subditus sine justa causa dispensatus.

Quæres 7. *An liceat petere vel concedere dispensationem ex causa dubia?*

Resp. ad primum, *affirm.* Ratio est, quia non pertinet ad subditos de sufficientia causæ judicare, sed tantum rem candide exponere.

Ad secundum, *affirm.* Alioquin onus dispensandi esset nimis onerosum; circa quod notandum est, quod inter causas dispensationum, aliæ per se excusant a præcepto, v. gr. jejunii, Officii divini, etc., et istæ non egent dispensatione, si sint certæ vel saltem probabiliter justæ; aliæ sunt sufficientes ad dispensationem, sed ea indigent. Porro, dignitas petentis aut superioris, sufficiens causa est ut benignum se ostendat, necnon utilitas communis vel privata, et similes. S. Ligor.[1], Salmant.[2].

Quæres 8. *An cessante dispensationis causa, cesset dispensatio?* — Antequam respondeam

Nota. Causam finalem dispensationis cessare posse

1° Tempore quo litteræ dispensatoriæ expediuntur.

2° Post earum expeditionem, sed ante executionem, seu fulminationem.

3° Post earumdem executionem, sed antequam sortitæ sint suum effectum.

4° Postquam litteræ dispensatoriæ sortitæ sunt suum effectum. His notatis,

Resp. 1. Si cesset causa finalis dispensationis tempore quo litteræ dispensatoriæ expediuntur, cessat dispensatio; id enim definivit Bonifacius VIII[3]. Ratio est, quia superior

[1] Lib. I, num. 195. — [2] *De Leg.*, cap. V, p. 6, num. 75. — [3] Cap. 9 *de Rescriptis.*

dispensaret sine causa, et consequenter peccando; atqui superior non præsumitur sic dispensare : ergo, etc. Unde in litteris dispensatoriis hæc inferuntur verba : *Si ita est*, vel : *quatenus si ita est;* vel : *si preces veritate nitantur.*

Resp. 2. Si cesset causa finalis post litterarum dispensatoriarum expeditionem, sed ante earum executionem seu fulminationem a commissario factam, cessat dispensatio, quia commissarius non potest dispensare nisi sub hac conditione apposita : *si preces veritate nitantur;* atqui hæc clausula exigit ut causa finalis persistat tempore quo datur dispensatio a mandatario, ut expresse definitur a jure[1].

Hinc, si ad legitimandam prolem ex consanguinea susceptam, petatur dispensatio ab impedimento, sed ante dispensationem datam a commissario proles moriatur, mandatum non potest executioni mandari.

Resp. 3. Si causa finalis dispensationis cesset post earum executionem a mandatario, sed antequam dispensatio suum sortita sit effectum, non cessat dispensatio in iis omnibus quæ non habent tractum successivum ; ratio est, tum quia impedimentum semel absolute sublatum per dispensationem non reviviscit ; tum quia[2] *factum legitime retractari non debet, licet casus postea eveniat, a quo non potuit inchoari*[3].

Hinc, si ad legitimandam prolem ex consanguinea susceptam petatur dispensatio, et post dispensationem a commissario datam, sed ante contractum matrimonium, proles moriatur, non cessat dispensatio.

Dixi *in omnibus quæ non habent tractum successivum* quia ea quæ habent tractum successivum, ut est jejunium quadragesimale, carnium comestio, recitatio Officii, in quibus dispensatio quæ datur, est virtualiter multiplex, sive

[1] Cap. 30 *de Præbendis.* — [2] Reg. 73 *Juris,* in 6. — [3] Ita censent Sylvest Covarruv., Sylvius, Ducasse, Eticha amoris, Habert, Suar., auctor. *Collat.* Paris, tom. II, lib. V, Tourn., etc., contra Bonacinam, et plures alios quos citat.

tot sint virtualiter dispensationes quot sunt dies, haud dubie dispensatio non valeret pro eo tempore quo tolleretur ipsius causa. Ita S. Ligorius, et alii contra plures. Ratio Haberti est, quia, *ex communi omnium sensu, intelligitur talem fuisse mentem superioris;* et est praxis communis timoratorum. At

Resp. 4. Si causa dispensationis censetur perpetuo duratura, non cessat dispensatio. Ratio est, quia absoluta dispensatio tollit obligationem legis, quæ non viviscit nisi a legislatore de novo imponatur : ergo non potest cessare ob cessationem causæ.

Hinc, non cessat dispensatio in irregularitate respectu illius qui, ratione paupertatis parentum, dispensationem ad Ordines obtinuit, nisit Ordinibus nondum susceptis, cesset paupertas quæ fuit causa finalis dispensationis[1].

Quæres 9. *An sit valida dispensatio metu extorta?*

Resp. *affirm.* Dummodo hæc tria constent : 1° quod existat causa dispensandi; 2° quod superiori non omnino defuerit animus dispensandi; 3° quod aliunde non existat ulla causa nullitatis[2].

Quæres 10. *An dispensatio cesset per mortem dispensatoris?*

Resp. Non cessat extra materiam justitiæ, etiamsi res sit adhuc integra, id est, cum delegatus necdum uti cœpit jurisdictione; ratio est, quia dispensatio est gratia; atqui gratia concessa non cessat morte concedentis; nam ex cap. 36 *de Præbendis*, in 6°, *concessio (quam, cum specialem gratiam contineat, decet esse mensuram), non expirat etiam re integra per obitum concedentis.*

Dixi *extra materiam justitiæ;* quia in materia justitiæ, *mandatum re integra, domini morte finitur*[3]. Ratio est, quia rescriptum justitiæ non est gratia, sed mandatum de ustitia facienda.

[1] Salmant., *de Leg.*, cap. v, num. 92; S. Ligor., lib. I, num. 196. — [2] S. Ligor., lib. I, num. 196. — [3] Leg. 15 Cod. *mandati.*

Objicies cum Bonacina[1] et Habert[2] : Gratia *facta,* id est, quæ alicui data est propter ipsum, non expirat morte concedentis, re adhuc integra; sed gratia *facienda,* id est, quæ alicui datur propter alium, expirat : ergo generalior est nostra responsio.

Resp. *Nego ant.* Distinctio enim inter gratiam *factam* et *faciendam* videtur fictitia, cum nullibi legatur in toto corpore Juris.

Inst. Cap. 36 *de Præbendis* supra cit. dicitur : *Si super provisione certæ personæ facienda, data sit potestas eidem, non ob suam, sed ejus cui provideri mandatur, gratiam vel favorem, illa quidem expirat omnino, si concedens re integra moriatur.* Ergo gratia *facienda* expirat morte concedentis.

Resp. *Nego conseq.* Non enim expirat quia est gratia *facienda,* sed quia ea gratia est *odiosa,* quæ præcipit ut Beneficium cum vacabit, nonnisi certæ personæ conferri possit; tum quia sic alii sæpe magis idonei excluduntur; tum quia Concilium Lateran. vetuit ne Beneficia *promittantur antequam vacent;* atqui privilegia quæ sunt odiosa, expirant per mortem concedentis, re adhuc integra : ergo, etc.

Quæres 11. *An dispensatio subreptitia vel obreptitia sit valida?* — Antequam respondeam

Nota. Dispensatio *subreptitia* est ea quæ obtinetur per reticentiam veritatis alicujus, quæ per se et intrinsece ad rem pertinet, vel quæ exponi debet juxta regulas et stylum Cancellariæ Romanæ.

Dispensatio *obreptitia* est, quæ obtinetur per narrationem falsi, quæ sit causa motiva dispensationis, ita ut, ea sublata, vel nullo modo, vel nonnisi cum quibusdam conditionibus aut limitationibus concederetur.

Resp. Quoties aliquid habens prudentem connexionem cum dispensatione tacetur, aut falso narratur in supplicatione, quo cognito superior non dispensasset, invalida est

[1] *De Privil.*, disp. 1, quæst. 3, puncto 8, § 1, prop. 2. — [2] *De Leg.*, cap. 12.

dispensatio. Ratio est, quia dispensatio non est valida nisi quatenus superior intendit dispensare; atqui superior in hoc casu non intendit dispensare, vel saltem censetur solum dispensare sub conditione : *si res ita est :* ergo, etc.

Secus dicendum est, quando aliquid tacetur, vel falso narratur, quo cognito, superior nihilominus dispensasset, licet difficilius; quia tunc superior absolute vult dispensare, modo reticentia veri, vel narratio falsi fuerit facta ex ignorantia et simplicitate. Nam Innocentius III[1] statuit ut in omni malitiosa subreptione vel obreptione, rescripta et dispensationes prorsus sint invalida.

Quæres 12. *An, existente causa, teneatur superior dispensare?*

Resp. *Distinguendo :* Si causa sit tantum sufficiens, ut dispensatio sit permissa, superior potest vel dispensare vel non; vel dispensationem concedere uni, et alteri negare : si vero causa sit talis, ut reddat dispensationem necessariam, tunc superior tenetur eam concedere, alioquin peccaret mortaliter vel venialiter, juxta materiam. Denegata tamen dispensatione, subditus tenetur lege, nisi causa sit talis ut eum eximat a lege. Porro, dispensatio censetur necessaria et debita, quando vitandum est damnum commune, vel privatum maximi momenti; aut procuranda utilitas communis, vel magna privati, quæ in bonum commune redundaret[2].

Quæres 13. *Quinam sit modus recurrendi ad Sacram Pœnitentiariam pro dispensatione?*

Resp. Traditur in opere cui titulus est : *Instructio Parochorum et Confessariorum pro casibus quorum absolutio seu dispensatio a Sacra Pœnitentiaria Apostolica imploratur,* edito Romæ ann. 1685. Quod opus sic habet :

Confessores, *cum pœnitentes vinculis præfatis irretitos ad se accedere contigerit, casuum qualitates, et præfatorum casuum circumstantias considerent, causasque dispensatio-*

[1] Cap. *Super litt. de scriptis.* — [2] S. Lig., lib. I, num. 179.

num aut commutationum exprimant, et caveant ne quod occultum est, publicum faciant, præsertim impedimenta occulta matrimoniorum : nam publica, vel ad publicum redacta, non pertinent ad Sacram Pœnitentiariam.

Et sic præfati Confessores, seu pœnitentes poterunt casus præfatos cum dictis circumstantiis et causis exponere, sive latino, sive quocumque alio idiomate propriæ regionis; nam Sacra Pœnitentiaria suos ex quacumque regione pœnitentiarios subordinatos habet : et exprimant insuper in fine expositionis casus, nomen et cognomen cui sit a Sacra Pœnitentiaria rescribendum, etiamsi ipsum nomen et cognomen sit fictitium. Itemque modum per quem responsio secure dirigi possit, significando scilicet, vulgari nomine, oppidum, seu civitatem, et regionem, cum data mensis et anni in hunc modum :

Intus incipiant epistolam seu supplicationem sic :

Eminentissime et reverendissime Domine,

N. mulier emisit votum simplex castitatis, manet in periculo incontinentiæ nisi nubat, supplicat sibi votum commutari ad effectum contrahendi matrimonium.

Terminent epistolam seu supplicationem sic :

Dignetur Eminentia Vestra rescribere ad N. et N. (et exprimant nomen et cognomen cui est rescribendum) ad civitatem N. (exprimendo nomen civitatis); per oppidum N. (exprimendo vulgare nomen oppidi), et dirigere breve, seu gratiam simplici Confessario, seu Confessario magistro in Theologia, sive decretorum doctori, sive parocho, cui pœnitens aperuit conscientiam, ne ipse pœnitens, et præsertim feminæ cogantur circumire pro executione gratiæ Sacræ Pœnitentiariæ.

Dirigant epistolam, seu supplicationem scribendo extra, seu foris in hunc modum :

Eminentissimo et Reverendissimo Domino, Domino Cardinali Majori Pœnitentiario,

Romam.

Et si retardaverit responsio, Confessarii rescribant, ne forte sit perdita, et nunquam desperent pœnitentes.

ARTICULUS III.

DE DEROGATIONE, ABROGATIONE ET IRRITATIONE LEGIS.

Nota. Hæc tria inter se differunt : nam *irritatio* legis est *legis nondum perfecte obligantis abolitio, facta ab eo cujus est illam habere ratam;* sic Papa quando non approbat Concilia, ea irritat.

Abrogatio est *legis totius perfecte obligantis abolitio,* quæ fieri potest : 1° per superioris revocationem; 2° per contrariæ consuetudinis præscriptionem; 3° per legem posteriorem universalem priori legi; item universali repugnantem, ut dictum est supra *de consuetudine,* quæsito ultimo.

Derogatio est *legis adhuc vigentis secundum aliquam sui partem imminutio,* v. gr. cum in die festo aufertur cessatio operum servilium, manente obligatione Missæ audiendæ.

Quæres 1. *An lex possit valide et licite per legislatoris revocationem abrogari?*

Resp. Legislator supremus potest *valide,* etiam absque justa causa, abrogare suam aut prædecessoris sui legem; non potest tamen *licite,* nisi adsit justa causa bonum commune respiciens.

Ratio primæ partis est, quia per quascumque causas res nascitur, per easdem dissolvitur; atqui lex voluntate legislatoris nascitur : ergo, etc.

Ratio secundæ partis est, quia potestas non est data superiori in destructionem, sed in ædificationem; atqui abrogatio legis, absque justa causa, est in maximam destructionem; nam Rempublicam legibus antiquis assuetam perturbat, leges et legislatores despectui exponit : ergo.

Non peccant tamen subditi legem sic abrogatam non servando, quia ejus obligatio sublata est respectu omnium, cum valide sit abrogata.

Dixi *legislator supremus*, qualis est qui legem tulit, vel ejus successor, vel ejus superior; quia, ut definivit Clemens V[1] : *Lex superioris per inferiorem tolli non potest*, nec valide, nec licite; nam abrogatio est actus jurisdictionis; atqui inferior non habet jurisdictionem in legem superioris, ut per se patet : ergo, etc. Sed

Quæres 2. *An legislator possit legem propriam abrogare, si a superiore confirmata fuerit?*

Resp. Non potest, si lex sit confirmata in favorem communitatis, quia superior sic eam confirmando, fecit ipsam quasi suam, inferior autem non habet jurisdictionem in legem superioris : ergo, etc. Potest vero, si lex sit confirmata in favorem inferioris legislatoris, nempe ut ejus legi quidam splendor et honos accederet, quia superior sic eam confirmando, non eam fecit suam : ergo legislatoris inferioris auctoritate obligat.

APPENDIX

DE PRÆCIPUIS AC COMMUNIORIBUS ECCLESIÆ PRÆCEPTIS.

Nota 1. Sanctam Matrem Ecclesiam gaudere potestate leges ferendi sub gravi fideles omnes obligantes, patet ex tract. præcedenti; a Christo siquidem omnem potestatem accepit, qua filios suos ad finem ultimum, hoc est, vitam æternam, conducere valeat. Nulla de hoc inter Catholicos controversia agitatur.

Nota 2. Præcepta Ecclesiæ communiora quæ ligant omnes cujuscumque conditionis fideles, *sex* vulgo numerantur in catechismo rudiori exponi solita his verbis :

[1] Cap. 2 *de Electione.*

1° *Sacrum Missæ officium diebus Dominicis, festisque præceptis reverenter audito.*

2° *Peccata tua singulis saltem annis confitere.*

3° *Sacram Eucharistiam ad minimum semel in anno, id est, circa festum Paschæ, sumito.*

4° *Statutos ab Ecclesia festivos dies celebrato.*

5° *Quatuor Temporum, Vigiliarum et Quadragesimæ indicta jejunia observato.*

6° *Feria sexta et sabbato ab esu carnium abstineto.*

Nota 3 De præceptis annuæ confessionis et communionis paschalis opportunius agemus in dissertationibus de Eucharistia et Pœnitentia; unde restat hic breviter agendum: 1° de auditione Missæ; 2° de sanctificatione diei festi; 3° de jejunio et abstinentia. Itaque sit

CAPUT I.

DE PRIMO ECCLESIÆ PRÆCEPTO, SEU DE AUDITIONE MISSÆ.

Quæres 1. *An exstet præceptum Ecclesiasticum audiendæ Missæ, quosnam et quomodo obliget?*

Resp. 1. Exstat præceptum Ecclesiasticum obligans sub mortali, audiendæ Missæ diebus Dominicis et festivis, ut constat ex Concilio Agathensi, can. 47[1]: *Missas die Dominico a sæcularibus audiri speciali ordine præcipimus, ita ut ante benedictionem sacerdotis populus egredi non præsumat; qui si fecerint, ab Episcopo publice confundantur*: gravis autem pœna supponit gravem culpam, a qua excusare potest levitas materiæ.

Obligat autem hoc præceptum: 1° omnes baptizatos rationis usum habentes, etiam sacerdotes non celebrantes, quia est universale; 2° non autem infantes, amentes,

[1] Refertur cap. *Missas*, dist. 1 *de Consecr.*

cæcos simul et surdos, quia præsentiam solum physicam et materialem præbere possunt; nec catechumenos, quia non sunt Ecclesiæ subjecti.

Resp. 2. Qui Missam vel ejus partem notabilem diebus festis non audit, mortaliter peccat *ex genere suo;* ratio est, quia omissio Sacri vel ejus notabilis partis, est res gravis ex genere suo; atqui transgressio præcepti in re gravi, est grave peccatum : ergo, etc.

Dixi *ex genere suo*, quia inadvertentia aut inculpabilis ignorantia a peccato excusat, sicut a mortali excusat parvitas materiæ, quæ communiter esse censetur ab initio Missæ usque ad Evangelium exclusive, et a Communione exclusive usque ad finem, licet opinio putans esse parvam materiam omittere usque ad Evangelium *inclusive* et *Credo* non sit improbabilis[1].

Item, leviter peccat qui solum Offertorium vel aliquam partem sive ante, sive post consecrationem omittit. Aliter dicendum, si omitteret consecrationem simul et sumptionem, quia in iis duobus certe consistit tota essentia sacrificii. Pariter probabilius dicendum, et communius, de omissione solius consecrationis[2].

Quæres 2. *An præcepto Ecclesiastico audiendi Missam satisfaciat, qui partem mediam ab uno sacerdote, et alteram ab alio audiat?*

Resp. *negat.* Quia Ecclesia præcipit auditionem Sacri per modum totius successivi, quod in prædicto audiendæ Missæ modo non contingit. Unde Innocent. XI[3] damnavit hanc proposit. : *Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, imo quatuor simul a diversis celebrantibus audit.*

Imo *probabilius* et communius, etiamsi successive audiat. Ratio eadem est, scilicet quia Ecclesia præcipit auditionem Missæ, quæ sit unum et integrum sacrificium; atqui hoc

[1] Vid. S. Ligor., lib. IV, num. 310. — [2] Vide S. Ligor., lib. IV, num. 310. — [3] Ann. 1679, prop. 53.

non constituunt duorum sacerdotum medietates etiam successivæ[1].

Probabiliter tamen satisfaceret præcepto, qui v. gr. audiret Missam ab uno sacerdote usque ad Communionem inclusive, et reliqua ab alio sacerdote. Ita Layman, Navarr., Azor., et alii, qui dicunt hoc tamen non carere culpa veniali ob quamdam inordinationem.

Cæterum, qui non potest consecrationi adesse, tenetur reliqua Missæ audire, quia non est improbabile essentiam sacrificii in sola sumptione consistere, licet contrarium sit probabilius. S. Ligor.[2], Scavini et alii.

Quæres 3. *Quænam dispositiones requirantur ad Missam debite audiendam?*

Resp. 1. Ex parte corporis, requiritur modesta conformatio in vultu et habitu, ait Concil. Trident.[3].

Resp. 2. Ex parte animæ, *tres* requiruntur.

Prima est *moralis et humana præsentia*, ita ut saltem aliquo sensu percipi possit quod Missa celebretur, sive immediate, sive mediate tantum.

Resolves : Qui in magnis ecclesiis, et magno populorum concursu post columnam aut extra ecclesiam positi, ex aliorum assistentium gestibus percipiunt quid a celebrante peragitur, quamvis per accidens nihil videant, audiant aut intelligant, audiunt Missam.

Dicitur *moralis præsentia;* non enim semper requiritur præsentia *physica;* hinc, juxta omnes, præcepto satisfaciunt qui Missæ inservientes ab ecclesia recedunt, ad Missam celebrandam necessaria allaturi, modo non longius recedant; quia cum hæc ad sacrificium ordinentur, censentur moraliter præsentes.

Item, qui assistit post altare vel per fenestras quæ ferunt in templum, vel per fenestras, licet interjecta sit via inter eas et templum, modo prospiciant altare, ut non impro-

[1] S. Ligor., lib. IV, num. 311. — [2] *Homo apost.*, tract. VI, num. 33. — [3] Sess. 22 *de Observandis et evitandis in celebr. Miss.*, cap. unic.

babiliter volunt Mazzota et plures alii[1]. Ratio, quia, spectata loci natura, isti sic sunt præsentes, ut sint pars per moralem conjunctionem ejus multitudinis, quæ dicitur præsens et est in conspectu altaris.

Secunda est *intentio*, hoc est, voluntas *Missam audiendi*, licet excludat intentionem implendi præceptum Ecclesiæ, ut supra probatum est[2].

Tertia est *pia ad Deum divinaque mysteria attentio et affectio;* nam præcipitur auditio Missæ religiosa qua Deus colatur; at Deus non colitur vere sine attentione ad divina, et pia aliqua affectione, *in spiritu* enim *et veritate* Deum *oportet adorare*[3]. Ergo, etc.

Sed sufficit ut pia illa affectio profluat ex motivo cujuslibet virtutis christianæ, nec requiritur ut oriatur ex charitate perfecta sive habituali, sive actuali; alias, soli justi ad audiendam Missam admittendi essent, et excludendi peccatores, quod est falsum, tum quia Ecclesia omnibus et singulis indiscriminatim fidelibus districte præcipit, ut statutis diebus Missæ intersint; tum quia damnata est hæc proposit. Quesnelli[4]: *Quartus decimus gradus conversionis peccatoris est, quod cum jam sit reconciliatus, habet jus assistendi sacrificio Missæ.*

Quæres 4. *Qualis attentio requiritur in Missa audienda?*

Resp. *Duplex* est distinguenda attentio : *interna* una et *externa* altera. — *Interna* est illa quæ conjungitur cum pia aliqua affectione, et animum applicat vel ad verba, vel ad actiones sacerdotis, vel ad sensum et mysteria quæ exprimuntur per ea quæ externe peraguntur, vel alias pias cogitationes mente revolvit. — *Externa* vero attentio consistit in negatione distractionis externæ, id est, ut qui audit Sacrum non ponat actionem quæ per se distrahat mentem ab auditione Missæ.

Porro, nemo non videt necessariam esse attentionem

S. Ligor., lib. IV, num. 312. — [2] *De Legib.*, cap. 3, quæst. 1, art. 2, § 2. — [3] Joan. IV, 24. — [4] Const. *Unigenitus*, prop. 89.

externam, cujus defectu non possumus attendere Missæ humano modo.

Quod attinet ad attentionem *internam*, duplex est sententia. *Prima communior* et consulendo docet attentionem saltem virtualem esse necessariam ad implendum Ecclesiæ præceptum, quia, licet Ecclesia non possit præcipere directe actus internos, potest tamen indirecte, in quantum videlicet attentio interna necessaria est ut Missæ sacrificium pio et religioso modo audiatur. Div. Thom., Billuart, Salm., etc.

Secunda vero sententia, spectata ratione *probabilior*, negat: 1° quia, ut dicemus ubi de Horis canonicis, attentio virtualis dari non potest; attentio quippe non existit in virtute, sed in actu mentis tantum; 2° quia Ecclesia requirit assistentiam moralem tantum, non vero orationem; saltem non est certum id requiri, cum perplures graves auctores negent; atqui sine attentione interna bene potest quis assistentiam moralem præbere: ergo, etc. Ita Croix, Lugo, Sylv., Spor., et alii apud S. Ligorium[1].

At hæ duæ sententiæ parum a se invicem discrepare videntur; nam prima sententia requirit intentionem tantum virtualem et confusam, ita nempe, ut aliquo modo advertatur quid fiat, sine oratione vocali; secunda vero pium etiam animi motum exigit, seu generalem intentionem colendi Deum. Unde

Resolves 1. Qui per notabilem Missæ partem dormit, scribit, pingit, profana legit vel etiam sacra, sed sola eruditionis vel curiositatis causa, præcepto non satisfacit; item qui per eamdem Missæ partem de re seria confabulatur, imagines attente considerat ut res artis, aut inscriptiones legit, aut scientias meditatur, præceptum non implet. Horum ratio est, quia in iis et similibus attentio externa non est possibilis.

Resolves 2. Qui tempore Sacri nunc attendit, nunc fabulatur vel dormitat, sed tamen advertit ad id quod fit, ita

[1] Lib. IV, num. 313.

ut rationem reddere possit quod reapse Sacro assistat, licet peccet irreverentia, præcepto satisfacit, nec dammandus est de mortali. *Item*, satisfacit qui per notabile temporis spatium involuntarie se distrahit, modo non advertat se in Missa audienda distrahi; nam, si secus esset, inquit Scavini, sexentis anxietatibus foret locus. — Pariter satisfaciunt collectores eleemosynæ, cantores, attollentes folles, etc., si aliquo modo attendere studeant, quia tales actiones sacrificio inserviunt, et ad Dei cultum referuntur.

Quæres 5. *An satisfaciat qui tempore Missæ peccata sua discutit, vel illa confitetur.*

Resp. ad primum, *affirmative*, per se loquendo, quia discussio conscientiæ non impedit quominus ille sufficienter adhuc possit piis illis actionibus intendere.

Resp. ad secundum, communem esse sententiam, eum qui peccata sua confitetur intra Sacrum, non satisfacere præcepto, quia ne externa quidem præstaretur attentio, cum confitens tunc adesset ut reus, non vero ut offerens sacrificium cum sacerdote. Ita S. Ligor.[1], Collet, Lugo et alii contra multos[2]. — Excipiunt Lessius et Croix, quibus videtur assentire S. Ligor., famulos, qui aliter non confiterentur; *tunc enim*, ut aiunt, *saltem præsumitur* quod Ecclesia consentiat.

Quæres 6. *Quænam sint causæ excusantes ab auditione Sacri?*

Resp. Præter dispensationem, generatim revocantur ad impotentiam physicam et moralem, et ad consuetudinem. Ratio, quia nemo legem humanam physice vel moraliter impossibilem observare tenetur, neque si adest contrarius ac legitimus usus.

[1] Lib. iv, num. 314. — [2] Simili ratione nec ipse Confessarius Missam audire potest, si quidem adest non ut auditor Missæ, sed ut judex pœnitentis. Ratione vero contraria, probabilius sentiunt Zacharia et Croix sacerdotem posse aliam audire Missam dum celebrat, quia dum celebrat, jam orat, et intentione potest offerre cum alio sacerdote sacrificante.

Hinc 1° Propter impotentiam *physicam* excusantur ægroti et convalescentes a morbo, qui prudenter timent vel grave damnum, vel ne remorentur ad convalescendum, vel gravamen capitis egrediendo e domo, vel virium lassitudinem; quod per se vel per confessarii aut viri prudentis judicium æstimare poterunt. Quod si, petito judicio, dubium adhuc perduret, standum est pro causa excusante, quia censetur indulgere pia Mater Ecclesia, et aliunde potius est jus naturale conservandi salutem; *item*, incarcerati et similes. Ita D. Scavini, Croix, Salmant. et alii.

Hinc 2° Propter impotentiam *moralem* excusantur omnes qui non possunt audire Missam sine gravi incommodo sui vel proximi, sive corporis, sive animæ, sive honoris, sive etiam boni temporalis. Unde

1° Ob incommodum *sui* excusantur excommunicati et interdicti, modo tamen facile non possint sibi procurare absolutionem. Peccarent enim audiendo Missam, manente excommunicatione vel interdicto. — *Item*, muliones, rhedarii, molitores, laborantes in fusoriis, quando labor inceptus ante diem festum interrumpi nequit: uno verbo, ii omnes qui passuri essent amissionem notabilis licet transitorii lucri, ut multi contra multos merito affirmant, eo quod lex humana non obliget cum tanto incommodo[1]. Ex eodem capite excusantur milites in custodia positi, vel militaribus exercitiis, quamvis sine causa, ab impiis officialibus occupati; matronæ non habentes vestes decentes juxta conditionem et statum, vel carentes famula vel socia sine quibus magno rubore suffunderentur, nisi summo mane vel in ecclesia remota, Sacrum occulte audire possint; puellæ inhoneste prægnantes. Ratio, quia dum quis in eo statu est, in jure comparatur ei qui vinculis est alligatus[2]. Ita, Bouvier, Scavini, Elbel, Salmant., Suarez et alii. — *Item*, uxor quæ accessu ad ecclesiam timeret mariti in-

[1] S. Ligor., *Homo apost.*, tract. VI, num. 22 et 43. — [2] Ex Leg. *eodem Causa* ff. *ex Qua*, lib. *Causis*.

dignationem, sicut et notabiliter distantes a templo, habita ratione loci, personæ, temporis ac consuetudinis[1].

2° Ob incommodum *proximi* excusantur famuli quorum ministeria sunt communiter necessaria, et omitti non possunt sine gravi incommodo dominorum, nec aliter, v. gr. auferendo aliquid a somno, citius foras egrediendo, sibi Sacrum comparare non possunt. — Assistentes infirmis, matres, nutrices et similes infantibus assistentes, cum satius est ut domi maneant, quam ad Sacrum accedant non sine celebrantis et assistentium inquietudine. Curandum est tamen ut sibi invicem substituantur, ne eædem a Sacro et verbo divino diu jejunæ remanere cogantur, ex Concil. Mediol. — *Similiter* excusantur qui aliter non possunt impedire blasphemias, rixas, furta, etc., ut ait Ebelius. — *Item*, qui in incendio, exundatione, hostium vastatione, messis deperditione, etc., alios adjuvant. Hæc enim omnia sunt officia legis charitatis, quæ, utpote naturalis, humanæ legi est anteponenda. Ex hoc capite probabilius excusatur femina si domi continens die festo bis aut ter, quando scit se ab adolescente perdite adamari, quæ si ad ecclesiam adeat, erit illi occasio peccandi. Suarez, Bonac., Cajet., et alii.

Hinc 3° Propter *consuetudinem*, usum nempe rationalem et sufficienter approbatum, excusantur quibusdam in locis viduæ tempore luctus (quod mensem non excedat, ex Div. Carolo); puerperæ per aliquod temporis spatium, non

[1] *Regulariter loquendo* ait S. Alphonsus, *Homo apost.*, tom. VI, num. 41), *putant Suarez, Castropalaus, Filliucius, Trullenc., Croix, Mazzota et alii, excusare distantiam trium milliariorum, aut iter pedestre unius horæ cum quadrante; aut minus, si plueret aut nigeret, aut adesset alia causa excusans.*

Audiatur etiam Bouvier, qui habet : *Habenda est ratio personarum, loci, temporis et consuetudinis; spatium enim unius milliarii potest esse nimis molestum respectu nobilis puellæ, et pro nihilo reputatur a forti rusticana. Item, spatium unius leucæ* (trium milliariorum) *non est grave pro plerisque, dum tempus est serenum et via sicca; est vero incommodum, si gradiendum sit nocte, in nive, in aqua, in cœno sub pluvia, aut fulgore*, etc. — *Hæc igitur pensanda, et ex æquo et bona fide agentes, si non a toto, saltem a tanto id est a mortali peccato excusantur.* — Ita D. Scavini, in prima edit., pag. 272.

tamen ultra hebdomadas sex : illæ tamen personæ, inquit Scavini, quæ domo jam exeunt, non possunt his causis excusari, ut patet. — *Item*, puella, si unica est Missa, cum proclamationes fiunt illius nuptiarum in ea. Sed

QUÆRES 7. *Utrum qui Missam audire nequit, teneatur per aliud opus bonum, vel per preces illam supplere, et aliquem cultum positivum Deo exhibere?*

RESP. Certum est ad id non teneri, ne diebus quidem Dominicis, vi præcepti Ecclesiastici quo Missæ assistentia præcipitur, et nihil ultra.

At quia juris naturalis et divini est præceptum aliquando divinis vacare, aliquam hujusmodi compensationem Deo præstare debemus. Non tamen die Dominica, potius quam altera die ; quia præceptum naturale non determinat tempus. Qui ergo, inquit Billuart, preces matutinas et serotinas recitat, Missam infra hebdomadam audit loco Dominicæ, huic naturali præcepto satisfacit. Ita etiam Bouvier, D. Scavini.

QUÆRES 8. *Utrum fideles diebus Dominicis et majoribus festis teneantur audire Missam parochialem?*

RESP. *negative.* Quæcumque enim Missa, et in qualibet ecclesia publica, etiamsi non sit parochialis, ad satisfaciendum præcepto audiri potest, prout hodie certum est.

Integrum hodie, inquit Benedictus XIV, *omnibus esse in qualibet ecclesia, modo non sit capella seu oratorium privatum, sacris mysteriis interesse (quia contraria consuetudine in toto orbe recepta, derogatum est præcepto audiendi Missam parochialem) docent Sylvester, Navarrus, Trullenchus, Barbosa, addentes insuper non posse hodie Episcopum præcipere suis subditis ut se sistant Missæ parochiali ; quia non potest delere consuetudinem, quæ cum viget in toto orbe, jam induit naturam juris communis..... Enim vero non præcepto adigendam, sed hortationibus ad id alliciendam plebem statuit Tridentinum* [1].

[1] Sess. 22, in decreto *de Observandis et vitandis in celebratione Missæ.*

Quæres 9. *Quinam præcepto satisfaciant Missam audientes in oratoriis privatis?*

Resp. Ex Brevibus concessionis, præcepto satisfaciunt : 1° ipsi domini ; 2° eorum conjuncti, qui in eadem domo habitant eorumque expensis vivant; 3° eorum servi, qui ab ipsis dominis aluntur, et familiares necessarii dicuntur. Attamen pro istis festa principaliora excipiuntur, nisi concessio facta sit causa infirmitatis. Festa principaliora sunt Pascha, Resurrectio, feria V in cœna Domini, Ascensio, Pentecostes, Nativitas, Epiphania, Annunciatio et Assumptio B. Virginis, festum Apostolorum Petri et Pauli, et omnium Sanctorum [1].

Porro, inter oratoria privata non recensentur :

1° Oratoria benedicta ad usus sacros designata, licet erecta domibus privatis, modo patent ingressus a via publica.

2° Nec oratoria erecta in seminariis, conservatoriis, hospitalibus, et domibus Religiosorum.

3° Nec oratoria erecta in palatiis Episcoporum et Cardinalium, ut patet ex S. Congreg.

CAPUT II.

DE QUARTO PRÆCEPTO, SEU DE SANCTIFICATIONE FESTORUM.

Nota 1. Præceptum de sanctificatione diei Dominicæ et festorum, computando a media nocte ad aliam sequentem mediam noctem, per se omnes obligat sub peccato mortali, ut constat ex damnatione hujus proposit. ab Innocent. XI : *Præceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus.*

Nota 2. Præceptum quo determinatur in aliquo anni

[1] S. R. C., 17 nov. 1607.

tempore esse Deo vacandum, divinum sane ac naturale est, et omnes obligat, et ideo inter Decalogi præcepta computatur. Quod autem spectat ad tempus cultui divino consecrandum, id in veteri Lege per *cæremoniale* præceptum diei sabbati designatum in honorem creationis fuit[1], et in novo Testamento non fuit abrogatum, sed pro eo ab Ecclesia per diem Dominicum fuisse subrogatum constat ex Catech. Romano[2], ubi dicitur : *Placuit autem Ecclesiæ Dei, ut diei sabbati cultus in Dominicum transferatur diem,* et ex Div. Thom. dicente[3] : *Observatio diei Dominicæ succedit observantiæ sabbati, non ex vi legis, sed ex institutione Ecclesiæ*[4].

Nota 3. Solus Papa, utpote universali gaudens jurisdictione, universæ Ecclesiæ festa indicere potest. Episcopos vero id posse pro sua Diœcesi, constat ex cap. *Conquestus, de Feriis.* Habent enim facultatem leges in sua Diœcesi ferendi; utrum vero ad hoc requiratur consensus Cleri et populi, vel saltem ut non contradicant, affirmandum est ex præsenti disciplina, quod caute sancitum fuit ne nimia Ordinariorum facilitate, ultra modum excrescat numerus festorum. Ita Azor., Covarr., Barbos., Salm., S. Ligor.[5], ex cap. *Conquestus.*

Nota 4. Per sanctificationem diei intelligitur *religiosa cujusdam diei determinatæ ad colendum Deum observatio.*

Nota 5. Deus coli potest quorumdam operum exercitio, et quorumdam omissione; unde præceptum est partim affirmativum, partim negativum; ide

§ I.

De operibus diebus festis exercendis.

Quæres 1. *Quænam sint opera diebus festis exercenda?*

Resp. Omnes fideles usu rationis præditi tenentur sub mortali audire Missam, ut capite præcedenti probavimus.

[1] Lev. XXIII. — [2] 3 part., num. 19. — [3] 2 2, quæst. 122, art. 4, ad 4. — [4] S. Ligor., lib. IV, num. 265. — [5] Lib. IV, num. 266.

Ex vi autem præcepti Ecclesiastici ad nullum aliud tenentur opus. Per accidens tamen teneri possunt fideles ad aliquid aliud, v. gr. ex consuetudine loci, vel ad vitandum scandalum, vel aliquam obligationem implendam, ut esset concionibus assistere, si his opus habent; vesperis intervenire, et alia id genus. Ita Billuart, P. Gury et alii *communiter*.

Quæres 2. *An hoc præcepto præcipiatur cultus Dei etiam interior?*

Resp. *Prima sententia affirmat;* unde dicunt teneri fideles ex hoc præcepto ad eliciendos actus charitatis et contritionis. Etenim ad illud tenemur per quod obtinetur finis præcepti; atqui sine cultu Dei interiori non obtinetur finis præcepti, quod est sanctificatio animæ : ergo. Ita Scotus et alii.

Secunda sententia communissima negat; nam præceptum impletur per idem quod præcipitur; atqui ipsum opus solum præcipitur : ergo, eo semel posito, impletur præceptum. Ad interiorem vero cultum non cogimur, sed movemur a Spiritu Sancto, ut dicit Div. Thomas[1]. Sanctificatio autem animæ est quidem finis præcepti, sed finis præcepti, ex axiomate, non cadit sub præceptum : *Non enim idem est*, inquit Doctor angelicus[2], *finis præcepti, et id de quo præcipitur*. Ergo, etc.[3].

Ut autem finis præcepti obtineatur, maxime convenit ut in diebus festivis opera religionis et charitatis exerceantur, juxta illud Nicolai I, ad consulta Bulgarorum : *Idcirco in diebus festis ab opere mundano cessandum est, ut liberius ad ecclesiam ire, psalmis et hymnis insistere, orationi vacare, oblationes offerre, memoriis Sanctorum communicare, assurgere ad imitationem eorum, eloquiis divinis intendere, eleemosynas indigentibus ministrare valeat Christianus.*

[1] 1 2, quæst. 122, art. 1. — [2] ibid., quæst. 100, art. 9. — [3] S. Anton., Sanch., Salm., S. Ligor., lib. IV, num. 264.

Nota. In Gallia autem, ex indulto cardin. Capraræ, 9 april. 1802, ex concessione Summi Pontificis Pii VII, quatuor tantum festa de præcepto pro fidelibus supersunt: 1° festum Nativitatis Domini; 2° Ascensionis ejusdem; 3° Assumptionis B. Virginis; 4° festum omnium Sanctorum. Ad Dominicam sequentem transferuntur, quoad solemnitatem, festa Epiphaniæ Domini, SS. Corporis Christi, SS. Apostolorum Petri et Pauli, et SS. Patronum cujuslibet et diœcesis et parochiæ. Reliqua festa (olim de præcepto) celebrantur nunc iisdem ac antea diebus, sed absque fidelium obligatione vacandi ab operibus et Missam audiendi, licet parochi illam pro parochianis dicere teneantur.

§ II.

De operibus vetitis die festiva.

Nota 1. Licet dies Dominica sit loco sabbati substituta in honorem resurrectionis Christi Domini, tamen non id omne Christianis prohibetur die Dominica, quod Judæis sabbato vetitum erat; licet enim Christianis cibos parare et coquere, colligere fructus mensæ apponendos, animalia minora, v. gr. pullos, columbas, etc., occidere, et plura alia quæ Judæis erant prohibita.

Nota 2. Triplicis generis opera distingui debent, nempe : *servilia, liberalia,* et *media* seu *communia.*

Opera *servilia* sunt ea quæ a servis et infima plebe, seu mercenariis exercentur, qualia sunt omnia opera artium mechanicarum, et ruralia : v. gr. *arare, fodere, seminare, suere, nere, conflare, imprimere et typographorum caracteres ordinare, sculpere et pingere, barbas et crines tondere, vecturas laboriosas exercere, fructus, ligna,* etc., *colligere,* et alia id genus, quæ, quia in actione corporis præcipue consistunt, *corporalia* nuncupantur; eaque vel sunt vere servilia, etiamsi fiant tantum causa recreationis, non vero intuitu mercedis, aut ad sustentationem vitæ, sive

cum defatigatione et labore, sive non, quia intentio operantis non mutat naturam operis; vel servilibus æquiparantur a jure a quo prohibentur.

Opera *liberalia* sunt ea quæ ad animum excolendum spectant et ab anima præcipue procedunt, ideoque sunt digna homine libero, qualia sunt *canere, docere, concionari, legere, studere, scribere, dare consilia et responsa, lineare domus, munimenti, picturæ, vel operis textorii adumbrationem ducere.*

Opera *media* seu *communia* sunt ea quæ a liberis et servis promiscue exercentur, ut *iter facere, venari, piscari* etc ; peccatum autem non est opus servile, ut quidam autumant theologi; unde non est contra præceptum, sed contra finem præcepti : *Opera servilia,* inquit Doctor angelicus, *mystice intelliguntur peccata, sed ad litteram dicuntur ad quorum exercitium servos deputatos habemus.* His positis, sit

CONCLUSIO.

Diebus Dominicis festisque exercere opera servilia et alia a jure prohibita, est peccatum mortale ex genere suo.

PROB. PRIMA PARS. Ex Div. August.[1] dicente : *Vacatio a servilibus operibus imperatur; unde illud est, quod lapidare Deus hominem jussit, qui ligna collegerat.* Accedit communis Ecclesiæ usus, et Doctorum consensus.

PROB. SECUNDA PARS. Quia modus quo sanctificandi sunt dies festi, ex ordinatione Ecclesiæ est repetendus : ergo sub gravi peccato tenemur abstinere ab eis quæ exercere prohibet iis diebus, quia materia est gravis, cum pertineat ad cultum Dei, a quo plurimum avocant actus ab Ecclesia prohibiti.

Dixi *est peccatum mortale ex genere suo,* quia levitas materiæ vel exiguitas temporis impensi excusat a mortali

[1] Epist. XLVI, alias LXXXVI.

in operibus servilibus; imo excusat a toto peccato in aliis operibus quæ non sunt ita servilia quin conveniant servis perinde ac nobilibus. ut sunt piscatio, venatio.

Resolves : Non videtur illicitum piscari arundine, leporem insequi cum uno aut altero cane, aucupari retibus exiguis, modo prædictis laboribus ita inserviant, ut nihil eorum prætermittant, quæ ad piam festorum celebrationem necessaria sunt.

Item, ex *probabiliori* sententia, saltem hodie non est illicitum ducere currus, vel jumenta onusta, licet gravis esset labor in imponendis vel levandis oneribus, quia in hoc labore muliones non insumunt notabile tempus, et, si aliquando sit notabile, excusantur, vel ob damnum grave vitandum, vel ob publicam utilitatem, vel ob consuetudinem nunc vigentem [1]. — Ex eodem capite probabilius licet in festis molere, si mola agitetur vento vel aqua; imo non esset peccatum saltem grave molere, si mola agatur bestiis, modo cooperatio, et applicatio hominis sit modica, dicit Croix et alii [2].

QUÆRES 1. *Quænam opera non servilia prohibentur a jure?*

RESP. Cap. 1 et finali *de Feriis,* prohibentur opera quæ *forensia* nuncupantur, et sunt :

1° *Placitum*, id est, omnis actus judicialis qui fit cum strepitu; nempe opera judicum, notariorum, reorum, actorum, testium, procuratorum, et advocatorum ad hoc concurrentium; imo, ex dicto cap. finali, quidquid fit tunc temporis judicialiter, ipso facto est irritum, *nec processus habitus teneat, nec sententia quam contingit diebus hujusmodi promulgari.*

2° *Juramentum* pro rebus temporalibus etiam extrajudiciale (*puta in instrumento contractus*) ait Glossa [3], *nec Sacramenta* (*nisi pro pace*, vel alia necessitate) præstentur [4].

[1] S. Ligor., lib. IV, num. 276. — [2] Ibid., num. 277. — [3] In cap. finali *de Feriis.* — [4] Cap. 1 *de Feriis.*

3° *Mercatus*, id est, nundinæ sive annuæ et solemnes, sive hebdomadariæ in quibus concurrunt rustici, grana, olera, butyrum et similia venditurі; et actus mercandi, ut sunt *emptio*, *venditio*, *locatio*, *conductio*, etc. Quæ fiunt maxime sine instrumento publico, ex consuetudine jam permittuntur. Hinc, S. Ligor. dicit post Sanch.[1] : *Licitos esse omnes contractus, si fiant sine instrumentis et judicis auctoritate, nec requirant strepitum judicialem.*

Pariter concedunt Doctores mercatoribus vendere aliquid clausis januis, cum emptores pro tunc valde indigerent.

Resolves : Graviter peccare :

1° Patres familias qui non obstant ne filii sui serviliter laborent.

2° Dominos qui domesticis suis equos, vel boves pascendos committunt sine causa sufficienti, tempore quo Sacrum peragitur, ita ut Missam quandoque non audiant.

Quæres 2. *Quænam sit materia gravis ad mortale sufficiens in opere diebus festis prohibito?*

Resp. 1. In placito et mercatu materiæ gravitas non solum ex quantitate temporis, sed etiam ex qualitate operis desumitur, ut fert communis sententia, nisi consuetudo excuset, vel necessitas, ut supra dictum est[2].

Hinc, inquit P. Antoine, brevis agitatio litis in re magni momenti, et prolatio sententiæ est gravis culpa.

Resp. 2. In assignanda temporis quantitate ut materia sit gravis in operibus servilibus, tot tamque variæ sunt opiniones, ut quid vix certi responderi possit.

P. Henno assignat *duas* horas, si opus sit multum servile, tres vero in aliis operibus. Marchantius assignat *tres* horas, Filiucius, Carolus a Cremona, P. Antoine assignant *duas*; Azorius, Reginaldus, Bonacina, Grandin, Paulus a Lugdun., Natal. Alexander, Tournely, assignant *unicam* horam, maxime si labor sit valde servilis graviterque corpus defatiget. Busemb. et Fill. dicunt durum esse damnare peccati

[1] Lib. IV, num. 286. — [2] S. Ligor., loc. cit., num. 307.

mortalis laborem *duarum vel trium* horarum. Croix excusat a mortali, nisi laboretur saltem *ultra duas horas cum dimidia*. Suarez[1], cui libenter subscribo, docet hoc esse dijudicandum judicio prudentis viri, cum ex duobus hominibus eidem labori per tempus unius horæ vacantibus, unus magis quam alter divertatur a cultu divino, et aliis pietatis operibus.

Porro, gravitas materiæ ex unione et integritate moralh ex diversis personis desumi non potest; sic herus tres habens servos, qui semihoræ laborem singulis assignaret, graviter non peccaret; ratio, quia opera famulorum non uniuntur in unum; porro, nequit dominus peccare magis quam ipsi famuli, qui tantum in hoc leviter peccarent. Secus esset dicendum, si eodem famulo mandaret pluries laborare in eadem die usque ad materiam gravem[2].

QUÆRES 3. *Quænam causæ excusant ab obligatione omittendi opera diebus festis prohibita?*

RESP. *Sex* vulgo numerantur.

Prima est *dispensatio*, quam concedere possunt: 1° S. Pontifex, ut supremus legislator et pastor in omnibus festivitatibus et pro tota Ecclesia; 2° Episcopus in sua Diœcesi et Vicarius generalis; 3° Capitulus, sede vacante; 4° omnes habentes potestatem quasi Episcopalem, uti Superiores Religiosi erga suos Religiosos; 5° parochi, sed tantum ad tempus et pro casu particulari, quando subditus nequit adire Episcopum, nisi agatur de minutis operibus in quibus etiam præsente Episcopo dispensare solent parochi.

Nota. Invalida et graviter peccaminosa est dispensatio Episcopi, si fiat sine causa in festis communibus; secus vero, si dispensetur in festis synodalibus, sive particularibus loci[3].

Secunda est *consuetudo legitime introducta*, id est, videntibus et tacite annuentibus Prælatis. Sic permittuntur

[1] Tom. I *de Religione*, cap. 31, num. 2. — [2] S. Ligor., lib. IV, num. 305. — [3] S. Ligor., lib. IV, num. 288,

emptiones rerum parvi momenti, præsertim earum quæ in familia usu quotidiano consumuntur, et earumdem rerum venditiones clausa officina : sic excusantur qui in area vertunt aut separant segetes.

Tertia est *pietas erga Deum*, per quam licent opera ad Dei cultum proxime pertinentia, ut pulsare campanas, altaria instruere, templa ornare, etc.

Dixi *proxime :* neque enim licent ea quæ ad Dei cultum remote spectant, ut conficere ornamenta etiam gratis, construere templum, etc.[1].

Quarta est *charitas erga proximum;* sic, licet medicamenta parare infirmis tunc egentibus; item, licet exercere actus judiciales in favorem pauperum et orphanorum, etc.

Quinta est *utilitas publica;* sic, operari licet ad communem lætitiam vel splendorem, ut in ortu, vel adventu Principis, theatra perficere, ignes artificiosos extruere, aulæa ordinare, etc.

Sexta est *necessitas* propria vel aliena, spiritualis vel corporalis, quæ præveniri non potuit, dum scilicet sine gravi damno opus aliquid omitti aut differri nequit. *Sabbatum* enim *propter hominem factum est, non homo propter sabbatum*, ait Christus[2]. Sic excusantur :

1° *Pauperes* qui, audito divino Officio, sine scandalo laborant, quando aliter se et suos alere non possunt.

2° *Servi* et *ancillæ* qui una aut altera vice, gravi metu ad hoc a dominis incusso, laborare coguntur; quod si tamen sæpius contingat, dominos deserere debent, si possint statim et de facili alium dominum invenire. Licitum est etiam iisdem suas vestes reficere, cum id aliis diebus non permittitur ab heris.

3° *Instauratores* pontium, fontium, viarum publicarum et similium quæ moram non patiuntur, nec differri possunt absque damno boni communis.

[1] Conf. S. Ligor., loc. cit., num. 293. — [2] Marc. II, 27.

4° *Piscatores halecum* aut *thunnorum*, qui certis tantum temporibus capi possunt[1].

5° *Molitores* et *naucleri*, pendentes a ventis.

6° *Lanones* et *pistores*, qui carnes aut panes alio tempore præparare aut coquere non possunt, in concursu magno et populorum et festorum.

7° *Sartores*, qui vestes quas aliis diebus perficere non potuerunt, perficiunt diebus festis, quando urget earum usus ob solemnitatem nuptiarum aut exequiarum.

8° *Barbitonsores*, qui aliunde suæ familiæ subvenire non possunt, si tondeant rusticos aut opifices, qui perpetuo depressi labore, ipsos pro festis adire nequeunt.

9° *Urbium mercatores*, qui rusticis vestimenta, calceos, etc., citra scandalum vendunt, cum ii alia die ad urbem accedere non valeant. Ita Juenin, Pontas, etc.

10° *Vitriarii, coctores* laterum, *vectores* onerum, etc., persistentes in opere inchoato, quod absque notabili damno interrumpere non possunt.

11° *Rustici*, qui ob aeris intemperiem, hostiles incursus, etc., messem, vindemiam et fœna colligunt; necesse tamen est ut antea obtineant pastoris consensum, nisi periculum sit in mora; tunc enim laborare possent ex præsumpto ejus consensu.

12° *Ferrarii*, qui ferrant equos itinerantium, vel eorum qui summe mane profecturi sunt, aut in agrum egressuri ad laborandum.

Quæres 4. *An per quodvis peccatum mortale, graviter violetur præceptum de sanctificatione festorum, ita ut circumstantia festi non solum augeat peccatum, quod omnes Theologi fatentur, sed insuper addat novam speciem malitiæ mortalis contra religionem, in Confessione exprimendam.*

Resp. Circa hanc quæstionem duplex est sententia.

Prima est eorum qui affirmant et probant[2]: 1° ex Div.

[1] Cap. *Licet, de Feriis.* — [2] Tract. *in cap.* III *Joan.*: idem habet serm. 22.

August. dicente : *Spiritualiter observat sabbatum Christianus abstinens se ab opere servili. Quid est ab opere servili? a peccato : et unde probamus? Dominum interroga : omnis qui facit peccatum, servus est peccati.* Ergo est speciale præceptum non peccandi diebus festis, ac proinde peccatum novam induit speciem malitiæ.

2° Ex Div. Thom.[1], qui distinguit triplicem servitutem : *Una quidem qua homo servit peccato, alia qua homo servit homini per opera corporalia, tertia autem est servitus Dei.* Postea addit : *Opera quæ dicuntur servilia primo vel secundo modo, contrariantur observantiæ sabbati, in quantum impediunt applicationem ad divina; et quia magis homo impeditur a rebus divinis per opus peccati, quam per opus* (per se) *licitum, quamvis sit corporale : ideo magis contra hoc præceptum agit qui peccat in die festo, quam qui aliud corporale opus licitum facit.*

3° Ex Div. Bonaventura, qui ait[2] : *Interrogandus est pœnitens de tempore quo peccatum perpetravit : utrum videlicet in tempore festivo, vel non festivo;* quia nempe circumstantia temporis trahit peccatum ad aliam speciem, nempe ad sacrilegium, juxta illud Divi Antonini[3] : *Peccatum mortale commissum die festo est multo gravius quam alia die. Nam, ultra propriam deformitatem, habet specialem deformitatem ex illa circumstantia temporis sacri, qua festum violatur; unde talis, ut dicit Nicolaus de Lyra, non solum agit contra unum præceptum, scilicet :* Non mœchaberis, *aut illud :* Non furtum facies; *sed etiam contra illud de sanctificatione sabbati.*

4° *Ratione.* Tum 1° quia præceptum de die festo servandum positum fuit ut Deus externe coleretur, et ut homo finem suum ultimum consequeretur; atqui peccatum huic duplici fini est oppositum, etenim contrarium est cultui divino, et impedit animarum sanctificationem : ergo per quodvis

[1] 2 2, quæst. 122, art. 4, ad 3. — [2] Opusculo cui titulus : *Confessionale*, cap. 2, part. 22. — [3] 3 part., tit. 9, cap. 7, § 2.

peccatum violatur præceptum de sanctificatione festorum, additque novam speciem malitiæ mortalis contra Religionem in confessione exprimendam. Tum 2° quia fornicatio et furtum patratum in loco sacro, est circumstantia mutans speciem peccati : ergo, a pari, si talia peccata in die sacro patrentur. Ita Sotus, Gabriel, Medina, Charmes et alii.

Secunda sententia *probabilior* et *communior* negat.

Prob. 1. Quia nullum est præceptum non peccandi diebus festis; etenim hoc præceptum solum obligat in quantum est divinum, ut eo die, externo cultu Deum colendum, et prout est Ecclesiasticum, ad Missam audiendam, et ab operibus servilibus abstinendum sit; atqui homo potest Deum externe colere, Sacrum audire, etsi aliquod peccatum committat : ergo, etc.

2. Quia si peccatum mortale, ut est tale, esset opus servile violans observantiam festi, omne peccatum, etiam internum, violaret præceptum, ut patet, cum omnis peccator fiat servus diaboli; sed adversarii negant consequens : ergo, etc.

3. Per hoc præceptum ea prohibentur opera die festivo, quæ aliis diebus exerceri possunt; atqui peccata nunquam possunt exerceri : ergo non sunt ea opera quæ præcepto prohibentur.

4. Quia peccatum non est opus servile nisi mystice intellectum, ut patet ex Div. Thoma, quem adversarii male intellexerunt : *Opera servilia*, inquit Angelicus, *mystice intelliguntur peccata, sed ad litteram dicuntur ad quorum exercitia servos deputatos habemus*[1]: atqui præceptum non respicit ea opera quæ *mystice* dicuntur servilia, sed quæ dicuntur ad litteram : ergo, etc.

5. Finis præcepti non cadit sub præcepto, ut fert axioma omnium Theologorum, ex Angelico[2] qui dicit : *Non enim idem est finis præcepti, et id de quo præceptum datur;*

[1] In 3, dist. 37, quæst. 1, art. 5, quæst. 2, ad 2. — [2] 1 2, quæst. 100, art. 9, ad 2.

atqui finis præcepti de sanctificandis festis, est ut homines Deo per fidem et charitatem inhæreant et a peccatis se abstineant : ergo peccata sub hoc præcepto non cadunt nec prohibentur. Ergo peccatum non violat præceptum de sanctificatione festorum, nec addit novam speciem malitiæ mortalis contra Religionem, in confessione exprimendam. Ita Sanch., Suarez, Salmant., Navarr., Covarr., Cajet., S. Ligor.[1], etc.

Ad rationes SS. Doctorum oppositas,

Resp. Quando SS. Doctores asserunt peccata magis adversari observantiæ hujus præcepti, quam quodlibet servile opus, non intendunt quod hoc sit verum quoad substantiam et finem intrinsecum præcepti, sed quoad finem extrinsecum, qui est cultus interior, puta actus contritionis et caritatis, quibus sanctificatur anima Deo inhærendo, ad quem cultum interiorem non cogimur, inquit Div. Thom.[2], sed movemur a Spiritu Sancto.

Ad probationem primam ex ratione desumptam, responsio patet ex modo dictis. Ad secundam, negatur paritas; dispar enim est ratio inter diem festum et locum sacrum; nam quod dies sit sacer, non importat aliquam benedictionem peculiarem aut consecrationem, sed simplicem determinationem ex parte Ecclesiæ, ut sit præceptum tali die in honorem Dei aliquid agendi et aliquid non agendi.

At locus dicitur sacer ex speciali benedictione et consecratione. Unde qui peccat in loco sacro, agit contra sanctitatem et venerationem ei debitam, et destruit, in quantum est ex se, signaculum sacrum quo locus initiatur, ideo sacrilegium committit. Nihil autem simile accidit in eo qui die festo facit peccatum.

[1] Lib. IV, num. 264. — [2] 1 2, quæst. 122.

CAPUT III.

DE QUINTO ET SEXTO ECCLESIÆ PRÆCEPTO, NIMIRUM DE JEJUNIO ET ABSTINENTIA.

Dicemus 1° de nomine, divisione, essentia et obligatione præcepti jejunii: 2° de abstinentia a quibusdam cibis; 3° de unica refectione, ubi de collatiuncula serotina; 4° de hora refectionis; 5° de causis a jejunio excusantibus.

§ I.

De nomine, divisione, essentia et obligatione præcepti jejunii.

I *Nomen.* — Verbum *jejunium* dicitur a quodam intestino, sic vocato eo quod plurimum vacuum et exinanitum est. Cum ergo abstinentia a cibo, ex se viscera vacua et exinanita relinquat, inde jejunium nomen accepit.

II *Divisio.* — Triplex est jejunium : *spirituale, naturale* et *Ecclesiasticum.*

Jejunium *spirituale* est abstinentia a peccatis, juxta illud *Isaiæ* LVIII : *Nonne magis hoc est jejunium, quod elegi; dissolve colligationes impietatis.* Illud vocatur a Div. August. *jejunium magnum et generale*[1]; tamen metaphoricum est et improprium.

Jejunium *naturale* est omnimoda abstinentia cibi et potus a media nocte præcedente. Hoc jejunium requiritur ad Eucharistiæ sumptionem, de quo dicemus in tract. de hoc Sacramento.

Jejunium *Ecclesiasticum* de quo hic, est *abstinentia a quibusdam cibis, cum unica refectione, hora competenti sumenda.* Unde jejunium Ecclesiasticum tribus tanquam partibus constat : 1° unica comestione per 24 diei horas;

[1] Tract. 17 *in Joan.*

huic tamen refectioni, ex consuetudine nunc temporis recepta, additur vespertina collatiuncula); 2° abstinentia a quibusdam cibis; 3° tempore ad refectionem sumendam determinato. Sed

III *Essentia.* — QUÆRES : *An hæc tria quæ formam constituunt jejunii Ecclesiastici, sint de essentia jejunii?*

RESP. Duo priora sunt de essentia jejunii Ecclesiastici; nam illud est de essentia jejunii, quo sublato, non manet jejunium Ecclesiasticum : atqui sublata unica comestione, vel abstinentia a quibusdam cibis, non manet jejunium Ecclesiasticum : ergo, etc. Circa quod duo sunt notanda, Scilicet : 1° quod abstinentia a carnibus sit pars minus principalis jejunii, unica vero comestio sit magis principalis, quia, licet hæc minus forte conducit ad inordinatas concupiscentias refrenandas, et mentem ad Deum elevandum, ut volunt Salmant.[1], ipsa tamen sublata, nemo jejunare dicitur; dum econtra, sine abstinentia a carne et lacticiniis, jejunium bene concipitur. 2° Quod dispensatio ad carnes non importat secum dispensationem ab unica refectione, ut dicemus infra. Quoad tempus refectionis controvertitur, ut dicemus infra suo loco.

IV *Obligatio.* — Præceptum jejunii obligat *sub gravi*, etsi non frangatur dictum præceptum ex motivo inobedientiæ, ut definivit Alexander VII in damnatione hujus propos. quæ est 23 : *Frangens jejunium Ecclesiæ ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu vel inobedientia hoc faciat, puta quia non vult se subjicere præcepto.*

Obligat autem 1° omnes fideles a vigesimo primo ætatis anno completo mathematice computando, nisi legitime excusentur, vel a superioribus dispensentur; illud constat ex consuetudine Ecclesiæ, communique Doctorum sententia[2]. 2° Tempore præsertim Quadragesimæ, Quatuor Temporum et quarumdam Vigiliarum.

[1] Tract. 23, cap. 2, num. 9. — [2] Salmant., tract. 23, cap. 2, pag. 6, num. 117.

§ II.

De abstinentia a quibusdam cibis.

Omnibus fidelibus ratione utentibus, præcepto Ecclesiæ imponitur abstinentia a quibusdam cibis, nempe : 1° *a carnibus animalium quæ a piscibus vere distinguuntur*, et ab eis quæ ad veram carnem reducuntur, vel ut partes, qualia sunt animalium intestina, sagimen et adeps; vel ut substantiam carnis continens, quale est jusculum e carnibus expressum; 2° *ab aliis cibis* quæ sementinam carnis trahunt originem, ut sunt ova et lacticinia, id est, lac, butyrum et caseus; quæ tamen prohibentur solum tempore Quadragesimæ de jure communi, ne diebus quidem Dominicis exceptis, quia non excipiuntur in lege neque consuetudine. *Hinc*, si quis illis vesceretur contra Ecclesiæ consuetudinem, peccaret mortaliter, nisi excusaret materiæ parvitas, prout definivit Alexander VII in damnatione proposit. 32 : *Non est evidens quod consuetudo non comedendi ova et lacticinia in Quadragesima obliget.*

Notat autem P. Gury, juxta *communem* sententiam, facilius materiæ parvitatem in his quam in usu carnium admittendam esse.

Dixi *a carnibus animalium quæ a piscibus vere distinguuntur*, et ab iis animalibus quæ ad pisces reducuntur, ut sunt ranæ, lutræ, testudines, gallinæ aquaticæ, anguillæ, castores, fibræ, etc., quibus vesci licet diebus jejunii, vel quia frigidum habent sanguinem, vel quia timoratorum etiam Religiosorum usu et consuetudine, quæ est *optima legum interpres*, receptum est. His positis,

Quæres 1. *An ubi viget consuetudo abstinendi a lacticiniis in jejuniis extra Quadragesimam, talis consuetudo obliget et sub gravi?*

Resp. *affirmative*. Quia non solet populus constanter convenire in observantione alicujus consuetudinis graviter one-

rorum, nisi quando vere obligatum se sentit. Ita S. Ligor.[1] *cum communi contra plures.*

Quæres 2. *An dispensati ad lacticinia, censeantur dispensati pro ovis?*

Resp. *affirm.* Quia hæc ex consuetudine æquiparantur, nisi expresse in dispensatione distinguantur. Ita omnes.

Quæres 3. *An qui in die jejunii dispensatus est ad comedendas carnes, sit etiam dispensatus ad plures refectiones, seu ad non jejunandum?*

Resp. *Prima* sententia *affirmat.* 1° Quia sine propria essentia jejunium consistere non potest, nec ejus obligatio: sed abstinentia a carnibus est de essentia jejunii, ut diximus: ergo sine hac abstinentia nec jejunium, nec ejus obligatio consistere valent. 2° Quia qui excusatur a parte præcipua, excusatur a toto; atqui abstinentia a carnibus est pars jejunii præcipua, ut plures dicunt: ergo qui per dispensationem ab hac excusatur, excusatur etiam ab unica refectione, quæ est pars minus principalis. Ita Cajetan., Henriquez, Gabriel, Dian. et alii.

Secunda sententia *communis et vera negat.* Imo quandoque quis dispensatur ad carnes, ut jejunare possit. Ratio, quia vel præceptum jejunii est duplex, unum scilicet quo prohibentur carnes, et alterum quo unica comestio præcipitur, vel prohibetur ne duæ ac plures fiant comestiones intra diem naturalem. Si *prius,* dispensatus in uno præcepto, non censetur dispensatus in alio, ut patet: ergo qui dispensatur ad carnes, non dispensatur ab unica refectione. Si *posterius,* respondetur quod in præcepto divisibili habenti partes principaliores et minus principales, qui non potest servare principaliores, tenetur ad minus principales, si ad has est potens; sic qui non potest recitare *Matutinum et Laudes,* potest autem reliquas Horas, tenetur ad illas ex proposit. 54 damnata ab Innocent. XI; ita qui dispensatur in una parte etiam principaliore, non censetur dispensatus

[1] Lib. IV, num. 1009.

in alia parte minus principali; atqui essentia jejunii constat duplici parte, nempe unica comestione, et abstinentia a carnibus, ut diximus, et hæ partes sunt divisibiles. Etenim illæ partes sunt divisibiles, quæ ita seorsim dispensari possunt, ut una non dependeat ab alia, nec una dispensata censeatur alia dispensata; sed quis dispensari potest in unica comestione, et non in abstinentia a carnibus, ut fatentur omnes: ergo illæ partes jejunii sunt divisibiles: ergo quamvis abstinentia esset pars principalior jejunii, qui dispensatur a carne, non manet dispensatus ab unica comestione. Constat insuper ex Encyclica Benedict. XIV, *In suprema*, ubi sancit *quod in Quadragesima aliisque anni temporibus et diebus in quibus carnium... esus est prohibitus. dispensari contigerit ab omnibus, omnino nemine excepto, unicam comestionem servandum.. tenore præsentium declaramus et edicimus.*

Nota. Cui conceditur in diebus jejunii esus carnium, ex consequenti dispensatur ad ova et lacticinia, quia cui conceditur majus, etiam minus concedi intelligitur.

QUÆRES 4. *An dispensati ad carnes, possint etiam comedere pisces?*

RESP. *negat.* De jure communi, ut patet ex Encyclica Benedict. XIV, *Non ambiguis.* nec Summi Pontifices solent hanc concedere facultatem, nisi interposita conditione: ne pisces cum carnibus adhibeantur in eadem refectione.

QUÆRES 5. *Quibusnam possint in diebus vetitis ministrari carnes?*

RESP. Certum et commune est posse: 1° pueris ante et post septennium usu rationis carentibus, et perpetuo amentibus, quia ipsi non sunt capaces obligationis legis; 2° infidelibus et non baptizatis, quia legis Ecclesiæ non sunt subjecti.

Non licet autem ministrari ebriis, quia ebrietas est brevis privatio usus rationis, ac proinde non extrahens ab obligatione legis; nec pueris ante septennium, si usum rationis habeant, quia lex non ad terminum ætatis assignat,

sed ad usum rationis attendit. In dubio, utrum puer usum habeat rationis, distinguendum est : si puer pervenerit ad septennium, non possunt ministrari carnes, quia præsumptio stat pro usu rationis, et consequenter pro obligatione legis; secus dicendum, si non attigerit, quia tunc præsumptio stat pro proposito, et ideo possessio stat pro libertate[1].

§ III.

De unica refectione, ubi de collatiuncula vespertina.

PUNCTUM I.

DE UNICA REFECTIONE.

Secundum quod supra diximus, requiritur ad formam jejunii Ecclesiastici, ut unica comestio, id est, ut intra unum diem naturalem nonnisi una fiat refectio in ordine ad nutritionem. *Ecclesiæ moderamine statutum est*, ait Div. Thom.[2], *ut semel in die a jejunantibus comedatur*. Huic tamen refectioni, ex consuetudine nunc temporis ubique recepta, additur vespertina collatiuncula. Unde

Resolves 1. Qui duplicem in die sumit refectionem, jejunium violat, et peccat mortaliter, ut definivit Alexander VII in damnatione proposit. 23, quæ dicebat : *Frangens jejunium Ecclesiæ ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu vel inobedientia hoc faciat, puta quia non vult se subjicere præcepto.*

Resolves 2. Qui sæpius quid parvum comedit extra refectionem, peccat mortaliter cum ad notabilem quantitatem devenerit, juxta proposit. ordine 29 damnatam ab Alexandro VII : *In die jejunii, qui sæpius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.*

Resolves 3. Refectio debet esse ita continua, ut non sit moraliter interrupta; quotum autem temporis intervallum

[1] S. Ligor., lib. IV, num. 1012. — [2] 1 2, quæst. 146, art. 6.

requiratur ut interruptio sit moralis, id prudentum judicio est dijudicandum, habita ratione tum negotii propter quod interrumpitur refectio, tum temporis, loci et intentionis illius qui interrumpit. Horum gratia, dicunt Sanchez et Salmant[1]., non esse habendum scrupulum, etiamsi per dimidiam aut unam horam interrumpatur prandium; unde inferunt cum aliis non frangere jejunium lectores et ministros mensæ in communitatibus religiosis, aliquid cibi præsumentes ne vires notabiliter debilitentur; nec famulos qui mensæ dominorum inserviunt, si comedant ex his quæ de mensa tollunt, si statim post dominum sunt comesturi, neque coquos et alios qui cibum prægustant sive mane, sive prandii tempore, sive res gustata sint carnes, ova ac pisces, quia hæc prægustatio non est ad refectionem; addunt insuper quod si prandium differatur ultra communem horam, potes aliquid cibi sumere, ne stomachi dolore premaris aut vires deficiant, quia tunc per modum medicinæ sumitur[2].

Quæres 1. *An sumptio potus extra tempus refectionis noceat?*

Resp. Sumptio potus de se et directe nutritivi nocet jejunio sumptio vero potus, v. gr. aquæ, vini, aliarumque potionum qui non sumitur ad nutritionem, sed alterationem corporis sedandam et digestionem ciborum sumptorum, non nocet jejunio; hinc axioma : *Liquidum non frangit jejunium.*

Per *liquidum* autem, inquit P. Gury, id solum intelligitur quod ex *communi sensu* sumitur per modum potus, non vero per modum cibi, ut lac, etc., ut resolvit Div. Thom.[3] dicens : *Jejunium Ecclesiæ non solvitur nisi per ea, quæ Ecclesia interdicere intendit instituendo jejunium; non autem intendit Ecclesia interdicere abstinentiam potus, qui magis sumitur ad alterationem, licet aliquo modo nutriat;* et infra[4] : *Electuaria, etiamsi aliquo modo nutriant, non*

[1] Tract. 23, cap. 2, p. 3, num. 49. — [2] Salmant., loc. cit., num. 51. — [3] 2 2, quæst. 147, art. 6, ad 2. — [4] Ibid., ad 3.

tamen principaliter sumuntur ad nutriendum, sed ad digestionem ciborum. Unde non solvunt jejunium, sicut nec aliarum medicinarum assumptio, nisi forte aliquis in fraudem electuaria in magna quantitate assumat per modum cibi.

Imo, jam concors, inquiunt Salmant [1], Canonistarum et Theologorum sententia est, vinum, etsi si pluries et quocumque fine sumatur, jejunium frangere non posse: ratio, quia præcipitur tantum lege jejunii abstinentia a cibo, non a potu, et intentio sumentis nequit mutare rerum naturam, ut ait angelicus Doctor : *Statutum positivæ legis non attendit intentionem observantis, sed ipsum actum, eo quod modus virtutis non cadit in præcepto, sed est finis præcepti*[2]*;* unde inferunt quod potus cervisiæ, aloxiæ, aqua sacharo mixta et aliæ res quæ cum prædictis aquis in parva quantitate miscentur et ita liquantur, ut propriam naturam amittant, jejunium minime solvant.

Quæres 2. *An potio chocolatica solvat jejunium?*

Resp. *affirmative, per se.* Si, ut communiter, satis spissum et condensatum sumitur; quia chocolatum eo modo sumptum non ordinatur nec ex se, nec ex intentione sumentium ad sedandam sitim, sed ad nutritionem corporis, ut constat. — *Negat.* vero, si modica chocolati quantitas cum frustulo panis, v. gr. in cyatho usuali et semel tantum in die sumatur [3].

Quæres 3. *An peccet qui postquam duas sumpsit refectiones, tertium aut quartam sumit?*

Resp. Non peccat, *saltem mortaliter*, quia si quis non potest servare jejunium ex toto, ad nihil tenetur ex communiori et probabiliori sententia. Nam essentia jejunii, quoad refectionem, consistit in unica comestione, et præceptum est indivisum : ergo destructa essentia jejunii, cessat præceptum.

[1] Tract. 23, cap. 2, p. 3, num. 55 et 56. — [2] In 4 sent., dist. 5, quæst. 3, art. 1, ad 1, et S. Ligor., lib. IV, num. 1022. — [3] S. Ligor., num. 1023, Salmant. et plures alii. — In Gallia autem, saltem plerisque in locis hæc

Dixi *saltem mortaliter*, quia probabilius *venialiter* peccat; agit enim contra finem legis, qui est carnis mortificatio, quod est quædam inordinatio, inquit S. Ligor.

Dices : Licet præceptum jejunii quoad formam verborum, esse videatur affirmativum, in se tamen triplex continet negativum, scilicet : non comedes carnes, plures refectiones non sumes, non sumes refectionem ante horam præscriptam. Quemadmodum ergo alia præcepta negativa non solum violantur per primum vel secundum actum eis oppositum, sed et per consequentes quoscumque : ita pariter per secundam et quascumque sequentes refectiones violatur jejunii præceptum.

Resp. 1. *Nego ant.* Nam præceptum jejunii (quoad abstinentiam a cibo) primario et *per se* est affirmativum, et quasi secundario negativum ; siquidem primo præcipit jejunium seu parcimoniam cibi, deinde cum essentia jejunii consistat in unica refectione, consequenter prohibet ne plures fiant in die comestiones : ergo semel destructa essentia jejunii, cessat præceptum, ut dictum est.

Resp. 2. *Transeat* præceptum sit negativum; sed hinc non sequitur, inquiunt Salmanticenses[1], quod omnes comestiones prohibeat, quia non est negativum absolute, sicut præceptum abstinendi a carnibus, sed finite et terminate, cum præcipiat tantum ne bis comedamus in die, et hæc præcepta negativa non omnes, sed determinatos actus prohibent.

Quæres 4. *An qui inculpabiliter duplicem in die sumpsit refectionem, errore detecto aut ablata causa excusante, teneatur sub gravi a tertia abstinere?*

consuetudo non viget. At sapienter admonet P. Gury, num. 510, hoc saltem his vel maxime denegandum non esse, qui difficilius vel ægre jejunium peragunt. Quot enim reperies, inquit, qui, nimia difficultate objecta, Ecclesiastica jejunia deserunt, quique ea tamen susciperent, et a peccato mortali forent immunes, si aliquod sibi, ut aiunt, *privilegium daretur?*

[1] Tract. 23, cap. 3, p. 3, num. 48.

Resp. Prima sententia *affirmat;* ratio, quia jejunium *materialiter* tantum, non vero *formaliter* læsit : ergo, cum ad legem advertit, vel causam excusantem cessare videt, eam servare tenetur, secus enim eam formaliter violaret[1].

Secunda sententia *negat* ex ratione intrinseca supra allata, propter quam hæc posterior sententia *probabilior* esse videtur[2].

Nota. Ille qui mane inadvertanter jentavit, 1° tenetur de more jejunare et comedere statutis horis, si parum quid sumpserit, v. gr. tres vel quatuor cibi uncias, quia jejunium non fuit *substantialiter* læsum, parum enim pro nihilo reputatur; 2° si quantitatem sumpserit æquivalentem cœnulæ, tenetur prandium ad vesperam remittere, vel a collatiuncula abstinere, quia tunc, substantia jejunii integra manente, solum mutatur quid accidentale; 3° si tandem sumpserit quantitatem vel duplici fere cœnulæ vel consuetæ refectioni parem, tenetur, omisso prandio, vespertinam tantum cœnulam sumere; hæc tamen maturior et copiosior pro necessitatis ratione esse potest.

PUNCTUM II.

DE COLLATIUNCULA SEROTINA.

Quæres 1. *An collatiuncula sit licita?*

Resp. *affirmat.* Ut constat ex consuetudine a multis jam sæculis ubique recepta, cui, cum sit optima legum interpres, absque scrupulo standum est.

Quæres 2. *Quibus cibis licitum sit uti in collatiuncula?*

Resp. Cum collatiuncula consuetudine et usu sit inducta, in ea iis solum cibis uti licitum est, qui ipsa consuetudine sunt approbati, quales in his regionibus sunt cibi leviores et parum nutritivi, cujusmodi sunt panis, fructus quilibet, olera, etiam quælibet, et dulciaria varii generis, imo et

[1] Ita Billuart, Reuter, *de Legib.*, num. 176. — [2] S. Ligor, num. 1030, Bonac., Elbel, Sporer, etc.

aliquid butyri, vel casei, ubi ita consuetudo obtinuit, non autem ova. — Item pisciculi, præsertim exsicati, vel etiam pisces majores, modo trium unciarum pondus non excedas[1]. — *Item*, saltem *probabiliter*, jusculum ex herbis coctis cum aqua, aceto, oleo, aut vino decocto, nisi adversetur consuetudo. Tunc vero nec aqua, nec vinum in pondus ciborum veniunt; computandum autem oleum et acetum, quæ non habent rationem potus[2]. Cæterum servanda est locorum consuetudo, cujusve nunc in Gallia panis jusculentus (gallice *potage, panade*), v. gr., ex hordeo, oryza, sumi potest sine scrupulo, modo quinque vel quatuor unciarum panis decocti pondus non excedas, quod pariter dicendum erit de aliis decoctionibus in cœnula adhibendis, etc.

QUÆRES 3. *Quænam potest esse quantitas cibi in collatiuncula sumendi?*

RESP. *Quæ quantitas*, inquit Sylvius, *in collatione sumi possit, non videtur aliqua regula posse definiri : sed attendenda est cujusque loci ad quem venit consuetudo inter bonos communiter observata, et ita modice aliquid sumendum est, ut cœnula non vertatur in cœnam.* Quæ quantitas debet esse diversa pro diversitate complexionum, laborum et regionum, quarum aliæ aliis frigidiores sunt; unde fit ut alii aliis minore cibo indigent. Sed ut omnis anxietatis amputetur occasio, sapienter dicit S. Ligor. quantitatem octo unciarum nemini denegandam videri, majorem autem concedendam iis quibus hæc non sufficeret[3].

§ IV.

De hora refectionis in die jejunii destinata.

QUÆRES 1. *Qua hora sumendum sit prandium die jejunii?*

Nota. R quiritur certum tempus refectionis, quia refectionis dilatio plurimum confert ad corporis mortificationem ab Ecclesia intentam.

[1] S. Ligor., lib. IV, num. 1028. — [2] S. Ligor., ibid., num. 1029. — [3] S. Ligor., ibid.

Resp. Tempus refectionis fuit antiquitus horæ nonæ præfixum, hoc est, horæ tertiæ post meridien, quia scilicet, inquit Div. Thom., convenit ista hora mysterio passionis Christi, quæ completa fuit hora nona, quando, inclinato capite, tradidit spiritum[1].

At nunc, ex usu ab Ecclesia recepto propter imbecillitatem hominum, videtur esse circa meridiem, ita ut non liceat sine justa causa hanc horam notabiliter spatio, scilicet duarum horarum, anticipare, ut communiter docent Doctores post Angelicum.

Quæres 2. *An anticipans notabiliter sine causa hujusmodi horam, graviter peccet?*

Resp. *Prima sententia affirmat.* 1° Quia sicut datur præceptum de unica refectione, ita etiam datur de hora comestionis : ergo, sicut qui notabiliter præceptum de unica refectione frangit, graviter peccat, ita peccabit graviter qui horam comestionis ab Ecclesia indictam notabiliter anticipat; 2° quia in communi hominum æstimatione censetur jejunium violare, qui summo mane absque causa comedit, non alia ex causa, nisi quia graviter peccat horam notabiliter anticipando.

Secunda sententia communior et probabilior *negat*, concedens tamen anticipantem sine causa refectionis horam, venialiter peccare. Ratio est, quia hora præfixa non est de essentia jejunii, ut omnes fatentur, sed tantum est quædam illius conditio et circumstantia : ergo, licet hæc anticipetur aut mutetur, non essentialiter frangitur jejunium.

Quæres 3. *An frangatur jejunium si collatio circa mevidiem, refectio autem vespere fiat?*

Resp. *negat.* Ex ratione supra data, et proinde, si fiat sine causa, non excedit veniale. Porro, juxta communem sententiam, leves causæ sufficiunt, v. gr. itinerari, concionari, docere, hospitibus inservire, hospites expectare, negotia per diem gerere, etc.; imo, ex consuetudine hodierna,

[1] 2 2, quæst. 147, art. 7.

inquit P. Gury, fieri potest cœnula decima hora matutina, et refectio vespere.

§ V.

De causis a jejunio excusantibus.

QUÆRES : *Quot sunt causæ a jejunio excusantes?*

RESP. Sunt quatuor, superioris scilicet dispensatio, impotentia, labor et pietas. Unde

I. *Ratione dispensationis.*

Excusatur quisquis legitime est dispensatus, ut patet; sed

QUÆRES : *Quinam possint in jejunio dispensare?*

RESP. Possunt dispensare : 1° Summus Pontifex in universam Ecclesiam, et quidem valide etiam sine causa, quamvis tamen tunc peccaret, saltem venialiter[1].

2° Episcopi cum subditis suis, pro casibus occurrentibus tantum, et nonnisi ex justa causa; alias, dispensatio erit nulla. Cum integra vero civitate vel communitate dispensare in jejunio vel circa qualitatem ciborum, Sedi Apostolicæ reservatum est. Vicarii autem Episcoporum non possunt dispensare, nisi ex speciali facultate ipsis concessa : utriusque ratio est, quia tunc Episcopi non dispensant in suis legibus, sed superioris.

3° Parochi, jure saltem consuetudinis, possunt ex justa causa, cum suis subditis particularibus dispensare, etiam ipso præsente Episcopo; nam, licet parochus, ex vi sui muneris, solum habeat jurisdictionem in subditos quoad forum internum, non vero externum, ita tamen hanc obtinent ex consuetudine, quæ satis potest jurisdictionem tribuere[2]. Quam doctrinam extendunt Doctores ad Vicarium parochi, cum exerceat actus parochiales jurisdictionem exigentes. Ita *communiter*.

[1] S. Ligor., lib. IV, num. 1932. — [2] Ex cap. *Contingat, de Foro compet.*

4° Omnes Prælati Religiosorum, etiam inferiores, justa interveniente causa, dispensare possunt in jejunio cum suis subditis, quia sunt vere eorum Prælati, jurisdictionem ordinariam habentes in subditos, ut in eorum necessariis providere valeant.

5° Confessarii nec a jure, nec a consuetudine potestatem proprie dictam dispensandi habent in jejunio; sed in casu speciali declarare possunt, tanquam doctores ac judices in foro conscientiæ pœnitentem non obligari lege jejunii.

6° Medici multo minus hanc sibi facultatem vindicare possunt, cum nullam habeant jurisdictionem Ecclesiasticam. Ipsorum tamen est declarare quænam sit causa vere sufficiens; quod si fidelis hac declaratione innixus, frangat jejunium sine justa causa et sine dispensatione, non est inquietandus, ratione bonæ fidei.

Nota 1. Ex Benedicto XIV (Bulla *Libentissime*) Episcopi non debent postulare facultatem circa ciborum qualitatem, nisi gravissima de causa, et toties quoties causa vera sufficiens est, v. gr. morbus universalis, aut penuria ciborum sine quibus jejunium observari nequit.

Nota 2. Idem Benedictus XIV (Bulla *Prodiit*) præcipit ut dispensatio in esu carnium, etc., cum subdito, fiat *ex utriusque medici* consilio, animæ scilicet et corporis.

II. *Ratione impotentiæ.*

Nota. Duplex est impotentia : physica scilicet, et moralis. Unde

Quæres 1. *Quinam excusentur a jejunio Ecclesiæ ratione impotentiæ physicæ?*

Resp. Excusantur : 1° Infirmi omnes, sicut et convalescentes, quos infirmitas valde extenuavit; quod Doctores extendunt ad eos qui febri tertiana, vel quartana diuturna laborant; circa quod consulendus est prudens et timoratus medicus.

2° Prægnantes et nutrices; nam egent cibo pro se, et pro fœtu, vel prole, quibus jejunium valde noceret. Imo, Navarrus[1] docet eas peccaturas, si jejunent cum prolis periculo. Jam vero permittitur eis, ex consuetudine, carnium usus, si proles ægrotet vel mater sit valde debilis.

3° Pauperes qui simul habere nequeunt quod eis ad unam refectionem sufficiat : pauperes ergo qui possunt sufficienter habere quod eis sufficiat ad unam comestionem, *non excusantur*, ait Div. Thomas[2], *propter paupertatem a jejuniis Ecclesiæ a quibus tamen excusari videntur illi qui frustatim elemosynas mendicant, qui non possunt simul habere, quod eis ad victum sufficiat, aut ea tantum habent obsonia modicæ nutritionis, quibus se satis reficiant, nisi sæpius ipsa sumant.*

Quæres 2. *Quinam excusentur a jejunio Ecclesiæ, ratione impotentiæ moralis?*

Resp. Omnes quibus jejunium affert grave incommodum, quia lex humana non obligat cum tanto incommodo. Hinc excusantur

1° Adolescentes qui vigesimum primum ætatis annum nondum expleverunt. Ratio Div. Thomæ[3] est, quia sunt in statu augmenti : et ibidem docet, esse tamen *conveniens*, ut etiam in hoc tempore se ad jejunandum exerceant plus vel minus, secundum modum suæ ætatis ; ad quod merito a parentibus et confessaris sunt inducendi.

2° Senes, ratione *magnæ debilitatis* propter quam sine magno incommodo jejunare non possunt.

Utrum vero excusentur *ratione senectutis* tantum, *duplex est sententia*, quarum *prima negat*. Ratio, quia videntur septuagenarii, imo et octogenarii bene valentes, qui tam commode jejunant, quam quinquagenarii. Quo pacto igitur illi reputarentur uti senes? Ita Bonacina, Layman, Filliucius, Charmes, etc.

[1] In *Manuali*, cap. 21, num. 16. — [2] 2 2, quæst. 147, art. 4. — [3] 2 2, quæst. 147, art. 4.

Secunda sententia probabilior *affirmat* de illis qui ad sexagesimum annum attigerunt; ratio, quia ipsa senectus est infirmitas maxima. Nam 1° hujusmodi senes, ob defectum caloris naturalis, non valent semel alimentum sufficiens sumere, sed egent cibo frequentiori. 2° Eorum vires semel amissæ, vel exhaustæ, sunt irreparabiles. Unde si quid roboris tunc ætatis esse videtur in senibus, apparens est potius et instabile, quam reale et constans, ut recte notat Gallenus[1]. 3° Insuper maximas generat anxietates inquisitio utrum sexagenarius sufficientes habeat necne vires ad jejunandum; nam jus et obligatio de sanitate tuenda non minus obligat, quam positivum jejunandi præceptum : ergo, etc. Ita S. Ligorius, Roncaglia et alii plurimi.

Dixi *attigerunt;* opus enim non est, ut annum sexagesimum compleverint, cum in favorabilibus, annus incœptus habeatur pro completo.

3° Illi qui ob jejunium gravi dolore capitis laborant. *Item probabiliter* qui magna noctis parte dormire nequeunt, nisi sumpta cœna; nam, etsi salvo jejunio, isti incommodo occurrere valeant, collatiunculam meridie sumendo, plenamque refectionem in vesperum differendo, ad id tamen *probabiliter* non tenentur, cum sit remedium extraordinarium, et sic durum, ut antiquæ, cira comestionis horam, disciplinæ fuerit derogatum. Ita Viva, Scavini et alii.

4° Milites sive in castris, sive in contuberniis; tum quia statis horis non possunt comedere, tum quia congruum pro jejunio cibum non habent. Ita fert consuetudo. Imo fere ubique milites dispensantur ab abstinentia carnium, etiam sabbatis.

5° Uxores quæ vel jejunare prohibentur a maritis, nisi prohibitio sit in contemptum Religionis aut Ecclesiæ; vel jejunando gravem incurrerent maritorum indignationem. *Item,* mariti qui jejunando nequeunt debitum uxori reddere, ut cum Layman, Lessio, Salmanticensibus, Viva et

[1] Lib. v *de Sanitate tuenda.*

aliis merito docet P. Concina, qui dicit, teste S. Ligor.[1], teneri virum precibus hortari conjugem ut a petendo desistat; si tamen hoc omitteret, non peccaret, saltem mortaliter. — Ratio est, quia potius est jus reddendi debitum positivo jejunandi præcepto.

Dixi *nequeunt reddere;* nam aliter esset : 1° si tantum redderetur minus potens ad redendum; cum enim jam satis opus præstare valeat, non tenetur illud plus curare cum sua spirituali jactura. 2° Si tantum evaderet impotens ad petendum, cum petere non sit necessitatis; nisi ex charitate teneatur petere, ad avertendum sui vel alterius damnum, v. gr. incontinentiæ periculum.

III. *Ratione laboris.*

Quæres 1. *Quinam excusentur ab Ecclesiastico jejunio ratione laboris?*

Resp. Excusantur, juxta Div. Thom.[2], illi omnes et soli qui opus vel iter pedibus aut aliter conficiunt, quo adeo defatigantur, ut simul cum jejunio laborare vel itinerari non possint, et quod pro tunc sit ita necessarium, *ut absque detrimento corporalis salutis, aut exterioris status, vel spiritualis vitæ non possit differri.*

Ratio ejusdem Div. Thomæ est, *quia non videtur fuisse intentio Ecclesiæ statuentis jejunia, ut per hoc impediret alias pias et magis necessarias causas.* Hinc

1° Excusantur a jejunio, ratione laboris, fabri ferrarii et lignarii, agricolæ, fossores, vinitores, aurigæ, bajuli, cursores, lapicidæ, figuli, textores, lanarii, fullones, nautæ, remigantes, percurrentes urbem ad merces vendendas, ac similiter laborantes per magnam diei partem ; *item,* qui per totum fere diem complures dapes compluribus præparant, typographi torculam tractantes, imo probabiliter et ipsos typos componentes, aut corrigentes, quia hic labor nimium corpori, stomacho et capiti defatigationem ingerit,

[1] Lib. III, num. 1034. — [2] 2 2, quæst. 147, art. 4, ad 3.

si expertis credere est. Isti omnes, inquam, excusantur iis quidem diebus quibus laborant, vel quibus ex præcedenti labore sunt plurimum defatigati, vel ad subsequentem laborem vires sunt servandæ vel reficiendæ.

2° Non excusantur omnes quorum labor non est gravis; quales sunt ancillæ lanam vel linum fuso torquentes, aut similia exercentes; pictores, barbitonsores, sartores, sutores, qui non suunt, sed solum materiam præparant; notarii, scribæ, etc., nisi propter debilitatem vel laborem singularem, artem suam exercere non valeant.

Hinc Alexander VII hanc num. 30 propositionem damnavit, ut pote nimis generalem : *Omnes officiales qui in Republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum jejunio.*

3° Non excusantur *per se*, qui equo vel curru iter agunt. Hinc Alexander VII damnavit istam proposit. 31 : *Excusantur absolute a præcepto jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, et etiamsi iter unius diei conficiant.* Excusantur autem *per accidens* cum, ob extraordinarium cursum ac defatigationem, non possint sine gravi incommodo jejunare, ut evenit cursoribus, aut æquitanti debilis valetudinis.

Nota. Quoad illos qui iter pedibus faciunt, non potest determinari numerus leucarum qui sufficit ad excusandum a jejunio; nam alii plus, alii minus fatigantur ex itinere, et viæ aliæ aliis sunt difficiliores. Hanc ergo determinationem remittimus conscientiæ iter agentis, et judicio prudentis confessarii.

4° Excusantur cantores, sive musici, qui jejunium observando vocem amitterent, nec possent suum officium exercere[1].

5° Magistri variarum scientiarum qui magno studio et labore indigent, non autem illi, qui scripto tradunt lectiones

[1] S. Ligor., lib. IV, num. 149.

jam prius ordinatas, et sæpius repetitas. *Item probabilius*, magistri grammaticæ, si per quatuor vel quinque horas lectiones tradant in die, ut recte docent Sanchez et Azor., contra Salmant.

6° Advocati, qui cum jejunio non possent satisfacere suis clientibus, propter studium quo indigent. Idem dicunt Salmanticenses de judicibus qui egent studio ad sententias ferendas, et Elbelius cum Bonacina, de medicis et confessariis qui magno indigent studio, ut muneri suo rite fungantur. Similiter dicendum de omnibus qui studiis operam navant, si laborem sustinere non valeant nisi crebro cibo sustineantur. Ratio horum omnium est, quia nihil refert utrum labor extenuans corporis sit an mentis.

Quæres 2. *An opifices divites, qui ex officio artes laboriosas exercent, teneantur diebus jejunii a laboribus suis abstinere?*

Resp. *Prima sententia* probabilis affirmat cum Div. Thoma, cum ipsi divites abstinere a laborando possint sine jactura gravi.

Secunda vero *sententia* communis *negat;* tum quia plurimum confert Reipublicæ, ne hujusmodi artifices suos intermittant labores ad tunc jejunandum, quia sic fert consuetudo et praxis quotidiana quam Ecclesiæ Prælati numquam improbarunt.

Nota. Qui laborem suscipit eo fine ut a jejunio liberetur, peccat quidem operando in fraudem legis, cum nemini liceat, dum manet legi subjectus, impedimentum ponere sine causa, quo lex observari nequeat; verumtamen excusatur a jejunio, postquam labore suscepto, graviter defatigatum se sentit, cum evaserit moraliter impos.

IV. *Ratione pietatis.*

Cum ex Div. Thoma supra citato, *non videatur fuisse intentio Ecclesiæ statuentis jejunia, ut per hoc impediret alias pias et magis necessarias causas,* sequitur omnes a jejunio

causa pietatis excusari, qui præstant talia pietatis opera, quæ præstantiora sunt et Deo gratiora quam jejunium, quocum moraliter consociari non possunt, licet hæc opera non ex officio vel obedientia, sed sponte suscipiant, si justa sit causa ea suscipiendi, et differi non possint. Nam Div. Thomas[1] eos eximit a jejunio, qui multum laborant, vel propter conservationem vitæ corporis, vel propter aliquid necessarium ad vitam spiritualem. Hinc

1° Excusantur qui pluribus infirmis inserviunt cum magno labore in hospitalibus aut monasteriis et communitatibus.

2° Peregrinantes ad loca sacra, si peregrinatio vertere debet in magnum Dei honorem, vel proximi ædificationem, vel ad magnam animæ peregrinantis utilitatem, vel quando quævis peregrinatio jam inchoata fuerit adveniente tempore jejunii.

3° Concionatores qui prædicant quotidie vel frequenter in Quadragesima. *Cæterum,* inquit S. Ligor., *decet quidem concionatores omnes, qui non solum verbo, sed etiam exemplo debent prædicare, ut, quantum fieri potest, ad ædificationem populorum, jejunia satagant observare, ut faciunt qui perfectionis amatores sunt*[2].

4° At confessarii non excusantur *per se,* sed tantum per accidens, propter scilicet extraordinarium laborem, v. gr. cum pluribus succedentibus diebus, per septem vel octo horas, confessiones excipere debent; vel cum ita sunt debiles, ut sine gravi incommodo, pœnitentium frequentiæ satisfacere nequeant[3]. Unde, pro coronide,

Nota 1. Duplicis generis est labor : alius scilicet, qui natura sua et *per se* excusat a jejunio; alius non per se, sed tantum *per accidens,* nempe, ob aliquam circumstantiam v. gr. gravitatis vel excessus laboris, qualis est labor judicis, medici, advocati, cantoris, professoris, et generaliter omnes artes liberales : quod semper præ oculis est

[1] Loco citato. — [2] Lib. IV, num. 149. — [3] S. Ligor., lib. IV, num. 1049.

habendum; nam, ubi labor *per se* excusat, in dubio præsumptio stat pro libertate; dum econtra, ubi labor excusat *per accidens*, præsumptio stat pro lege.

Nota 2. Si causa (non jejunandi), inquit Div. Thomas, sit evidens, per seipsum licite potest homo observantiam præterire, præsertim consuetudine interveniente, vel si non potest de facili recursus ad superiorem haberi; si vero causa sit dubia, debet aliquis ad superiorem recurrere, qui habet potestatem in talibus dispensandi[1].

APPENDIX

DE REGULIS JURIS.

BONIFACIUS VIII. (Ann. 1298 Romæ.)

REGULA I.

Beneficium Ecclesiasticum non potest licite sine institutione canonica obtineri.

Idem. REGULA II.

Possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit.

Idem. REGULA III.

Sine possessione præscriptio non procedit.

Idem. REGULA IV.

Peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum.

Idem. REGULA V.

Peccati venia non datur nisi correcto.

Idem. REGULA VI.

Nemo potest ad impossibile obligari.

Idem. REGULA VII.

Privilegium personale personam sequitur et extinguitur cum persona.

[1] S. Ligor., lib. IV, num. 1049.

Idem. Regula VIII.

Semel malus, semper præsumitur esse malus.

Idem. Regula IX.

Ratum quis habere non potest, quod ipsius nomine non est gestum.

Idem. Regula X.

Ratihabitionem retrotrahi et mandato non est dubium comparari.

Idem. Regula XI.

Cum sint partium jura obscura, reo favendum est potius quam actori.

Idem. Regula XII.

In judiciis non est acceptio personarum habenda.

Idem. Regula XIII.

Ignorantia facti, non juris, excusat.

Idem. Regula XIV.

Cum quis in jus succedit alterius, justam ignorantiæ causam censetur habere.

Idem. Regula XV.

Odia restringi, et favores convenit ampliari.

Idem. Regula XVI.

Decet concessum a Principe beneficium esse mansurum.

Idem. Regula XVII.

Indultum a jure beneficium non est alicui auferendum.

Idem. Regula XVIII.

Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit.

Idem. Regula XIX.

Non est sine culpa, qui rei quæ ad eum non pertinet se immiscet.

Idem. Regula XX.

Nullus pluribus uti defensionibus prohibetur.

Idem. REGULA XXI.

Quod semel placuit, amplius displicere non potest.

Idem. REGULA XXII.

Non debet aliquis alterius odio prægravari.

Idem. REGULA XXIII.

Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus.

Idem. REGULA XXIV.

Quod quis mandato facit judicis, dolo facere non videtur, cum habeat parere necesse.

Idem. REGULA XXV.

Mora sua cuilibet est nociva.

Idem. REGULA XXVI.

Ea quæ fiunt a judice, si ad ejus non spectant officium, viribus non subsistunt.

Idem. REGULA XXVII.

Scienti et consentienti non fit injuria neque dolus.

Idem. REGULA XXVIII.

Quæ a jure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda.

Idem. REGULA XXIX.

Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari.

Idem. REGULA XXX.

In obscuris minimum est sequendum.

Idem. REGULA XXXI.

Eum qui certus est, certiorari ulterius non oportet.

Idem. REGULA XXXII.

Non licet actori, quod reo licitum non existit.

Idem. REGULA XXXIII.

Mutare consilium quis non potest in alterius detrimentum.

Idem. REGULA XXXIV.

Generi per speciem derogatur.

Idem. REGULA XXXV.

Plus semper in se continet, quod est minus.

Idem. REGULA XXXVI.

Pro possessore habetur, qui dolo desiit possidere.

Idem. REGULA XXXVII.

Utile non debet per inutile vitiari.

Idem. REGULA XXXVIII.

Ex eo non debet quis fructum consequi, quod nisus extitit impugnare.

Idem. REGULA XXXIX.

Cum quid prohibetur, prohibentur omnia quæ sequuntur ex illo.

Idem. REGULA XL.

Pluralis locutio duorum numero est contenta.

Idem. REGULA XLI.

Imputari non debet ei per quem non stat, si non faciat, quod per eum fuerat faciendum.

Idem. REGULA XLII.

Accessorium naturam sequi congruit principalis.

Idem. REGULA XLIII.

Qui tacet, consentire videtur.

Idem. REGULA XLIV.

Is qui tacet non fatetur; sed nec utique negare videtur.

Idem. Regula XLV.

Inspicimus in obscuris quod est verisimilius, vel quod plurumque fieri consuevit.

Idem. Regula XLVI.

Is qui in jus succedit alterius, eo jure, quo ille, uti debebit.

Idem. Regula XLVII.

Præsumitur ignorantia ubi scientia non probatur.

Idem. Regula XLVIII.

Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria vel jactura.

Idem. Regula XLIX.

In pœnis benignior est interpretatio facienda.

Idem. Regula L.

Actus legitimi conditionem non recipiunt neque diem.

Idem. Regula LI.

Semel Deo dicatum, non est ad usus humanos ulterius transferendum.

Idem. Regula LII.

Non præstat impedimentum quod de jure non sortitur effectum.

Idem. Regula LIII.

Cui licet quod est plus, licet utique quod est minus.

Idem. Regula LIV.

Qui prior est tempore, prior est jure.

Idem. Regula LV.

Qui sentit onus, sentire debet commodum, et e contra.

Idem. Regula LVI.

In re communi potior est conditio prohibentis.

Idem. Regula LVII.

Contra eum qui legem potuit dicere apertius, est interpretatio facienda.

Idem. Regula LVIII.

Non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum.

Idem. Regula LIX.

Dolo facit, qui petit quod restituere oportet eundem.

Idem. Regula LX.

Non est in mora qui potest exceptione legitima se tueri.

Idem Regula LXI.

Quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum.

Idem. Regula LXII.

Nullus ex consilio, dummodo fraudulentum non fuerit, obligatur.

Idem. Regula LXIII.

Exceptionem objiciens non videtur de intentione adversarii confiteri.

Idem. Regula LXIV.

Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi.

Idem. Regula LXV.

In pari delicto vel causa, potior est conditio possidentis.

Idem. Regula LXVI.

Cum non stat per eum ad quem pertinet, quo minus conditio impleatur, haberi debet perinde ac si impleta fuisset.

Idem. Regula LXVII.

Quod alicui suo non licet nomine, nec alieno licebit.

Idem. Regula LXVIII.

Potest quis per alium, quod potest facere per seipsum.

Idem. REGULA LXIX.

In malis promissis fidem non expedit observari.

Idem. REGULA LXX.

In alternativis electoris est electio, et sufficit alterum adimpleri.

Idem. REGULA LXXI.

Qui ad agendum admittitur, est ad excipiendum multo magis admittendus.

Idem. REGULA LXXII.

Qui facit per alium, est perinde ac si faciat per seipsum.

Idem. REGULA LXXIII.

Factum legitime retractari non debet, licet casus postea eveniat a quo non potuit inchoari.

Idem. REGULA LXXIV.

Quod alicui gratiose conceditur, trahi non debet ab aliis in exemplum.

Idem. REGULA LXXV.

Frustra sibi fidem quis postulat ab eo servari, cui fidem a se præstitam servare recusat.

Idem. REGULA LXXVI.

Delictum personæ non debet in detrimentum Ecclesiæ redundare.

Idem. REGULA LXXVII.

Rationi congruit ut succedat in onere, qui substituitur in honore.

Idem. REGULA LXXVIII.

In argumentum trahi nequeunt, quæ propter necessitatem aliquando sunt concessa.

Idem. REGULA LXXIX.

Nemo potest plus juris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur.

Idem. REGULA LXXX.

In toto partem non est dubium contineri.

Idem. REGULA LXXXI.

In generali concessione non veniunt ea quæ quis non esset veresimiliter in specie concessurus.

Idem. REGULA LXXXII.

Qui contra jura mercatur, bonam fidem præsumitur non habere.

Idem. REGULA LXXXIII.

Bona fides non patitur ut semel exactum iterum exigatur.

Idem. REGULA LXXXIV.

Cum quid una via prohibetur alicui, ad id alia non debet admitti.

Idem. REGULA LXXXV.

Contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur.

Idem. REGULA LXXXVI.

Damnum quod quis sua culpa sentit, sibi debet, non aliis, imputare.

Idem. REGULA LXXXVII.

Infamibus portæ non pateant dignitatum.

Idem. REGULA LXXXVIII.

Certum est quod is committit in legem, qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem.

Datæ Romæ apud Sanctum Petrum, V nonas martii, Pontificatus nostri anno quarto (1298).

FINIS TOMI QUARTI.

INDEX ANALYTICUS.

TRACTATUS DE ACTIBUS HUMANIS.

Nota : (Actus qui ab homine fiunt, procedunt vel a parte *inferiori* seu *animali,* et vocantur *animales;* vel a parte *superiori* seu *rationali,* et vocantur latissimo sensu *actus humani,* qui, si homini, ut rationali, conveniant *materialiter* tantum, vocantur *actus hominis;* si autem et *formaliter,* dicuntur proprie *actus humani.*)

Dissertatio I. De actibus humanis secundum *esse physicum.* . . 3

Caput I. De fine actuum humanorum. 3

Nota : (Finis est id in cujus gratia aliquid fit, et dividitur : 1° in finem *qui, cui* et *quo;* 2° in finem *operis* et finem *operantis;* 3° in finem *ultimum* et finem *non ultimum.*)

Quæstio 1. De fine hominis in communi. 4

Articulus 1. An homo semper agat propter finem. 5

Nota : (Hic tantum agitur de actibus deliberatis.)

Conclusio. Homo in omnibus suis actionibus agit propter finem. 5

(Nam : 1° omnes actus humani pendent et derivantur a fine, et consequenter fiunt propter finem, cum finis sit principium in operabilibus; 2° objectum finale voluntatis est bonum, cujus fruitio non sistit nisi in fine.)

Articulus 2. Utrum omnia agant propter finem. 6

Nota : (Finis apprehendi potest duplici modo : *materialiter* et *formaliter.*)

Conclusio. Omnia agentia agunt aliquo sensu propter finem; sed proprium est naturæ rationali agere propter finem formaliter et movendo se; brutorum autem agere materialiter et ut ab alio mota. 7

(Constat 1 p.; nam inter omnes causas, causa finalis est prima, quæ si subtrahatur, necesse est alias subtrahi, et sic nullæ causæ causabunt. — 2 p.; nam homo apprehendit proportionem mediorum ad finem, quod est agere formaliter et movendo se. — 3 p.; nam illam proportionem non apprehendunt bruta.)

Quæres : An actus humani specificentur a fine? — Sic. . . . 8

Articulus 3. Utrum malum possit finalizare, id est, habere rationem finis. 8

Nota : (Bonum est duplex : *verum* et *apparens.* Unde)

Conclusio. Sola bonitas vera vel apparens habet rationem finis; malum autem, sub ratione mali, non potest habere rationem finis. 8

(Constat : 1° ex S. Dionys.; 2° ex natura mali, quod est *id quod omnia fugiunt;* 3° quia illud solum habet rationem finis, quod est appetibile.)

Quæstio 2. De fine ultimo hominis in communi. 10

Articulus 1. De effectibus finis. 10

Nota : (Effectus finis sunt actus quibus in finem tenditur.)

Quæres 1. Quot et quinam sint effectus finis? — Octo, quorum tres nempe : *volitio, intentio* et *fruitio* versantur circa finem; et quinque, nempe : *consilium, consensus, electio, imperium* et *usus* versantur circa media ad finem. 10

Quæres 2. Quem ordinem inter se servent hi omnes actus? . 12

§ 1. De electione. 13

Quæres 1. An possit voluntas e duobus mediis eligere minus idoneum, relicto magis idoneo? — Sic, cum in tali casu neutrum proponatur ut necessarium. 13

Quæres 2. Quid requiritur ut electio sit recta et honesta? — Ut eligatur medium magis idoneum ad finem. 14

Quæres 3. Utrum, posita efficaci et absoluta finis intentione, electio sit libera, cum unicum occurrit medium ad finem obtinendum? — Non est libera in se, sed tantum in causa. 15

§ 2. De fruitione. 16

Quæres 1. In quo actu consistat fruitio proprie dicta? — In delectatione causata ex amore et præsentia rei amatæ. . . . 16

Quæres 2. An fruitio sit semper circa finem? — Sic. . . . 17

Articulus 2. An quidquid deliberate vult homo, illud velit propter finem ultimum. 18

Nota 1. (Quadrupliciter potest homo agere propter finem : 1° actualiter formaliter; 2° virtualiter; 3° interpretative; 4° habitualiter. Unde quadruplex intentio : 1° intentio *actualis formalis;* 2° *virtualis* quæ est vel *indirecta virtualis,* vel *directa virtualis;* 3° *interpretativa;* 4° *habitualis.*)

Nota 2. (Finis ultimus considerari potest vel *confuse,* vel *distincte* et *determinate.*)

Conclusio. Quidquid homo deliberate vult, illud vult implicite saltem et virtualiter propter ultimum finem confuse et in communi spectatum, non autem spectatum in particulari et determinate. 20

(Constat 1 p.; nam : 1° homo semper operatur ut bene sibi sit, quod certe pertinet ad ultimum finem; 2° sic S. August. — 2 p.; nam multa vult homo et facit non propter Deum, qui tamen est finis ultimus determinate sumptus.)

Objectiones. 21

ARTICULUS 3. Utrum homo possit simul intendere plures fines ultimas. 23
Nota : (Finis ultimus est *adæquatus* vel *inadæquatus*.)
Conclusio. Homo non potest agere simul et semel propter plures fines ultimos adæquatos et totales. 24
(Nam : 1° ultimus finis adæquatus et totalis debet *totaliter* dominari voluntati; atqui, etc.; 2° de ratione finis ultimi totalis est quod omnia ad ipsum, ipse vero ad nihil aliud referatur.)
QUÆSTIO. 3. De vera hominis beatitudine. 25
Quæres 1. Quid et quotuplex sit beatitudo? 26
(Resp. Beatitudo alia est *viæ*, quæ est status omnium bonorum aggregatione dotatus, sed non plene perfectus; alia *patriæ*, quæ est status omnium bonorum aggregatione perfectus; alia *objectiva*, quæ est ipsum objectum beatitudinis; alia *formalis*, quæ est actio qua objectum beatitudinis possidetur.)
Quæres 2. Quodnam sit objectum beatitudinis, seu beatitudo objectiva hominis? — Solus Deus. 26
CAPUT II. De natura actuum humanorum. 27
Nota : (Actus qui ab homine procedunt, sunt vel *actus hominis* seu *physici*, vel *actus humani* seu *morales*, qui sunt vel *eliciti*, vel *imperati*.
ARTICULUS 1. De cognitione et potentiis cognoscitivis. 28
Quæres 1. Quid sit cognitio? — Prout hic accipitur, est scientia seu notitia certa, vel intelligentia eorum in quibus sistit moralitas actionis nostræ. 28
Quæres 2. An dubium sit cognitio? — Non. 28
Quæres 3. Quid sit intellectus? — Est potentia perceptiva veritatis seu entis *sub ratione veri*, supra se reflexiva. 28
Quæres 4. Quid sit voluntas? — Est appetitus quidam rationalis, vel inclinatio in bonum, consequens intellectum, id est, in bonum per rationem apprehensum. 29
ARTICULUS 2. De voluntario. 29
Quæres 1. Quid sit voluntarium? — Est id quod est a principio intrinseco, cum cognitione singulorum in quibus est actio. 29
Quæres 2. Quotuplex sit voluntarium? — Est : 1° *necessarium* vel *liberum*; 2° *perfectum* vel *imperfectum*; 3° *positivum* vel *negativum*; 4° *expressum* vel *tacitum*; 5° *directum* seu *in se* vel *indirectum* seu *in alio*. 30
Quæres 3. Quandonam taciturnitas consensui æquivalere censeatur? 32
(Resp. Id ex duplici capite cognoscitur, nempe : 1° dum aliquid favorabile proponitur; 2° dum qui tacet, loqui tenetur.)
Quæres 4. Quotuplex sit voluntarium directum? — Triplex, nempe: *actuale, virtuale* et *habituale*. 33
Quæres 5. Circa voluntarium indirectum, quot requirantur, ut effec-

tus qui ex aliqua causa sequitur, sit voluntarius et moralis, id est, ut ad demeritum imputetur? — Requiruntur tria, nempe: 1° ut operans prævideat, aut prævidere possit et debeat effectum; 2° ut operans effectum hunc impedire possit ejus causam auferendo; 3° ut operans hanc causam auferre teneatur, aut saltem nullum jus habeat eam ponendi. 34

Quæres 6. Utrum voluntarium perfectum sit idem ac libertas? — Non. 35

Articulus 3. De voluntario libero, seu de libertate. 36

Nota: (1° Duplex est radix libertatis, alia *extrinseca,* alia *intrinseca* quæ est vel *prima* et *remota,* vel *secunda* et *propinquior,* vel *tertia* et *proxima.* — 2° Liberum arbitrium est *illud quod est causa sui;* libertas autem arbitrii est *vis electiva mediorum, servato ordine finis.* — 3° Quadruplex est libertas, nempe: libertas *a peccato,* libertas *a miseria,* libertas *a coactione* seu *spontaneitatis,* et libertas *a necessitate simplici* quæ etiam *electionis, indifferentiæ* et *arbitrii* dicitur, et definitur: potentia activa quæ, positis omnibus ad agendum prærequisitis, potest ex se agere vel non agere, aut hoc agere vel ejus contrarium. — 4° Libertati opponitur necessitas quæ est determinatio ad unum, et dividitur in *antecedentem* seu *absolutam,* et *consequentem* seu *conditionatam;* in necessitatem *specificationis* et *exercitii;* in *physicam* et *moralem.* — 5° Apprime nota *totam et integram* servari libertatem liberi arbitrii cum sola indifferentia contradictionis, *dempta indifferentia contrarietatis ad malum.* — 6° Subjectum libertatis esse vel *mediatum,* et est omnis et sola creatura rationalis, vel *immediatum,* et est sola voluntas. — 7° Multi circa humanam libertatem prodiere errores, sive ex Veteribus, v. gr. Stoicis, Manichæis; sive ex Novatoribus, v. gr. Luther., Calv., Jansen., etc. : contra quos)

Conclusio 1. Ad liberum arbitrium non sufficit libertas a coactione, sed requiritur libertas a simplici necessitate. — *Est contra Jansenium.* 42

Constat: 1° ex damnatione contrariæ propositionis; 2° quia liberum arbitrium, ut pote *vis electiva,* non potest subsistere cum antecedenti necessitate; 3° quia ad libertatem arbitrii essentialiter requiritur ut agens sit dominus actuum suorum.)

Conclusio 2. Ad merendum vel demerendum in præsenti statu naturæ lapsæ, requiritur libertas indifferentiæ, seu a simplici necessitate, nec sufficit libertas a coactione. — *Est de fide,* contra Jansenium. 44

(Nam : 1° Damnatæ sunt proposit. contrariæ Jansenii et Baii; 2° Eccl.: *Beatus qui potuit trangredi,* etc.; 3° sic SS. Patres,

v. gr. August. et Thom.; 4° ut quis mereatur vel demereatur, debet habere dominium suæ actionis.)

Conclusio 3. Homo lapsus est liber ad bonum et malum, non solum libertate a coactione, sed etiam necessitate simplici et antecedente. — Est contra Jansenium, Lutherum et Calvinum. 46

(Nam : 1° Genes. : *Nonne si bene egeris,...* etc.; Eccl. : *Deus ab initio;...* Deuter. : *Testes invoco,...* etc.; 2° sic S. August.; 3° hoc definivit Concil. Trident.; 4° *confirm.* ex præcedenti conclusione).

QUÆSTIO 2. De his quæ destruunt actum humanum, seu de involuntario et ejus causis. 48

Nota : (Involuntarium provenit vel a principio intrinseco vel extrinseco, et est tale vel *simpliciter* vel *secundum quid*).

ARTICULUS 1. An et quando violentia causet involuntarium. . . 49

Nota : (*Violentum,* sumptum pro *coacto,* est id quod est a principio extrinseco, in contrarium resistente passo).

Conclusio 1. Violentia absoluta voluntarium omnino tollit (quia cum voluntas omnino resistit, non remanet in ea ratio voluntarii); violentia vero secundum quid minuit duntaxat (quia tunc in voluntate remanet ratio voluntarii.). 50

Conclusio 2. Voluntas cogi non potest quoad actus elicitos (quia sunt essentialiter voluntarii), bene vero quod actus imperatos (ut experientia constat). 51

ARTICULUS 2. An et quomodo metus causet involuntarium. . . 52

Nota : (1° Metus definitur : *trepidatio mentis causa imminentis vel futuri periculi ;* — 2° aliud est aliquid fieri *ex metu,* et aliud fieri *cum metu ;* — 3° hic agitur de iis quæ fiunt ex metu gravi. Unde)

Conclusio. Quæ fiunt ex metu, sunt, *per se loquendo,* simpliciter et absolute voluntaria, et involuntaria secundum quid, *si fiant ex metu naturali.* 53

(Nam : 1° quæ fiunt ex metu, sunt volita efficaciter et absolute, nolita vero inefficaciter et conditionate tantum; 2° illud est simpliciter voluntarium, quod hic et nunc volumus cum suis circumstantiis individuantibus.)

ARTICULUS 3. An et quomodo concupiscentia causet involuntarium. 55

Nota : (1° Concupiscentia hic sumitur pro qualibet passione, et ut sic definitur : motus appetitus sensitivi bonum sensibile prosequens, vel malum sensibile fugiens ; — 2° est *antecedens* vel *consequens.*)

Conclusio 1. Concupiscentia antecedens ex una parte auget et ex altera minuit voluntarium. (Nam auget propensionem voluntatis in objectum, minuit vero cognitionem eorum in quibus est actio.). 56

Conclusio 2. Concupiscentia antecedens semper minuit (cum sem-

per minuat indifferentiam, fortiusque determinet ad unam partem contradictionis), et aliquando tollit liberum et peccatum (quia aliquando aufert usum rationis). 57
Conclusio 3. Concupiscentia consequens auget voluntarium et liberum, saltem moraliter, et consequenter aggravat peccatum. — Ratio, quia concupiscentia consequens est ea quam voluntas vult et imperat. 59
ARTICULUS 4. De ignorantia. 60
Nota : (Ignorantia stricte est *carentia cognitionis debitæ*, et est *juris* et *facti*, *vincibilis* et *invincibilis*, *antecedens*, *concomitans* et *consequens*, quæ est *directe* vel *indirecte* volita.)
§ 1. Circa quæ detur ignorantia invincibilis. 61
Nota : (Hic igitur de sola ignorantia legis naturalis cujus præcepta sunt *prima* seu *generalissima*, *secunda* et *remota*.)
Conclusio 1. Non datur ignorantia invincibilis juris naturalis circa prima principia, nec circa proximas eorum conclusiones; (nam illud invincibiliter non ignoratur, cujus cognitio tam evidens est, ut sine difficultate haberi possit.) 62
Objectiones. 62
Conclusio 2. Datur ignorantia invincibilis juris naturalis quoad conclusiones a principiis magis remotas. 64
(Nam : 1° experientia constat Doctores doctissimos et sanctissimos inter se dissidere etiam circa res ad jus naturale pertinentes, ut v. gr. S. Thom. et Div. Bonav.; 2° *confirm.* ex S. Anton.)
Objectiones. 65
§ 2. An et quomodo ignorantia causet involuntarium. . . . 69
Conclusio 1. Ignorantia antecedens et invincibilis, etiam juris naturalis, causat involuntarium simpliciter, et ab omni culpa eximit. 69
(Constat 1 p.; nam quod fit ex ignorantia supradicta, fit absque cognitione singulorum in quibus est actio, et contra voluntatis propensionem, ac proinde est involuntarium simpliciter; — 2 p.; nam 1° nullum est peccatum, nisi sit voluntarium; 2° contrariam proposit. damnavit Alexander VIII; 3° alioquin, Deus impossibilia præciperet, quod damnavit Tridentinum.)
Objectiones. 70
Conclusio 2. Ignorantia consequens affectata voluntarium et peccatum auget; ignorantia vero non affectata facit opus simpliciter voluntarium et involuntarium secundum quid; unde minuit peccatum. 76
(Prob. 1 p.; nam ignorantia consequens procedit ex majori deliberatione et affectu liberius peccandi; — 2 p.; nam qui vult ignorantiam quæ est causa peccati, vult etiam peccatum; — 3 p.; quia quod fit contra aliquam voluntatis inclinationem, est involuntarium secundum quid.)

Conclusio 3. Ignorantia concomitans nec voluntarium nec involuntarium facit, ideoque nec accusat, nec excusat. — Ratio, quia nihil est voluntarium nisi cognitum, nec involuntarium quod fit secundum voluntatis inclinationem. 77

DISSERTATIO II. De actibus humanis secundum *esse morale*, seu de moralitate actuum humanorum. 79

Nota : (Actus moralis recte definiri potest : *Actus humanus conformis vel difformis regulis morum, aut ab eis permissus;* unde sequitur moralitatem non consistere in sola libertate.)

CAPUT I. De speciebus moralitatis. 80

Nota : (Tres sunt moralitatis species, nempe : *indifferentia, bonitas* et *malitia.*)

ARTICULUS 1. Utrum detur actus humanus indifferens, id est, qui nec bonus, nec malus sit moraliter. 80

Nota : (1° Actus deliberatus, de quo solo hic, potest considerari vel *in specie,* vel *in individuo:* — 2° certum est de fide non omnes actus humanos esse quoad suam speciem vel objectum indifferentes.)

Conclusio 1. Dantur actus humani indifferentes in specie. . . 81

(Nam varia sunt objecta plane indifferentia ad bonitatem vel malitiam; porro, tales sunt actus in specie spectati, qualia objecta in quæ tendunt.)

Conclusio 2. Nulli dantur actus indifferentes in individuo. . 82

(Nam : 1° actus humanus sumptus in individuo, præter objectum, includit finem quem operans sibi proponit; atqui nullus actus spectatus secundum finem quem operans sibi proponit, est indifferens, cum finis sit semper malus vel bonus; — 2° quia omnis actio debito fine carens, est otiosa ac proinde mala.)

Objectiones. 83

ARTICULUS 2. Utrum actus externus interni bonitatem vel malitiam augeat, ita ut melior sit actio illius qui eleemosynam dat de facto, quam ejus qui eam dare vult et non potest, defectu facultatis vel occasionis. 89

Conclusio. Actus externus *per se* non auget bonitatem aut malitiam actus interni efficacis, sed auget *per accidens.* 89

(Constat 1 p. : 1° quia alias, voluntas efficax bene vel male agendi nunquam reputaretur pro facto; 2° illud quod *per se* est indifferens, non auget *per se* bonitatem vel malitiam actus interni. — 2 p., nam actus externus *per accidens* potest actum internum reddere intensiorem aut diuturniorem.)

Objectiones. 90

CAPUT II. De moralitatis principiis. 92

Nota : (Principia moralitatis sunt ea quæ actum humanum reddunt bonum, malum aut indifferentem, et sunt *objectum, finis* et *circumstantiæ.*)

ARTICULUS 1. An et quomodo actus humanus moralitatem desumat ex objecto. 92

Nota : (1° Objectum hic stricte sumitur pro omni re aut persona quæ primo et per se attingitur ab actu, et considerari potest vel secundum *esse physicum*, vel secundum *esse morale* : — 2° ut sit principium moralitatis, objectum esse debet de se bonum vel malum.)

Conclusio. Ab objecto secundum esse morale spectato desumitur specifica actuum humanorum moralitas (quia per objectum a se invicem differunt), et quidem primaria (cum sine illa actus humanus non possit concipi.). 93

ARTICULUS 2. An et quomodo actus humanus moralitatem desumat a fine operandi. 94

Nota : (Duplex est finis : *intrinsecus*, seu *operis*, et *extrinsecus*, seu *operantis.*)

Conclusio. Moralitas actuum humanorum desumitur etiam a fine operantis (cum ab eo actus ex indifferente bonus vel malus fiat). Sed 94

Quæres : Utrum actus ad finem extrinsecum ordinatus desumat moralitatem specificam et essentialem a fine extrinseco? . 95

(Resp. Actus a fine extrinseco imperatus, spectatus reduplicative ut imperatus, essentialem et specificam moralitatem desumit a fine operantis ; spectatus vero ut elicitus, eamdem desumit ab objecto.)

ARTICULUS 3. An et quomodo actus humanus moralitatem desumat ex circumstantiis 96

Nota : (1° Circumstantia actus definitur : accidens quoddam moraliter afficiens actum humanum jam constitutum in suo esse tum physico, tum morali. — 2° Alia est *formalis*, alia *objectiva*).

Conclusio. Moralitas actuum humanorum desumitur etiam a circumstantiis ; (subjacent enim regulis morum.). 98

Quæres 1. Quamnam moralitatem actibus humanis circumstantiæ conferunt? 98

Nota : (Circumstantiæ speciem mutant, aggravant vel minuunt.)

(Resp. Circumstantia mutans speciem, non vero circumstantia aggravans speciem, confert actui humano moralitatem specie diversam a moralitate quæ provenit ex objecto.)

Quæres 2. Quandonam circumstantia speciem mutet? — Ad hoc dignoscendum duplex traditur regula. 99

Quæres 3. Utrum circumstantiæ debeant esse cognitæ et volitæ, ut ad peccatum imputentur? — Sic, quoad objectivas. . . 100

Quæres 4. Quot sint circumstantiæ actuum humanorum in particulari, et quomodo ab ipsis suam moralitatem desumant? — Sunt septem hoc versu contentæ :

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando. 101

CAPUT III. De affectionibus moralitatis. 103
Nota : (1° Præcipua moralitatis affectio est ejus multiplicatio in eodem actu; 2° idem caput moralitatis, v. gr. finis, multiplicem moralitatem constituere potest, si sit multiplex.)
Quæres 1. An idem actus possit simul habere duplicem bonitatem vel duplicem malitiam : unam ex objecto, alteram ex fine ? — Sic *probabilius.* 103
Quæres 2. An idem actus possit esse simul bonus et malus ex eodem capite, v. gr. duobus finibus quorum unus est bonus et alter malus ? — Distinguendum. 104
Quæres 3. An actus ex objecto malus in finem bonum relatus, desinet esse malus ? — Est simpliciter malus *in specie,* et saltem inadæquate bonus *in individuo* et probabilius meritorium. 105
Objectiones. 106
Quæres 4. Utrum intentio boni finis minuat malitiam actus mali ex objecto, quando objectum malum ut tale deprenditur ? — Sic, *per se.* 108
Quæres 5. An unus idemque actus, v. gr. eleemosyna propter vanam gloriam, possit esse bonus ex objecto bono, et malus ex fine malo ? — Non, sed est simpliciter malus. 108
Quæres 6. An circumstantia veniaiter mala, *actui bono adveniens,* totam ejus bonitatem auferat et meritum ? — Non. . . 110
CAPUT IV. De regulis moralitatis. 111
Nota : (1° Duplex est regula moralitatis actus humani : alia *primaria,* alia *secundaria* quæ, si *interna,* est *conscientia;* si *externa,* est *lex.* — 2° Duplex est in Deo volitum, *materiale,* seu *objectum* quod Deus vult, et *formale,* seu *motivum* quo vult objectum. — 3° Voluntas creata potest conformari voluntati divinæ : 1° *in volito materiali tantum, in volito formali tantum, in volito materiali et formali simul;* 2° *positive* et *negative.*)
Conclusio 1. Tenemur voluntatem nostram voluntati divinæ, tam in volito materiali quam in formali, conformare positive dum agitur de præcepto, negative vero dum agitur de consilio. 112
Conclusio 2. Semper in omnibus tenemur negative voluntatem nostram voluntati divinæ conformare in volito formali (quia non possumus non approbare modum agendi in Deo æquissimum; non tamen semper in volito materiali (quia multa sunt a Deo volita, quæ non possumus velle). 112
APPENDIX DE PASSIONIBUS. 114
CAPUT I. De passionibus in communi. 114
ARTICULUS 1. De natura et divisione passionum. 114
Quæres 1. Quid sit passio ? — Prout hic sumitur, definitur : *Motus appetitus sensitivi ex imaginatione boni vel mali cum transmutatione corporali.* 114

Quæres 2. Quomodo dividuntur passiones? — Cum sint actus appetitus sensitivi, eodem modo dividuntur quo et ipse appetitus qui est duplex : *concupiscibilis* et *irascibilis*. 115
Quæres 3. Quot sunt passiones? — *Undecim*, nempe : sex ex appetitu concupiscibili, scilicet *amor* et *odium*, *desiderium* et *fuga*, *gaudium* et *tristitia*; et quinque ex appetitu irascibili, *spes* nempe et *desperatio*, *audacia* et *timor*, et *ira* quæ non habet contrarium. 117
Articulus 2. De contrarietate et effectibus passionum. . . . 118
Nota : (Per contrarietatem intelligitur passionum differentia ab invicem. Unde)
Quæres 1. Quomodo contrariantur passiones inter se? — Passiones *concupiscibilis* inter se contrariantur secundum objecta opposita; passiones vero *irrascibilis*, præter iram (quia non habet contrarium), secundum accessum vel recessum ab eodem objecto). 118
Quæres 2. An passiones possint esse bonæ vel malæ? — Sic, si considerentur ut subjectæ rationi et voluntati. 119
Quæres 3. An passio, dum rationi et voluntati cooperatur, diminuat vel augeat bonitatem aut malitiam actus moralis? . . 120
Caput II. De passionibus in particulari. 121
Articulus 1. De passionibus appetitus concupiscibilis. . . . 121
§ 1. De amore. 121
Quæres 1. Quid sit amor? — Est complacentia boni, seu propensio in bonum secundum se, abstrahendo a præsente vel absente 121
Quæres 2. Quomodo dividatur amor? — In *naturalem*, *sensitivum* et *rationalem*. 122
Quæres 3. Quænam sint causæ amoris? — Tres, nempe : *bonum*, *cognitio* et *similitudo*. 122
Quæres 4. Quinam sint effectus amoris? — Sunt octo. . . 124
§ 2. De odio. 124
Quæres 1. Quid et unde sit odium? — Est aversio a malo, qua tali, et causatur ex amore. 124
Quæres 2. An odium sit fortius amore? — Non, generatim. . 125
§ 3. De desiderio et fuga. 125
Quæres 1. Quid sint desiderium et fuga? — Desiderium est affectus appetitus tendens in bonum absens, et fuga, aversio a malo futuro. 125
Quæres 2. An desiderium possit esse infinitum? — Sic, si agitur de desiderio rationali. 125
§ 4. De delectatione. 126
Quæres 1. Quid sit delectatio? — Est quies appetitus in bono possesso. 126
Quæres 2. Quænam sint causæ delectationis? — Quinque, nempe :

ipsa *operatio, motus, spes futuri, memoria præteriti* et *similitudo*. 127
Quæres 3. Quinam sint effectus delectationis? — Sunt quatuor. 128
§ 5. De tristitia. 128
Quæres 1. Quid sit tristitia? — Est affectus appetitus, causatus ex apprehensione mali præsentis. 128
Quæres 2. Quænam sint remedia tristitiæ? — Sunt quinque. 128
Articulus 2. De passionibus appetitus irascibilis. 129
§ 1. De spe et desperatione 129
Quæres : Quid sint spes et desperatio? — Spes est motus appetitus tendens in bonum futurum, difficile et arduum, adeptu tamen possibile ; desperatio autem, motus recedens a bono arduo, adeptu impossibili, saltem moraliter. 129
§ 2. De audacia. 130
Quæres : Quid sit audacia? — Est motus quo appetitus insurgit adversus malum terribile imminens, ad illud fugandum. 130
§ 3. De timore. 130
Quæres : Quid sit timor? — Est motus appetitus refugiens malum futurum, arduum, imminens, cui difficile potest resisti. 130
§ 4. De ira. 131
Quæres : Quid sit ira? — Est appetitus vindictæ cum fervore sanguinis circa cor. 131

TRACTATUS DE CONSCIENTIA.

Caput 1. De conscientiæ natura, vi obligatoria et divisione. . . 133
Quæres 1. Quid sit conscientia? — Conscientia, (a qua differt synderesis tanquam habitus ab actu), si consideretur quoad nomen, idem est ac *scientia cordis*, vel *scientia concludens*, vel *cum alio scientia ;* si moraliter, definitur : actus intellectus practice dictans quid in particulari sit faciendum vel omittendum. 133
Quæres 2. An conscientia habeat vim obligandi? — Sic. . . 135
Quæres 3. An plus obliget conscientia, quam superioris præceptum? — Sic. 135
Quæres 4. Quomodo dividatur conscientia? 136
(Resp. 1° Ratione temporis, dividitur : in *antecedentem* et *consequentem ;* 2° ratione obligationis legis quam divulgat, in *obligantem, consulentem* et *permittentem ;* 3° ratione objecti et subjecti, in *veram, erroneam* et *perplexam, scrupulosam* et *latam, certam* et *dubiam, probabilem* et *improbabilem*. Unde)
Caput II. De conscientia vera, erronea et perplexa. 137
Quæres : Quid sit conscientia vera, quid erronea, quid perplexa? — Conscientia : 1° *vera* est ea quæ dictat aliquid esse licitum quod revera est tale ; — 2° *erronea* est ea quæ dictat aliquid esse licitum vel illicitum, quod revera non est tale ; dividitur

in vincibiliter et invincibiliter erroneam ; 3° *perplexa* est ea qua quis, in medio duorum præceptorum constitutus, peccare credit quamcumque partem eligat. 137

Nota : (1° Conscientia vera est certissima morum regula; 2° perplexus minus malum eligere debet.)

Conclusio 1. Conscientia erronea non est *per se* morum regula (cum sit falsa applicatio synderesis et legis ad actum); est tamen per accidens, *si sit invincibiliter erronea* (quia tunc inculpate et firmiter putatur vera). 136

Conclusio 2. Qui agit contra conscientiam erroneam, dictantem aliquid hic et nunc esse præceptum vel prohibitum, peccat, sive error sit vincibilis, sive invincibilis. 140

Nam : 1° Apostol. : *Beatus qui non judicat;* 2° sic S. Thom.; 3° quia qui agit contra conscientiam, etiam erroneam, vult peccatum.)

Quæres 1. In qua specie erit peccatum agentis contra conscientiam erroneam? 142

Quæres 2. Si conscientia ex errore dictet aliquid esse præceptum vel prohibitum sub aliqua censura, an operans contra ejusmodi conscientiam incurrat censuram? Non. 142

Conclusio 3. Qui operatur secundum conscientiam erroneam, qua judicat aliquid hic et nunc licitum esse, quod revera illicitum est, non peccat, *si error sit invincibilis,* (quia ignorantia invincibilis excusat a peccato). 143

Quæres : An teneamur sequi conscientiam erroneam, et an mereamur illam sequendo? — Quoad 1um, sic; quoad 2um, tres sunt sententiæ. 143

Conclusio 4. Qui operatur secundum conscientiam erroneam, qua judicat aliquid hic et nunc licitum esse, quod revera illicitum est, peccat, *si error sit vincibilis,* (quia error vincibilis excusare non potest operantem). 144

Quæres : Utrum gravius sit agere contra conscientiam vincibiliter erroneam, quam eam sequi? — Sic, *cæteris paribus.* . . 146

Resolutio aliquarum difficultatum circa conscientiam erroneam. 146

Quæres 1. Quale sit peccatum contra conscientiam agere, an mortale, an veniale? — Tale quale existimatur. 146

Quæres 2. Quale sit peccatum agere contra conscientiam erroneam quæ dictat quidem aliquid esse malum, sed non determinat sitne mortaliter malum, an venialiter duntaxat? . . . 147

Quæres 3. Utrum pœnitens teneatur obedire confessario, parocho, superiori, cum præcipiunt ut conscientiæ dictamen tanquam erroneum contemnatur? — Sic *ordinarie.* 147

Quæres 4. An confessarius monere teneatur pœnitentem qui conscientia laborat vincibiliter erronea? — Sic 147

Quæres 5. Utrum confessarius teneatur monere pœnitentem qui

conscientia laborat invincibiliter erronea? — Aliquando debet eum monere, aliquando non. 148
Quæres 6. Ex quibus signis colligere potest confessarius conscientiam pœnitentis erroneam esse invincibiliter, aut vincibiliter? 151
Caput III. De conscientia scrupulosa et lata. 151
Quæres 1. Quid sit conscientia lata, quid scrupulosa? — Conscientia *scrupulosa* ea est, quæ, levibus fundamentis innixa, formidat de peccato, ubi revera illud non adest; — *lata*, ad quam referuntur *pharisaica* et *cauteriata*, est ea, qua mens, ex levissimis, et quidem cupiditati faventibus rationibus, licitum esse putat quod malum facile deprehendi potest. 151
Quæres 2. An conscientia scrupulosa et lata sint morum regula? — Non. 152
Quæres 3. Utrum scrupuli sunt nocivi vel utiles? 153
Quæres 4. Quibus indiciis possit cognosci conscientia scrupulosa? 153
Quæres 5. An scrupulosus possit ac debeat contra scrupulos agere? — Distinguendum est. 154
Quæres 6. Quænam sint causæ scrupulorum? — Aliæ sunt *ab intrinseco*, aliæ *ab extrinseco*. 155
Quæres 7. Quænam sint scrupulorum remedia? 156
Quæres 8. Quomodo confessarius cum scrupuloso se gerere debeat? 157
Quæres 9. Quænam sint conscientiæ latæ causæ et remedia? 158
Caput IV. De conscientia certa et dubia. 159
Quæres 1. Quid sit conscientia certa, quid dubia? — Conscientia *certa* est judicium firmum et sine formidine, saltem rationali, de bonitate aut malitia operis hic et nunc agendi; — *dubia* est suspensio judicii circa bonitatem aut malitiam operis hic et nunc agendi. 159
Quæres 2. Quotuplex distinguitur certitudo? — Triplex, nempe : *metaphysica*, *physica* et *moralis*. 159
Nota : (1° Duplex certitudo moralis distinguitur a Theologis : *directa* et *reflexa*. — 2° Dubium aliud est *juris*, aliud *facti*, aliud *negativum*, aliud *positivum*. — 3° Dubium pertinens ad mores, aliud est *speculativum*, aliud *practice practicum*. — 4° Conscientia potest esse practice certa et speculative incerta, sed non e contra, id est, nullus dubitare potest practice de re hic et nunc facienda, quin de ea speculativa dubitet.)
Articulus unicus. Quæ conscientia sit morum regula. . . . 162
Conclusio 1. Conscientia certa est regula morum (nam tunc actio fit cum certitudine suæ rectitudinis), et quidem sola et unica (quia *quidquid non est ex fide, peccatum est*). 162
Conclusio 2. Conscientia practice dubia, sive dubio negativo, sive

positivo, non est regula morum (quia non determinat ad assensum); et ideo qui, ea non prudenter deposita, operatur, peccat (nam non agit ex fide; atqui, etc.). 163

CAPUT V. De conscientia seu opinione probabili et improbabili. 164

Quæres 1. Quid est probabile, quid probabilitas, et quotuplex? 164

(Resp. ad 1um, probabile est id quod est apparenter verum seu verisimile; — ad 2um, probabilitas idem est ac verisimilitudo; — ad 3um, probabilitas ratione motivi est *intrinseca* vel *extrinseca;* et ratione objecti, alia est *facti,* alia *juris.*)

Quæres 2. Quid sit conscientia seu opinio probabilis? — Est actus quo intellectus, ob motivum grave, quamvis absolute fallibile, judicat actionem hic et nunc exercendam, esse licitam vel illicitam. 165

Quæres 3. Quid sit conscientia improbabilis? — Est actus quo intellectus, ob motivum nullius vel levis momenti, judicat actionem hic et nunc exercendam, esse licitam vel illicitam. 166

Quæres 4. Quotuplex est opinio ad opinionem comparata? — Multiplex, nempe : probabilis, communis, tuta, etc. . . . 166

Nota : (1° Ut opinio sit altera probabilior, debet esse *certe et notabiliter probabilior.* — 2° Non est confundenda opinio *moraliter certa,* cum opinione *probabilissima.* — 3° In moralibus, opinio tutior est ea quæ magis removet a peccato formali. — 4° Ut opinio sit vere et satis graviter probabilis *extrinsece,* requiritur et sufficit auctoritas unius et solius auctoris gravis v. gr. S. Thomæ. — 5° Aliquando opinio tutior potest esse minus probabilis, et probabilior, minus tuta. — 6° In hac maxime momenti materia, duo cavendo sunt extrema : *Laxiorismus* et *Rigorismus.*)

Propositiones damnatæ ab Alex. VII, Innoc. VI et Alex. VIII. 169

ARTICULUS 1. Utrum liceat sequi opinionem vere probabilem ratione sui et in se spectata, seu an aliqua opinio possit esse actus prudens. 171

Conclusio. Licet sequi opinionem vere probabilem ratione sui et in se spectatam, et est actus prudens, quoties opinio nititur motivo gravi, nec est aliquid quod illi opponi potest. . 172

(Nam : 1° Apostol. : *Unus quisque abondet,* etc.; — 2° hoc argumento usus est S. Petrus; — 3° sic SS. Patres, v. gr. Div Thom.; — 4° quia opinio potest imperari a prudentia, et consequenter esse actus prudens.)

ARTICULUS 2. Utrum liceat sequi opinionem probabilem faventem libertati, in concursu alterius faventis legi. 172

Nota : (Certum est non licere sequi opinionem probabilem faventem libertati, in concursu alterius vere probabilis quæ favet legi, *eo præcise quod sit probabilis.* Quæstio igitur procedit de opinione favente libertati, in concursu vel probabi-

lioris, vel minus probabilis, vel æque probabilis faventis legi.)
§ 1. Utrum liceat sequi opinionem minus probabilem faventem libertati, in concursu probabilioris faventis legi. . . . 173
Conclusio. Non licet sequi opinionem minus probabilem faventem libertati, in concursu probabilioris faventis legi. . . . 173
(Nam : 1° Apostol. : *Omnia probate, quod bonum est tenete,* etc.; *Quod non est ex fide,* etc. — 2° Sic SS. Patres, v. gr. August., et scholæ Doctores, v. gr. Div. Thom. — 3° Ratione constat : 1° quia in dubiis debemus inquirere veritatem in speculando, et regulam conscientiæ certam ad agendum, a quo deficit sequens opinionem minus probabilem faventem libertati, in concursu, etc.; 2° quia ille agit imprudenter, et consequenter illicite, qui sequitur prædictam opinionem minus probabilem faventem libertati.)
Solvuntur objectiones. 176
§ 2. Utrum liceat sequi opinionem probabiliorem quæ favet libertati, in concursu minus probabilis quæ favet legi. . . 182
Nota : (Quæstio est tantum *de licito* actionis, non vero de *tutioritate.*)
Conclusio. E duabus opinionibus licitum est eam sequi, quæ libertati favet, modo sit *notabiliter probabilior* opposita. — *Est contra* quosdam rigidiores. 182
(Nam : 1° Sic Div. Thom.; 2° quia Deus non exigit ab homine ut semper cum evidentia et certitudine mathematica de bonitate suæ actionis operetur, cum hoc sit impossibile; 3° quia in casu, opinio probabilior est verior, cum traditioni sit conformior; 4° quia contraria proposit. damnata fuit.)
3. Utrum liceat sequi opinionem probabilem, hominis libertati faventem, in concursu æque probabilis quæ favet legi. . 185
Nota : (1° In hac quæstione, in duas partes sciduntur Theologi. Alii *negant,* et dicunt tunc eam opinionem esse sequendam, quæ favet legi ac proinde est tutior : hi *Probabilioristæ* dicuntur, qui tamen melius *Tutioristæ* nuncuparentur. — Alii autem *affirmant, modo illa opinio* æque probabilis favens libertati, *sit vere graviterque probabilis;* isti vocantur *Probabilistæ moderati,* vel *Æquiprobabilistæ.* — 2° Quæstio est *de licito* actionis, seu de probabilitate *juris,* minime vero de probabilite *facti.*)
Conclusio. Licet sequi opinionem vere et solide probabilem, hominis libertati faventem, in concursu alterius æque probabilis quæ favet legi. 187
Constat propositio quadruplici ineluctabili argumento.
I Argumentum ex ipsa legis natura depromptum. . . . 187
(1. Lex quæ non est promulgata, non obligat, ut patet; atqui lex dubia, non est lex promulgata : 1° quia promulgatio est manifestatio, scientia; dubium vero contrariatur scientiæ, cum sit

mera nescientia; 2° quia qui videt rationes pro utraque parte æquales, tam nescius est quam qui nullas videt, proindeque omnino ignorat; 3° quia promulgatio convenit cum scientia non vero dubium : ergo promulgatio et dubium non conveniunt inter se. — 2. Lex incerta non potest certam parere obligationem, alioquin daretur effectus sine causa, aut major sua causa. — 3. Sicut non tenemur credere alicui veritati dubie revelatæ, nec pariter implere legem dubiam. — 4. Apostol.: *Si incertam vocem det tuba,* etc. — 5. Sic Div. Thom.)

Objectiones. 196

II Argumentum ex auctoritate depromptum. 194

(Constat conclusio nostra : 1° *Sanctorum testimonio,* v. gr. SS. Chrysost., Thom., Bern., etc.; — 2° *Auctorum consensu communiori,* v. gr. Suarez, Lugo, Lessius, etc.; — 3° *Approbatione saltem implicita Ecclesiæ,* ut patet approbatione operum S. Ligor., et variis responsis S. Congreg. S. Officii et Pœnitentiariæ.)

Objectiones. 196

III Argumentum ex ipsa ratione et humana libertatis conditione deductum. 200

(In dubiis melior est conditio possidentis : in hoc conveniunt omnia jura et decisiones omnium orbis tribunalium. Atqui antecedenter ad omnem legem, quisque suam possidet libertatem, quia : 1° repugnat regulam (legem) imponere ei qui libertatem non habet; 2° in materia legum, prius est regulandum (libertas) quam regula (lex); 3° omnia licent, præter ea quæ prohibentur; — 4° Eccl. : *Deus ab initio,* etc.: ergo dum lex est dubia, melior est conditio libertatis.)

Objectiones. 201

IV Argumentum ex consectariis adversariorum depromptum. 207

(Ex adversariorum systemate sequerentur : 1. *nimia difficultas pro confessariis;* nam : 1° sæpe verserentur in periculo peccandi; 2° sæpe contrarii sibimet ipsis esse deberent. — 2. *Nimia difficultas pro fidelibus,* quibus imponeretur impossibile moraliter. — 3. *Perpetua fluctuatio doctrinæ,* ut patet ex quotidiana et magna discrepantia probabilioristarum inter se.)

Quæres 1. Utrum præstabilitum principium, nempe : *lex dubia non obligat,* intelligatur etiam quoad extensionem legis ad casus particulares? — Sic. 209

Quæres 2. Utrum præfatum principium intelligatur etiam de casu quo graviter dubitatur an legi satisfactum fuerit, aut an illa cessaverit lapsu temporis? — Duplex est sententia : *communissima negat.* 210

ARTICULUS 3. De principiis seu regulis quibus conscientia dubia possit deponi et fieri moraliter certa. 212

Quæres 1. Quænam sint principia reflexa, seu regulæ quibus conscientia dubia possit deponi, et fieri moraliter certa? — Dnæ sunt principaliores, nempe : 1° *Lex incerta non potest certam parere obligationem;* 2° *In dubiis melior est conditio possidentis;* et decem aliæ particulares. 212
Quæres 2. Quomodo intelligi debeant præcedentes regulæ generales? 213
Quæres 3. Quomodo intelligitur prima regula specialis : *In dubiis pro eo standum est, pro quo stat præsumptio?* 215
Quæres 4. Quomodo intelligitur secunda regula specialis : *In dubiis judicandum est ex ordinarie contingentibus?* 216
Quæres 5. Quomodo intelligitur tertia regula specialis : *In dubio factum non præsumitur, sed probatur?* 216
Quæres 6. Quomodo intelligenda sit quarta regula specialis : *In dubio omne factum præsumitur recte factum?* 217
Quæres 7. Quid intelligatur per quintam regulam specialem : *In dubio nemo malus præsumitur, nisi probetur?* 217
Quæres 8. Quomodo interpretari debeat sexta regula specialis : *In dubio favores sunt ampliandi, et odia restringenda?* . 218
Quæres 9. Quid sibi vult regula septima : *In dubio favendum est reo?* 218
Quæres 10. Quomodo interpretetur octava regula : *In dubiis minimum est sequendum?* 218
Quæres 11. Quomodo intelligatur regula nona : *In dubiis præsumptio stat pro Superiore?* 219
Quæres 12. Quomodo utendum sit decima regula : *In dubiis pars tutior est sequenda?* 219

TRACTATUS DE LEGIBUS.

Dissertatio I. De legibus in communi. 221
Nota : (Lex (a *ligando* dicta) sumitur vel *improprie,* et tunc est quædam mensura, seu regula, secundum quam res quælibet inducitur ad operandum, et ab operando retrahitur; — vel *proprie,* et est *regula externa morum.* De qua sit)
Caput I. Quid sit lex. 221
Nota : (Essentia legis ab ejus definitione repetenda est; ideo)
(Dico : Lex proprie sumpta definitur : *ordinatio* — quod tenet locum generis; — *rationis* — quia lex debet esse rationi consentanea et justa, tum ex parte objecti quod debet esse honestum et moraliter possibile, tum ex parte legislatoris, tum ex parte subditorum; — *stabilis* — nempe duratura donec abrogetur; — *ad bonum publicum,* — id est, in totius communitatis commodum, quod est essentialiter finis legis; — *promulgata,* id est, intimata ac denuntiata subditis; — *ab eo qui curam com-*

manitatis habet, — nempe qui in communitatem perfecta jurisdictione et auctoritate coactiva pollet; — *cum intentione obligandi subditos,*—per quod lex a consilio distinguitur.). 222
Nota : (Communitas duplex est : *perfecta* et *imperfecta.*) . 228
CAPUT II. An promulgatio sit de essentia legis. 228
Nota : (1° Promulgatio est authentica legis notificatio eis facta, a quibus legislator vult eam impleri. 2° Quæstio movetur tantum *de legibus positivis* consideratis *in actu secundo,* et de modo quo promulgatio necessaria est ad legem.)
Conclusio. Promulgatio est complementum essentiale legis, prout actu et de facto obligantis (quia per solam promulgationem constituitur lex formaliter in esse regulæ.) 229
Quæres 1. An lex prioris legis revocatoria debeat promulgari? — Sic, si lex prior fuerit odiosa, ubi 230
Nota : (Lex alia est *favorabilis,* alia *odiosa.*)
Quæres 2. Quomodo leges promulgentur? — Lex divina promulgatur tribus modis : 1° per internam revelationem; 2° per externam locutionem absque solemnitate; 3° per externam revelationem cum solemnitate : lex humana vero debet solemniter promulgari. 231
Quæres 3. Cur lex humana solemnitatem promulgationis requirat, non vero divina? — Ut constet quod humanus legislator agit ut sic, et non ut homo. 232
CAPUT III. An lex, prout in legislatore spectatur, in actu intellectus vel voluntatis consistat. 232
Nota : (In superiore legem ferente, duo sunt actus, *intellectus* scilicet, quo videt, et *voluntatis,* quo vult bonum commune.)
Conclusio. Lex præsuppositive consistit in actu intellectus, et formaliter in actu voluntatis. 232
(Constat 1 p.; nam actus intellectus prævie requiritur ex parte legislatoris; — 2 p., quia 1° Ps. : *In capite libri,* etc., et : *Notas fecit vias suas,* etc.; 2° quia lex essentialiter consistit in eo actu per quem obligat; atqui obligat per voluntatem.)
DISSERTATIO II. De legibus in particulari. 235
CAPUT I. De lege æterna. 235
Quæres 1. Quid sit lex æterna? — A S. August. definitur : *Ratio divina, vel voluntas ordinem naturalem servari jubens, et perturbari vetans.* 235
Quæres 2. An omnia subjiciantur legi æternæ? — Sic, sed diverso modo, secundam diversam naturam creaturarum. . . 236
Quæres 3. An lex æterna sit lex proprie dicta respectu creaturarum rationalium? — Non, donec transierit in legem naturalem. 237
Quæres 4. An omnes leges ab æterna deriventur? — Sic. . 237
Quæres 5. Quomodo leges ab æterna deriventur? — Diversimode. 237

CAPUT II. De lege naturali. 238
ARTICULUS 1. An et quid sit lex naturalis. 238
Quæres 1. An detur aliqua lex naturalis? 238
(Sic, nam: 1° Rom.: *Gentes quæ legem*, etc.; 2° quia creatura rationalis participat excellentiori modo legi æternæ, quod est lex naturalis; 3° constat ab intimo uniuscujusque sensu et testimonio.)
Quæres 2. Quid sit lex naturalis? — Quatuor sunt sententiæ, quarum verior docet legem naturalem esse quamdam intimationem legis æternæ creaturæ rationali, et lumen ostensivum boni, principio intellectivo affulgens. 239
(Constat: 1° refutatione aliarum sententiarum; 2° ex S. Thom., 3° quia lex naturalis, non inscritur actu in anima quando creatur, sed tantum potentia illam cognoscendi, cum homo ad usum rationis pervenerit.)
Objectiones. 241
Quæres 3. Utrum sit aliquod discrimen inter legem naturalem, synderesim et conscientiam? — Sic. 243
Quæres 4. Utrum lex naturalis contineat plura præcepta, vel unum tantum? — Plura continet quæ tamen fundantur in uno. 243
Quæres 5. Quomodo et quosnam obliget lex naturalis? — Obligat omnes homines ratione utentes, ostendendo et præcipiendo bonum. 244
Quæres 6. In quo lex naturalis differat a jure gentium? — In eo quod lex naturalis antecedit omnem societatem, jus vero gentium a gentibus ipsis inter se introductum est; unde pertinet ad jus positivum. 245
ARTICULUS 2. Quodnam sit objectum juris naturalis. 245
Quæres 1. Quænam pertineant ad legem naturæ? — Omnia præcepta: 1° ad quæ *ex natura rei* obligamur; — 2° quæ ex primis principiis facile et evidenter deducuntur; — 3° quæ ex primis principiis nonnisi difficile deducuntur. 245
Quæres 2. An actus virtutum moralium pertineant ad legem naturæ? — Sic vel non, secundum quod diversimode spectantur. 247
Quæres 3. An pertineat ad legem naturalem ut actus virtutis fiat ex motivo honesto et virtuoso? — Sic. 248
ARTICULUS 3. An lex naturalis possit pati mutationem aut interpretationem. 249
Conclusio 1. Lex naturalis non potest mutari *proprie* (quia non potest desinere *per seipsam*, vel *abrogationem*, vel *derogationem*, vel *irritationem*); sed solum improprie (quia mutari potest *per additionem* vel *subtractionem materiæ*.) . . 249
Conclusio 2. Simplex interpretatio locum habet in lege naturali (nam quandoque ipsius termini exponi debent); non vero epikeia (quæ locum habere non potest in lege naturali utpote

non lata per verba generalia, sed excipiente omnes casus excipiendos) : idem dic de lege divina. Ubi 250
Nota : (Principia naturalia alia sunt *primaria,* quæ scilicet ordinem dicunt ad Deum; alia *secundaria,* quæ ordinem dicunt de homine ad hominem.)
Articulus 4. An lex naturalis possit admittere dispensationem. 253
Nota : (Cum certum sit hominem non posse dispensare in lege naturali, Deum vero id posse improprie in iis ejusdem præceptis, quorum materia pendet ab ipsius dominio, quæstio tantum procedit de dispensatione directa proprie dicta. Circa quod)
Tres adsunt sententiæ, quarum tertia docet Deum in nullo legis naturalis præcepto proprie et directe dispensare posse. — Ratio quia Deus non potest facere ut quod est intrinsece malum, sit honestum et licitum. 254
Objectiones. 254
Nota : (Lex divina dividitur in Veterem, seu Moisaicam, et Novam, seu Evangelicam. Unde)
Quæstio 1. De lege Veteri seu Mosaica. 257
Nota : (Lex Vetus late hic sumitur, et per eam intelligitur tota Scriptura veteris Testamenti. De qua)
Quæres 1. An lex Vetus fuerit bona et a Deo data? (1 p. est contra Jansenium et Quesnellum, utraque vero contra Simon Magum, Marcionitas, Manichæos et Priscillianistas.) — Resp. affirm., ut Scriptura constat. . . . . : 257
Objectiones. 258
Quæres 2. An lex Vetus fuerit imperfecta? — Sic, in sensu negativo. 261
Quæres 3. Quot genera præceptorum complectebatur lex Vetus? — Tria, nempe : moralia, cæremonialia et judicialia. . 261
Quæres 4. An lex Vetus directe præceperit actus internos? — Sic, v. gr. amor Dei, pœnitentia interna, etc. 262
Quæres 5. Quosnam obligaverit lex Vetus? — Solos Judæos quoad omnia præcepta, et etiam Gentiles quoad moralia. . . 262
Quæres 6. Quis fuerit finis legis Veteris? — Finis proximus fuit institutio populi Israelitici; remotus vero supernaturalis ejus felicitas. 263
Quæres 7. An lex Vetus abrogata sit? — Sic, quoad omnia præcepta, ut Scriptura constat. (Est contra Cerinthum, Ebionem et quosdam scholasticos.) 263
Quæres 8. Utrum lex Vetus abrogata ac mortua fuerit ante mortem Christi? — Non, cum illam Christus servavit et servari præcepit usque ad suam mortem. 265
Quæres 9. Quandonam ergo lex Vetus fuerit abrogata? — Lex Vetus abrogata est *secundum se* in ipsa Christi morte, et in festo Pentecostes *quoad vim obligandi.* 267

Quæres 10. An lex Vetus statim atque inutilis ac mortua evasit, evasit etiam mortifera? 269
Nota: (1° Lex dicitur *mortua* quando non amplius obligat, *mortifera* vero quando illius observatio nocet. — 2° Præcepta moralia Veteris legis nec sunt mortua nec mortifera; judicialia sunt tantum mortua. — 3° Quæstio hic est de solis cæremonialibus, de qua magna olim fuit controversia inter August. et Hieron., quæ ut solvatur, sit)
Conclusio. Lex Vetus ante fuit mortua quam mortifera; unde licitum fuit aliquandiu post ejus abrogationem, eam observare, quamvis non fuerit necessaria. 271
(Constat: 1° Facto Apostolorum, v. gr. Petri et Pauli; 2° Conc. Jerosolymit.)
Objectiones. 271
Quæres 11. Quo ergo tempore lex Vetus evaserit mortifera? — Quadragesimo circiter anno post Christi mortem. 273
QUÆSTIO 2. De lege Evangelica. 274
Nota: (Lex Evangelica definiri potest: *Lex per se justificativa, a Christo condita, ab Apostolis promulgata, et ad finem mundi duratura.*)
§ 1. An lex Evangelica sit vera lex. 275
Conclusio. Lex Evangelica est vera lex. — Est contra Lutherum et Calvinum. 276
(Constat: 1° Quia lex Evangelica continet præcepta ad bonum communitatis ordinata et in perpetuum servanda; 2° quia Trident. contrarium damnavit errorem.)
Quæres: Quotuplicis sint generis præcepta Novæ legis? — Triplicis, nempe: moralia, sacramentalia et fidei. 278
§ 2. In quo lex Evangelica conveniat et differat a lege Veteri. 279
Quæres 1. In quo lex Vetus et Nova conveniant? — In duobus. 279
Quæres 2. In quo lex Vetus et Nova differant? — In quatuor. 279
CAPUT III. De lege humana. 280
Quæres: An detur et quid sit lex humana? — Certe datur et definitur: *Rationis ordinatio stabilis, — ad bonum publicum condita et promulgata ab homine curam communitatis politicæ vel Ecclesiasticæ habente, — cum intentione obligandi subditos.* 280
QUÆSTIO 1. De natura legum humanarum. 281
ARTICULUS 1. An et quibus hominibus competat potestas ferendi leges. 281
Conclusio 1. Principes sæculares, sive boni, sive mali, habent potestatem condendi leges civiles. — Est contra Wiclef. et Luther., et *est de fide* ex Constantiensi. 282
(Nam 1° I Petr. 2: *Subditi estote*, etc.; Rom.: *Omnis anima potestatibus*, etc.; — 2° quia communitas non potest existere sine legibus.)

Quæres : Quisnam leges civiles ferre possit? — Imperatores, reges, etc. 283

Conclusio 2. Prælati Ecclesiæ habent potestatem ferendi leges Ecclesiasticas. — *Est de fide* ex Trident. contra Luther. . 284

(Constat : 1° Script., Matth. : *Tibi dabo claves,* etc.; Act. : *Spiritus S. posuit,* etc.; 2° perpetua traditione et praxi Ecclesiæ.)

Quæres 1. Quinam possint ferre leges Ecclesiasticas? — Multi, nempe : 1° Concilia nationalia, Episcopus, Legati, etc.; — 2° S. Pontifex pro tota Ecclesia, neenon Concilia œcumenica, quæ tamen in hoc subjacent auctoritati S. Pontificis, ut constat : 1° ex Script., Luc. : *Simon, Simon, Satanas,* etc.; Joan. : *Pasce agnos... oves,* etc.; Matth. : *Tibi dabo claves,* etc.; 2° SS. Patribus, v. gr. Cypr., Bern.; 3° Praxi et usu Conciliorum, v. gr. Nicæni et Trident.; 4° regimine Ecclesiæ et institutione Sedis Apostolicæ. 285

Quæres 2. An Episcopi habeant immediate a Christo potestatem condendi leges Ecclesiasticas? — Duplex est sententia. . 289

Quæres 3. An in Ecclesia, præter legislativam, adsit potestas judiciaria? — Sic, ubi 291

Nota : (Potestas judiciaria est illa species jurisdictionis qua controversiæ definiuntur pro tribunali et per sententias.)

Quæres 4. Ubinam continentur leges Ecclesiasticæ? — In jure Ecclesiastico, Bullis, Brevibus, Rescriptis, etc. 292

ARTICULUS 2. Quænam sit materia legum humanarum. . . . 293

Nota : (Certum est : 1° materiam legum humanarum debere esse honestam, vel saltem indifferentem; 2° propriam legum civilium materiam esse bonum communitatis temporale; 3° legem non se extendere ad actus præteritos.)

§ 1. An lex humana possit præcipere actus internos. . . . 293

Nota : (1° Actus internus potest spectari vel ut *pure internus,* vel ut *conjunctus cum actu externo,* quo casu est talis vel *per se et intrinsece,* vel *per accidens et extrinsece.* — 2° Actus internus præcipitur *directe,* quando ratione sui; indirecte vero, quando ratione actus externi cum quo conjungitur.)

Conclusio 1. Lex humana civilis potest indirecte præcipere actus internos *per se* conjunctos cum actibus externis (quia habet potestatem præcipiendi actum externum qui sine interno non potest subsistere); — non potest vero præcipere actus mere internos, nec eos qui *per accidens* tantum sunt conjuncti cum actibus externis (quia non sunt necessarii ad finem assequendum ad quem instituta est). 294

Conclusio 2. Lex Ecclesiastica : 1° potest præcipere actus internos per se conjunctos cum exterioribus; 2° non potest præcipere actus mere internos; 3° nec probabilius actus internos per accidens cum exterioribus conjunctos. 295

(Constat 1 p. ex præcedenti conclusione; 2 p.; nam Ecclesia de internis non potest judicare, cum sint omnino occulti; 3 p.; quia sine illo actu finis legis obtineri potest.)
Quæres 1. An actus exteriores, sed omnino occulti, qui nullo modo probari possunt, per legem humanam possint prohiberi? — Sic. 299
Quæres 2. An lex humana possit obligare ad virtutum actus heroicos? — Non *generatim*. 299
§ 2. Utrum modus finisque legis cadant sub præcepto. . . 300
Nota : (Aliud est modus legis, et aliud finis legis.)
Quæres 1. An modus legis, ut quis agat scienter et voluntarie, cadat sub præcepto? — Sic. 300
Quæres 2. An modus legis, ut quis agat cum intentione implendæ legis, cadat sub præcepto? — Negat., si lex sit negativa; *verius* etiam negat., si sit affirmativa. 300
Quæres 3. Utrum idem dicendum sit de his quæ procedunt a propria voluntate operantis? 302
Quæres 4. An modus legis, ut quis agat ex fine honesto, cadat sub præcepto? — Negat. absolute, quoad leges civiles, et generaliter, quoad leges Ecclesiasticas. 302
ARTICULUS 3. Qualis esse debeat promulgatio legum humanarum. 304
Nota : (Certum est : 1° leges imperiales non prius obligare, quam in singulis provinciis fuerint promulgatæ; 2° id non valere pro legibus Principum Imperatori subditorum.)
Conclusio. Leges pontificiæ ante obligant, quam in singulis provinciis promulgatæ fuerint, et sufficit ut Romæ promulgentur. — Ratio, quia : 1° Pontifices sic possunt et volunt; 2° sic fert usus et consuetudo. 305
Objectiones. 306
Quæres 1. Utrum Episcopi teneantur promulgare aut curare ut alii servent omnia Statuta pontificia Romæ promulgata? — Non. 307
Quæres 2. An ut lex obliget, requiratur aliquod temporis spatium a promulgatione? — Distinguendum. 308
ARTICULUS 4. An, ut lex humana obliget, requiratur consensus sive acceptatio populi. 309
Nota : (Hic questio est tantum de legislatore absoluto, ut Papa, Monarcha, etc.)
Conclusio. Ut lex obliget, non requiritur consensus sive acceptatio majoris partis communitatis. — Est contra Cabass., Bonac., etc. 309
(Ratio, quia lex ad sui acceptationem obligat, juxta illud : *Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.*)
Objectiones. 310
ARTICULUS 5. Quinam legibus humanis teneantur. 312

Nota : (Certum est *omnes et solos subditos,* rationis usum habentes, subdi legibus humanis.)

§ 1. Utrum legislator suis legibus obligetur. 313

Nota : (Questio procedit : 1° de legislatore absoluto ; 2° de legibus quarum materia convenit Principi et subditis.)

Conclusio. Legislator non tenetur proprie suis legibus, neque quoad vim coactivam, neque quoad vim directivam, (quia legislator non est sibi nec suis prædecessoribus subditus); sed ad eas servandas tenetur vi legis naturæ dictantis ut Superior suis subditis præeat exemplo (nam turpis est omnis pars suo universo non congruens); hoc tamen *sub levi* tantum, *præciso scandalo* et *alterius damno.* 314

Objectiones. 314

§ 2. An Clerici legibus civilibus obligentur. 317

Conclusio. Clerici obligantur legibus civilibus, *salva tamen eorum immunitate.* — Ratio, quia sunt partes communitatis politicæ. 317

§ 3. An peregrini, advenæ et vagi teneantur legibus. . . . 318

Nota : (1° Peregrini, advenæ et vagi inter se differunt ; — 2° præcepta personalia obligant ubique personas quas afficiunt.)

Conclusio 1. Peregrini et advenæ non tenentur legibus localibus suæ patriæ ; unde non peccant eas non servando, *nisi absint in fraudem,* vel *fictione juris censeantur ipsas in propria patria transgredi.* — Ratio, quia jurisdictio legislatoris non obligat ultra territorium. 318

Quæres : An qui e domicilio suo, ubi v. gr. lex festi, jejunii, etc, obligat, transit in locum ubi non obligat, teneatur illam implere antequam exeat? — Duplex adest sententia : secunda negat, *nisi lex continuatim obliget.* 321

Conclusio 2. Vagi, peregrini et advenæ legibus locorum in quibus existunt et per quæ transeunt, adstringuntur : — 1° Quoties id opus est ad vitandum scandalum ; 2° quoties agitur de legibus juris communis ; 3° quoties agitur de contractibus celebrandis, vel de delicto. — An vero teneantur legibus specialibus loci in quo versantur, probabilius negant. 322

ARTICULUS 6. Quænam sit formalis legum humanarum obligatio. 324

§ 1. An leges humanæ obligent in conscientia. 325

Nota : (Negant Pseudoreformati, et ipse Gerson negare videtur.)

Conclusio. Lex humana, tam civilis quam Ecclesiastica, obligat in conscientia et sub peccato, quandoque etiam sub mortali. — *Est de fide* ex Trident. quoad leges Ecclesiasticas. . . 325

(Constat 1° quoad leges Ecclesiasticas, nam Matth. : *Quod si Ecclesiam non audierit,* etc ; 2° quoad leges civiles ex Apostol : *Omnis anima... subdita sit,* etc. ; 3° quoad utrasque, quia lex humana est verum præceptum.)

Objectiones. 326
Quæres 1. Quot requirantur ut lex humana obliget sub mortali? — Duo : 1° ut materia sit gravis, alioquin lex esset iniqua; 2° ut intentio legislatoris sit graviter obligandi, quia legis obligatio tota pendet a voluntate legislatoris. 328
Objectiones. 329
Quæres 2. Quomodo dignosci possit legislatorem velle obligare sub gravi? — Dignoscitur : 1° ex materia gravi absolute præcepta; 2° ex gravitate verborum quibus utitur; 3° ex gravitate pœnæ; 4° ex consuetudine et prudentium judicio. 331
Quæres 3. An leges tyranni obligent? — Distinguendum : ubi 331
Nota : (Tyrannus est talis vel *gubernatione,* vel *usurpatione.*)
§ 2. Proponuntur et solvuntur nonnullæ quæstiones circa obligationem formalem legum humanarum. 332
Quæres 1. An lex dubia obliget? — Non, ut constat : 1° ex alibi dictis; 2° Scriptura; 3° SS. Patribus, v. gr. Nazianz.; 4° jure canonico et civili; 5° scholarum consensu et ratione : unde plures resolutiones. 332
Quæres 2. An lex fundata in præsumptione semper obliget in conscientia? — Sic, si fundetur in præsumptione *periculi;* non vero, si in præsumptione *facti.* 334
Quæres 3. An lex humana possit obligare cum gravi periculo, etiam mortis? — Non, *ordinarie loquendo.* 335
Quæres 4. An peccet contra legem, qui non tollit aut ponit impedimentum executioni legis? 336
Nota : (1° Impedimentum apponi potest *directe* vel *indirecte* 2° potest quis impediri a legis observantia apponendo vel causam *eximentem,* vel causam *impedientem,* quæ est vel *remota* vel *proxima.*)
(Resp. 1° Non peccat contra legem, qui causam ponit directe, qua ab illius obligatione totaliter subtrahatur, *si aliqua lex specialis non obstet;* 2° peccat vero qui directe apponit vel non removet impedimenta etiam remota; 3° etiam peccat contra legem qui tempore quo urget lex, vel paulo ante, directe vel indirecte ejus executioni ponit vel non tollit impedimentum.
Quæres 5. An qui non potest totum opus præceptum implere, teneatur ad partem quam potest? — Sic, si sit de re divisibili; secus, non. 340
Quæres 6. An eodem tempore duobus præceptis satisfieri possit per plures actus? — Sic. 341
Quæres 7. An per unum eumdemque actum possint impleri plura præcepta? — Sic, positis ponendis. 341
Quæres 8. Quid agendum, cum duo occurrant præcepta æque urgentia, si simul impleri non possint? — Gravius est observandum. 324

Quæres 9. An qui uno actu violat plura præcepta, committat plura peccata? — Distinguendum est. 343
Quæres 10. Quænam sit differentia inter obligationem legis negativæ et affirmativæ? — *Prima* obligat semper et pro semper; *secunda* vero semper tantum et non pro semper. . . . 344
QUÆSTIO 2. De variis speciebus legum humanarum. 345
Nota : (Lex humana dividitur in *scriptam* et *non scriptam* seu *consuetudinariam*, et utraque est vel *mere præcepliva* aut *prohibitiva*, vel *pœnalis*, vel *favorabilis*, vel *irritans.*)
ARTICULUS 1. De lege scripta. 345
Nota : (Lex scripta, alia est *civilis*, alia *Ecclesiastica.*)
§ 1. De jure civili 345
Quæres 1. Quid sit jus Romanum? — Est corpus juris constans : 1° ex *Institutionibus*, 2° *Digesto* seu *Pandectis*, 3° *Codice*, 4° *Novellis* seu *Authenticis*, 5° et *unico libro Feudorum.* 345
Quæres 2. Quomodo citetur jus civile? 346
Quæres 3. Quid sit jus Gallicum? — Continetur in variis codicibus numero 21. 346
§ 2. De jure Ecclesiastico seu Canonico. 347
Quæres 1. Quid sit jus Canonicum? — A Lancelotto definitur : jus quod civium actiones ad finem æternæ beatitudinis dirigit. 347
Quæres 2. Quot partibus constet jus Canonicum? — Sex, nempe : 1° ex *Decreto Gratiani*, 2° *Decretalibus*, 3° *sexto Decretalium*, 4° *Clementinis*, 5° *Extravagantibus Joann. XXII*, 6° *Extravagantibus comunibus.* 347
Quæres 3. Qua auctoritate corpus juris vigeat in Ecclesia? — Auctoritate irrefragabili, excepto Decreto Gratiani. . . . 350
Quæres 4. Quid sentiendum de rubricis titulorum, de superscriptionibus et summariis capitulorum, de notis et glossis quæ in ipso jure canonico habentur? 350
Quæres 5. Quid de Concilio Tridentino uti est fons legum Ecclesiasticarum? 351
Quæres 6. Quid de Bullis et Brevibus pontificiis? — Bullæ aliæ sunt *gratiosæ*, aliæ *justitiæ*, aliæ *consistoriales* et aliæ *dimidiæ.* 352
Quæres 7. Quid de Rescriptis? — Alia dantur, *instar epistolarum familiarum*, alia *instar Decretorum.* 353
Quæres 8. Quid de Sacris Congregationibus Romanis? — Sunt octo principaliores, nempe : 1° Congregatio Concilii; 2° Congregatio Episcoporum et Regularium; 3° Congregatio de Propagenda; 4° Congregatio Sacrorum Rituum; 5° Congregatio Indicis; 6° Congregatio S. Officii; 7° Congregatio Indulgentiarum; 8° et Congregatio Immunitatis. 353
Quæres 9. Utrum vim habeant obligandi declarationes SS. Congregationum? — Sic, probabilius. 355
Quæres 10. Quid de regulis Cancellariæ sentiendum est? . . 356

Quæres 11. Quid Galli intelligant per libertates Ecclesiæ Gallicanæ? — Jus constanter sequendi receptos universalis Ecclesiæ canones, et antiquos regni usus, quidquid de novo in contrarium decernatur (quod est ridiculum, falsum et maxime periculosum). 356
ARTICULUS 2. De lege consuetudinaria. 359
Nota : (Duplex est consuetudo, alia *facti*, alia *juris*. Ideo)
Quæres 1. Quid sit consuetudo facti? — Est continuata et publica frequentatio actuum humanorum ejusdem rationis, — a majori et saniori parte communitatis exercitorum, — cum animo se obligandi. 359
Quæres 2. Quid sit consuetudo juris? — Ex Isidoro, est jus quoddam moribus institutum, — quod pro lege suscipitur cum deficit lex. 360
Quæres 3. Quid consuetudo secundum legem, præter legem, et contra legem? 360
Quæres 4. Quot sint effectus legitimæ consuetudinis? — Tres. 361
Quæres 5. Quot requirantur conditiones ut consuetudo vim legis habeat, aut legem abroget? — Tres. 361
Quæres 6. Quantum requiratur temporis ut consuetudo contra legem præscribat, seu, quod idem est, ut legem abroget? . . 362
Quæres 7. Quid in dubio an consuetudo sit obligatoria? . . 364
Quæres 8. An sicut consuetudo potest abrogare legem, sic lex possit abrogare consuetudinem? — Sic. 364
ARTICULUS 3. De lege favorabili, seu de Privilegiis. 364
Quæres 1. Quid sit privilegium? — Ex Innocent. III, est lex privata aliquid speciale indulgens. 364
Quæres 2. Quomodo dividatur privilegium? — Diversimode : nam est *reale* et *personale*, *gratiosum* et *remuneratorium*, *favorabile* et *odiosum*, datum *motu proprio et ex certa scientia* et datum *ad instantiam partis*, etc. 365
Quæres 3. An privilegiatus teneatur uti privilegio? — Non *ordinarie*. 367
Quæres 4. An quis privilegio contra legem concesso uti possit extra territorium concedentis — Sic, *ordinarie*, si sit personale. 367
Quæres 5. Quot modis amittatur privilegium? — Sex. . . . 368
ARTICULUS 4. De lege pœnali. 369
Nota : (Lex alia est *præceptiva* et alia *pœnalis*, alia *pure pœnalis* et alia *mixta*. Unde)
§ 1. An dentur leges pure pœnales, aut mixtæ. 370
Conclusio 1. Possunt dari leges pure pœnales (quia si legislator, a quo pendet tota obligatio legis, nolit obligare subditos nisi ad pœnam, subditi inobedientes non incurrent nisi reatum pœnæ). . 370
Quæres : Quomodo cognosci possit voluntatem legislatoris obligare tantum ad pœnam? — Tribus modis. 372

Conclusio 2. Dantur leges pœnales mixtæ obligantes in conscientia ad actum præceptum (est contra Navar.). — Ratio, quia omnis lex quæ præcipit absolute aliquid faciendum vel omittendum (porro talis est lex mixta), obligat in conscientia. . . . 372
Quæres 1. An lex, v. gr. circa gabellas, imponens pœnam exorbitantem obliget in conscientia? — Multi negant. . . 374
Quæres 2. An sint leges aliquæ Ecclesiasticæ mere pœnales? — Non exceptis multarum Religionum regulis. 375
§ 2. An leges pœnales obligent ad subeundam pœnam ante sententiam judicis declaratoriam. 375
Nota : (1° Pœnæ sunt *latæ* vel *ferendæ sententiæ*. — 2° Sententia judicis est *condemnatoria* vel *declaratoria*. — 3° Triplex est genus pœnarum.)
Conclusio 1. Pœnæ quæ executioni possunt mandari sine actione rei, effectum suum sortiuntur ante sententiam judicis declaratoriam, *secluso mortis aut infamiæ periculo* (quia nulla afferri potest ratio contrarii.) 375
Conclusio 2. Pœnæ quæ executioni mandari non possunt absque actione rei, effectum suum sortiuntur ante sententiam declaratoriam, si actio quæ requiritur ad earum executionem, non sit valde difficilis; illum vero non sortiuntur si sit valde difficilis, licet hæc clausula : *Nulla declaratione præmissa* vel *absque ulla declaratione* apponatur, nisi in aliquo casu usus contrarius invaluerit. 377
Conclusio 3. Pœnæ quæ irritant actum lege prohibitum, sortiuntur suum effectum ante sententiam judicis declaratoriam (quia tunc actus facti contra leges sunt invalidi). 378
Quæres 1. An post sententiam teneatur reus in conscientia pœnam exsequi? 378
Quæres 2. An ignorantia pœnæ, reum excuset a pœna? . . 378
ARTICULUS 5. De lege irritante. 379
Quæres 1. Quid sit lex irritans? — Est ea quæ actum aliquem cui certæ desunt conditiones, nullum et invalidum facit. . . 379
Quæres 2. Quotuplex sit irritatio? — Quadruplex, nempe : *pœnalis et legalis, immediata* et *mediata*. 380
Quæres 3. An ignorantia invincibilis legis irritantis, impediat irritationem? 380
QUÆSTIO 3. De cessatione legum humanarum. 381
Nota : (Lex humana cessare potest *ab intrinseco* et *ab extrinseco*.)
ARTICULUS 1. De interpretatione legum humanarum. 382
Nota : (1° Duplex est interpretatio legis : alia *simplex* quæ est *authentica, usualis* vel *doctrinalis*, et alia *per epikeiam*. — 2° Nulla est lex in quam non cadat simplex interpretatio.)
Quæres 1. Quænam sint regulæ aptæ ad faciendam interpretationem doctrinalem? — Sunt *quinque*. 383

Quæres 2. An sit licitum uti epikeia? — Sic, in lege positiva. 385
Quæres 3. Quando dubium est an lex casum aliquem comprehendat, quid faciendum? 385
ARTICULUS 2. De dispensatione a legibus humanis. 386
Quæres 1. Quid sit dispensatio? — Est relaxatio legis, — legitima auctoritate ad tempus facta, — in aliquo casu in quo alioquin lex obligaret. 386
Quæres 2. Quinam habeant potestatem dispensandi a lege? — Omnis legitimus superior. 386
Quæres 3. An inferior possit dispensare a legibus sui superioris? — Non, nisi superior consentiat. 387
Quæres 4. An legislator possit secum in sua lege dispensare? — Non, *proprie*, sed tantum *improprie*. 388
Quæres 5. Utrum dispensatio sine causa concessa, sit licita? — Non. 388
Quæres 6. Utrum valida sit dispensatio sine causa concessa? — Sic, si concedatur a *supremo* legislatore. 390
Quæres 7. An liceat petere vel concedere dispensationem ex causa dubia? 391
Quæres 8. An, cessante dispensationis causa, cesset dispensatio? — Distinguendum est. 391
Quæres 9. An valida sit dispensatio metu extorta? — Sic. . 393
Quæres 10. An dispensatio cesset per mortem dispensatoris? — Non cessat extra materiam justitiæ. 393
Quæres 11. An dispensatio subreptitia vel obreptitia sit valida? — Distinguendum est. 394
Quæres 12. An, existente causa, teneatur superior dispensare? — Distinguendum est. 395
Quæres 13. Quinam sit modus recurrendi ad sacram Pœnitentiariam pro dispensatione?. 395
ARTICULUS 3. De derogatione, abrogatione et irritatione legis. 397
Nota : (Aliud est derogatio, aliud abrogatio et alliud irritatio legis.)
Quæres 1. An lex possit valide et licite per legislatoris revocationem abrogari? — Sic. 397
Quæres 2. An legislator possit legem propriam abrogare, si a superiore confirmata fuerit? — Distinguendum est. 398

APPENDIX DE PRÆCIPUIS AC COMMUNIORIBUS ECCLESIÆ PRÆCEPTIS.

Nota : (1° Ex tract. præcedenti patet Ecclesiam habere potestatem ferendi leges. — 2° *Sex* sunt præcepta Ecclesiæ communiora omnes obligantia fideles.)
CAPUT I. De primo Ecclesiæ præcepto, seu de auditione Missæ. 399
Quæres 1. An exstet præceptum Ecclesiasticum audiendæ Missæ, et quomodo obliget? — Exstat præceptum obligans sub mortali

omnes baptizatos rationis usum habentes, ad audiendam Missam Dominicis et festis. 399
Quæres 2. An præcepto Ecclesiastico audiendi Missam satisfaciat, qui partem mediam ab uno sacerdote, et alteram ab alio audit? — Non. 400
Quæres 3. Quænam dispositiones requirantur ad Missam debite audiendam? — Ex parte animæ requiruntur : 1° moralis et humana præsentia ; 2° intentio audiendi Missam ; 3° pia ad Deum divinaque mysteria attentio et affectio. 401
Quæres 4. Qualis attentio requiratur in Missa audienda? — Duplex est attentio : *externa* quæ omnino requiritur, et *interna* quæ probabilius non requiritur : 1° quia non existit attentio *virtualis* qualem requirunt adversarii ; 2° quia moralis tantum assistentia requiritur, non vero oratio. 402
Quæres 5. An satisfaciat, qui tempore Missæ peccata sua discutit vel illa confitetur? 404
Quæres 6. Quænam sint causæ excusantes ab auditione Sacri? — Præter dispensationem, excusant impotentia physica et moralis, et consuetudo. 404
Quæres 7. Utrum qui Missam audire nequit, teneatur per aliud opus bonum vel per preces illam supplere, et aliquem cultum positivum Deo exhibere? 407
Quæres 8. Utrum fideles diebus Dominicis et majoribus festis teneantur audire Missam parochialem? — Non. 407
Quæres 9. Quinam præcepto satisfaciant, Missam audientes in oratoriis privatis? 408
Caput II. De quarto præcepto, seu de sanctificatione festorum. 408
Nota : (1° Illud præceptum obligat sub mortali, et est partim affirmativum, partim negativum ; — 2° per sanctificationem diei intelligitur religiosa cujusdam diei determinati ad colendum Deum observatio.)
§ 1. De operibus diebus festis exercendis. 409
Quæres 1. Quænam sint opera diebus festis exercenda? — *Vi præcepti Ecclesiastici,* auditio Missæ. 409
Quæres 2. An hoc præcepto præcipiatur cultus Dei etiam interior? — Non, ex communi sententia. 410
§ 2. De operibus vetitis die festiva. 411
Nota : (Opera triplicis sunt generis, nempe : *Servilia, liberalia* et *communia.*)
Conclusio. Diebus Dominicis festisque exercere opera servilia et alia a jure prohibita, est peccatum mortale. 412
Quæres 1. Quænam opera non servilia prohibentur a jure? — Forensia. 413
Quæres 2. Quænam sit materia gravis ad mortale sufficiens in opere diebus festis prohibito? 414

Quæres 3. Quænam causæ excusent ab obligatione omittendi opera diebus festis prohibita? — Sex, nempe : dispensatio, consuetudo legitima, pietas, charitas, utilitas publica et necessitas propria. 415

Quæres 4. An per quodvis peccatum mortale, graviter violetur præceptum de sanctificatione festorum, ita ut circumstantia festi non solum augeat peccatum, quod omnes theologi fatentur, sed insuper addat novam speciem malitiæ mortalis contra religionem, in confessione exprimendam? — *Probabilius* et *communius* negant : 1° quia nullum est præceptum particulare non peccandi diebus festis; 2° alioquin, *omne peccatum* violaret præceptum; 3° peccatum non est opus servile nisi mystice; 4° finis præcepti non cadit sub præcepto. 417

CAPUT III. De quinto et sexto Ecclesiæ præcepto, nimirum de jejunio et abstinentia. 421

§ 1. De nomine, divisione, essentia et obligatione præcepti jejunii. 421

(Jejunium est triplex : *spirituale, naturale* et *Ecclesiasticum* de quo hic, et est abstinentia a quibusdam cibis, cum unica refectione, hora competenti sumenda, obligans sub gravi.)

§ 2. De abstinentia a quibusdam cibis. 423

Nota : (Cibus prohibitus est caro animalium a piscibus vere distincta.)

Quæres 1. An ubi viget consuetudo abstinendi a lacticiniis in jejuniis extra Quadragesimam, talis consuetudo obliget, et sub gravi? — Sic. 423

Quæres 2. An dispensati ad lacticinia conseantur dispensati pro ovis? — Sic. 424

Quæres 3. An qui in die jejunii dispensatus est ad comedendas carnes, sit etiam dispensatus ad plures refectiones, seu ad non jejunandum? — Non. 424

Quæres 4. An dispensati ad carnes possint etiam comedere pisces? — Non. 425

Quæres 5. Quibusnam possint in diebus festis ministrari carnes? 425

§ 3. De unica refectione, ubi de collatiuncula vespertina. . 426

Punctum 1. De unica refectione. 426

Nota : (Ex dictis, requiritur ad jejunium, unica comestio. Unde plures resolutiones.)

Quæres 1. An sumptio potus extra tempus refectionis noceat? 427

Quæres 2. An potio chocolatica solvat jejunium? — Sic, *per se.* 428

Quæres 3. An peccet qui postquam duas sumpsit refectiones, tertiam aut quartam sumit? — Non, *saltem mortaliter.* . . 428

Quæres 4. An qui inculpabiliter duplicem in die sumpsit refectionem, errore detecto aut ablata causa excusante, teneatur sub gravi a tertia abstinere? — Non, *probabilius.* . . . 429

Punctum 2. De collatiuncula serotina. 430
Quæres 1. An collatiuncula sit licita? — Sic. 430
Quæres 2. Quibus cibis licitum sit uti in collatiuncula? . . 430
Quæres 3. Quænam potest esse quantitas cibi in collatiuncula sumendi? 431
§ 4. De hora refectionis in die jejunii destinata. 431
Quæres 1. Qua hora sumendum sit prandium die jejunii? — Nunc, ex usu, circa meridiem. 431
Quæres 2. An anticipans notabiliter sine causa hujusmodi horam, graviter peccat? — Non, *communius*. 432
Quæres 3. An frangatur jejunium, si collatio circa meridiem, refectio autem vespere fiat? — Non. 432
§ 5. De causis excusantibus a jejunio. 433
Nota : (Quatuor sunt causæ a jejunio excusantes, nempe : 1° superioris dispensatio, 2° impotentia, 3° labor, 4° et pietas. Unde)
Quæres 1. Quinam possint in jejunio dispensare? — Possunt (diversimode tamen) S. Pontifex, Episcopus, parochus, Prælati religiosorum et Confessarii. 433
Nota : (Duplex est impotentia : *physica* et *moralis*.)
Quæres 2. Quinam excusentur a jejunio Ecclesiæ, ratione impotentiæ physicæ? 434
Quæres 3. Quinam excusentur a jejunio Ecclesiæ, ratione impotentiæ moralis? — Omnes illi quibus jejunium grave affert incommodum. Unde excusantur, etc. 435
Quæres 4. Quinam excusentur ab Ecclesiæ jejunio, ratione laboris? — Ii omnes qui simul laborare et jejunare non possunt. 437
Quæres 5. An opifices divites qui ex officio artes laboriosas exercent, teneantur diebus jejunii a laboribus abstinere?—Non. 439
Nota : (A jejunio excusantur, ratione pietatis, ii omnes qui præstant talia pietatis opera, quæ præstantiora sunt et Deo gratiora, quam jejunium quocum consociari non possunt).
APPENDIX DE REGULIS JURIS. 441

FINIS INDICIS ANALYTICI.

INDEX BREVIS.

TRACTATUS DE ACTIBUS HUMANIS.

DISSERTATIO PRIMA. DE ACTIBUS HUMANIS SECUNDUM ESSE PHYSICUM. 3
CAPUT I. *De fine actuum humanorum.* 3
QUÆSTIO 1. De fine hominis in communi. 4
Articulus 1. An homo semper agat propter finem. 5
Articulus 2. An omnia agant propter finem. 6
Articulus 3. Utrum malum possit finalizare. 8
QUÆSTIO 2. De fine ultimo hominis in communi. 10
Articulus 1. De effectibus finis. 10
§ 1. De electione. 13
§ 2. De fruitione. 16
Articulus 2. An quidquid deliberate vult homo, illud velit propter finem ultimum. 18
Articulus 3. Utrum homo possit simul intendere plures fines ultimos. 23
QUÆSTIO 3. De vera hominis beatitudine. 25
CAPUT II. *De natura actuum humanorum.* 27
QUÆSTIO 1. De his quæ constituunt actum humanum. . . . 27
Articulus 1. De cognitione et potentiis cognoscitivis. . . . 28
Articulus 2. De voluntario. 29
Articulus 3. De voluntario libero, seu de libertate. . . . 36
QUÆSTIO 2. De his quæ destruunt actum humanum, seu de involuntario et ejus causis. 48
Articulus 1. An et quando violentia causet involuntarium. . 49
Articulus 2. An et quomodo metus causet involuntarium. . 52
Articulus 3. An et quomodo concupiscentia causet involuntarium. 53
Articulus 4. De ignorantia. 60
§ 1. Circa quæ detur ignorantia invincibilis. 61
§ 2. An et quomodo ignorantia causet involuntarium. . . 69
DISSERTATIO SECUNDA. DE ACTIBUS HUMANIS SECUNDUM ESSE MORALE, SEU DE MORALITATE ACTUUM HUMANORUM. 79
CAPUT I. *De speciebus moralitatis.* 80
Articulus 1. Utrum detur actus humanus indifferens. . . 80

Articulus 2. Utrum actus externus interni bonitatem vel malitiam augeat. 89
CAPUT II. *De moralitatis principiis.* 92
Articulus 1. An et quomodo actus humanus moralitatem desumat ex objecto. 92
Articulus 2. An et quomodo actus humanus moralitatem desumat a fine operandi. 94
Articulus 3. An et quomodo actus humanus moralitatem desumat ex circumstantiis. 96
CAPUT III. *De affectionibus moralitatis.* 103
CAPUT IV. *De regulis moralitatis.* 111
APPENDIX DE PASSIONIBUS. 114
CAPUT I. *De passionibus in communi.* 114
Articulus 1. De natura et divisione passionum. 114
Articulus 2. De contrarietate et effectibus passionum. . . 118
CAPUT II. *De passionibus in particulari.* 121
Articulus 1. De passionibus appetitus concupiscibilis. . . . 121
§ 1. De amore. 121
§ 2. De odio. 124
§ 3. De desiderio et fuga. 125
§ 4. De delectatione. 126
§ 5. De tristitia. 128
Articulus 2. De passionibus appetitus irascibilis. 129
§ 1. De spe et desperatione. 129
§ 2. De audacia. 130
§ 3. De timore. 130
§ 4. De ira. 131

TRACTATUS DE CONSCIENTIA.

CAPUT I. *De conscientiæ natura, vi et divisione.* 134
CAPUT II. *De conscientia vera, perplexa et erronea.* 137
CAPUT III. *De conscientia scrupulosa et lata.* 151
CAPUT IV. *De conscientia certa et dubia.* 159
Articulus unicus. Quæ conscientia sit morum regula. . . . 162
CAPUT V. *De conscientia seu opinione probabili et improbabili.* 165
Articulus 1. Utrum liceat sequi opinionem vere probabilem ratione sui et in se spectata. 170
Articulus 2. Utrum sequi liceat opinionem probabilem faventem libertati, in concursu alterius faventis legi. 172
§ 1. Quid si prior est minus probabilis. 173
§ 2. Quid si prior est probabilior. 182
§ 3. Quid si ambæ sint æque probabiles. 185
Articulus 3. De principiis seu regulis quibus conscientia dubia possit deponi et fieri moraliter certa. 212

TRACTATUS DE LEGIBUS.

DISSERTATIO PRIMA. De legibus in communi. 221
CAPUT I. *Quid sit lex.* 221
CAPUT II. *An promulgatio sit de essentia legis.* 228
CAPUT III. *An lex, prout in legislatore spectatur, in actu intellectus vel voluntatis formaliter consistat.* 232
DISSERTATIO SECUNDA. De legibus in particulari. 235
CAPUT I. *De lege æterna.* 235
CAPUT II. *De lege naturali.* 238
Articulus 1. An et quid sit lex naturalis. 238
Articulus 2. Quodnam sit objectum juris naturalis. . . . 245
Articulus 3. An lex naturalis possit pati mutationem aut interpretationem. 249
Articulus 4. An lex naturalis possit admittere dispensationem. 253
QUÆSTIO 1. De lege Veteri seu Mosaica. 257
QUÆSTIO 2. De lege Evangelica. 274
§ 1. An lex Evangelica sit vera lex. 275
§ 2. In quo lex Evangelica conveniat et differat a lege Veteri. 279
CAPUT III. *De lege humana.* 280
QUÆSTIO 1. De natura legum humanarum. 281
Articulus 1. An et quibus hominibus competat potestas ferendi leges. 281
Articulus 2. Quænam sit materia legum humanarum. . . . 293
§ 1. An lex humana possit præcipere actus internos. . . 293
§ 2. Utrum modus finisque legis cadant sub præcepto. . 300
Articulus 3. Qualis esse debeat promulgatio legum humanarum. 304
Articulus 4. An, ut lex humana obliget, requiratur consensus seu acceptatio populi. 309
Articulus 5. Quinam legibus humanis teneantur. 312
§ 1 Utrum legislator suis legibus teneatur. 313
§ 2. An Clerici legibus civilibus obligentur. 317
§ 3. An peregrini, advenæ et vagi teneantur legibus. . . 319
Articulus 6. Quænam sit formalis legum humanarum obligatio. 324
§ 1. An leges humanæ obligent in conscientia. 325
§ 2. Quæstiones circa obligationem formalem legum humanarum. 332
QUÆSTIO 2. De variis speciebus legum humanarum. 345
Articulus 1. De lege scripta. 345
§ 1. De jure civili. 345
§ 2. De jure Ecclesiastico seu Canonico. 347
Articulus 2. De lege consuetudinaria. 359
Articulus 3. De lege favorabili, seu de privilegiis. 364
Articulus 4. De lege pœnali. 369

§ 1. An dentur leges pure pœnales, aut mixtæ. 370
§ 2. An leges pœnales obligent ad subeundam pœnam ante sententiam judicis declaratoriam. 375
Articulus 5. De lege irritante. 379
Quæstio 3. De cessatione legum humanarum. 381
Articulus 1. De interpretatione legum humanarum. . . . 382
Articulus 2. De dispensatione a legibus humanis. 386
Articulus 3. De derogatione, abrogatione et irritatione legis. 397
Appendix de præcipuis ac communioribus Ecclesiæ præceptis. 398
Caput I. *De primo Ecclesiæ præcepto, seu de auditione Missæ.* 399
Caput II. *De quarto Ecclesiæ præcepto, seu de sanctificatione festorum.* 408
§ 1. De operibus diebus festis exercendis. 409
§ 2. De operibus vetitis die festiva. 411
Caput III. *De quinto et sexto Ecclesiæ præcepto, seu de jejunio et abstinentia.* 421
§ 1. De nomine, divisione, essentia et obligatione præcepti jejunii. 421
§ 2. De abstinentia a quibusdam cibis. 423
§ 3. De unica refectione ubi de collatiuncule vespertina. . 426
Punctum I. De unica refectione. 426
Punctum II. De collatiuncula serotina. 430
§ 4. De hora refectionis in die jejunii destinata. 431
§ 5. De causis a jejunio excusantibus. 433
Appendix de regulis juris. 441
Index analyticus. 449
Index brevis. 481

FINIS INDICIS BREVIS.

PARIS. — IMPRIMERIE PIERRE LAROUSSE, RUE NOTRE-DAME-DES-CHAMPS, 49.



208.9
C 382

8904

AUTHOR CHARMES, THOMA EX

TITLE Theologia Universa IV

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER
	STORAGE - CBPL	

8904